ELEMENTA JURISPRUDENTIAE HUNGARICAE

LOCO MANUSCRIPTI

EDITA.

a Kövy

CASSOVIAE 1807,
TYPIS FRANCISCI LANDERER DE FÜSKÚT.

INTRODUCTIO GENERALIS

IN

JURISPRUDENTIAM.

In Gratiam illorum, qui uberiore aliarum Scientiarum apparatu destituti ad Jus Hungaricum legendum animum adpellere debent, quaedam vulgaria tantum, de Lege, de Jure in genere, Jurisprudentia, Partibusque ejus, Introductionis loco praemittere non abs re fore visum est.

Ante omnia Actionum Humanarum Naturam bene quis sibi perspectam reddat oportet. Eo fine advertendum est, Actiones, quas ponimus, alias ex Animalitate, alias vero ex Rationabilitate proficisci, et illas quidem Actiones Hominis, has vero per excellentiam Humanas vocari.

Quae posteriores cum rationem sufficientem in Rationabilitate habeant, usus vero Rationis id efficiat, ut ex nexu rerum, adeoque etiam motivorum cum Actionibus connexione ope rationis instituta, et

 per-

perſpecta, ex pluribus poſſibilibus, id, quod placet, agamus, ſicque Libertate gaudeamus, Actiones illae Humanae velut a Libertate proficiſcentes Liberae, et quod dependenter a Libertate bonitatem, vel malitiam aliquam habeant; etiam Morales appellantur.

Si cum Actione libera verum bonum, vel verum malum, ut motivum, connectatur, imponitur neceſſitas illam Actionem hoc potius, quam alio modo determinandi, illam ponendi vel omittendi, verum Neceſſitas illa non eſt abſoluta, quaſi contrarium facere ſimpliciter impoſſibile eſſet; verum Hypothetica, id eſt, quod Contrarium tantum ſub illa Conditione non poſſit fieri, ſi quis Bonum acquirere, malum evitare velit, unde patet, per hanc Neceſſitatem, ſeu Obligationem prorſus Libertatem non tolli verum potius id effici, ut illa vires ſuas eo fortius exſerat.

Cum autem Neceſſitas illa Obligationem agendi Moralem, Obligationis vero illius enunciatio Legem Moralem, ſeu Regulam Actionum Moralium efficiat; patet adhuc neceſſitatem illam non eſſe Phyſicam, quaſi contrarium per vires Phyſicas non liceret, verum Moralem, id eſt, quod contrarium per Leges non liceat.

Cum quibusdam Actionibus noſtris liberis bonum vel malum, ut motivum, naturaliter connexum eſſe, ſolius ope rationis ex ipſa Actionum natura intelligimus; cum tamen cum aliis Actionibus tale motivum, nonniſi pro arbitrio Entis alicujus intelligentis, nempe Legislatoris, verbi gra.: Dei, vel hominis connexum eſſe, clarum ſit;

in

in priori casu est Lex pure Naturalis, in posteriori vero pure Positiva. Si vero, quoad Materiale, id est, ipsum edictum, seu Propositionem, sit Lex Naturalis, quoad formale vero, id est, ipsam Sanctionem, et Obligationem, si nempe praeter Naturale Consectarium, etiam positiva Legislatoris voluntate poena, vel praemium adjiciatur, erit Lex Mixta.

Leges Naturales ab Auctore Neturae profectas adeoque Divinas esse nemo dubitaverit.

Verum cum Legum Positivarum humanarum originem paulo altius repetere plurimum ad scopum nostrum faciat, reflectendum est ad originem societatum Civilium, quod scilicet: posteaquam homines ex Statu-Naturali mutuae defensionis Causa in Societatem Civilem coaluerunt, semetque singuli universorum simul sumptorum voluntati, adeoque communi, sive per omnes, sive per pauciores, sive vero per unum exercendo Imperio subjecerunt, ex illa hominum sui Juris, et Independentium Coalitione, et singulorum subjectione enata est suprema Potestas in singulos, quae alias Majestas, seu Suprematia appellatur, et quae se maxime per Legislativam Potestatem exserit, vi cujus potest Legislator pro ratione Circumstantiarum, et exigente fine, id est, Salute Reipublicae, Naturalem Civium Libertatem, si nefors illa fini Civitatis adversetur, restringere, ipsas Leges quoque Naturales declarare, praemiis, vel poenis munire, illa, quae Jure Naturali permissa sunt, vel praecipere, vel prohibere, Actionibus subditorum v. gr. Contractibus, Testamentis certam

for-

formam, et solemnitatem praescribere, aetatem pro validitate actuum determinare, Obligationibus Naturalibus Imperfectis Jus cogendi adjicere, sicque illas perfectas reddere, etc.

Cum haec Jura ad finem Civitatis adsequendum media necessaria sunt, quemadmodum his uti posse Rempublicam negari non potest: ita e converso nequit se Legislativa Potestas ad Indifferentes Civium Actiones extendere, id est: quae Civitati nec prosunt, nec nocent, hinc intuitu illarum vel ponendarum, vel omittendarum, Cives Naturalem libertatem retinent; verum, an aliqua Actio ad finem Civitatis Indifferens sit? id dijudicare soli Imperanti competit.

Cum autem homines ipso Jure Naturali sub illa conditione, si eam securitatem, et felicitatem, quae in hoc mundo obtineri potest, adsequi velint, in Societates Civiles coalescere jussi sint, adeoque remota, et mediata societatum civilium, atque Imperii Causa, licet tantum in genere, Voluntas Divina sit, illi vero omnes in conscientia obedire obligentur: consequitur, quod licet objecta Legum Civilium Actiones tantum externae sint, et non moralis seu interna, ex animo profecta; verum tantum externa, Civilis, et materialis Actionum cum legibus convenientia; scopus illarum sit, cum etiam praemia, vel poenae Civiles, media externa sint, nec Civilis Imperans corda scrutari possit: legibus tamen Civilibus omnes Reipublicae Cives non tantum pro foro externo, id est, ex consideratione poenarum Civilium, verum etiam pro foro interno et divino, seu in conscientia obligantur.

Ex

Ex Notione legis etiam **Juris Natura** explicari potest, quod quidem in abstracto sumitur primo pro facultate morali, seu facultate id agendi, quod moraliter possibile est, seu quod per Leges licet, hinc **Justum** in sensu lato est omne id, quod Legi, et Officiis non repugnat; in sensu strictiori vero, quod Officiis erga alterum perfectis non repugnat, seu quo suum alterius non laeditur; **Justitia** in sensu lato est habitus Actiones cuicunque legi conformes, in sensu strictiori vero habitus tales Actiones ponendi, quae suum alterius nulla ratione violant, nec ex eo quidquam auferunt. Hinc intelligitur differentia inter Justitiam, et aequitatem, quia Justitia versatur circa talia officia, ad quae quis mediis externis cogi potest; **Aequitas** vero circa talia, ad quae quis mediis externis cogi non potest, vi tamen coactionis Moralis patrantur, et licet imperfecta vocentur, tamen pro foro interno, seu conscientiae, et Divino eandem, ac perfecta obligandi vim habent.

Sumitur adhuc Jus vel **Objective**, vel **Subjective**. Objective sumptum significat Complexum legum, Subjective autem Scientiam legum, si quis vero casibus obvenientibus leges applicare sciat, ille dicitur habere **Jurisprudentiam**, prout ille, qui verba quidem legis scit, verum non intelligit, aut rationem, et Spiritum illius nescit, **Legulejus**; ille vero, qui Juris peritia et prudentia, qua praeditus est, dolose utitur, **Rabula** vocatur.

Leges

Leges vel Divinae sunt, vel Humanae; Divinae vero vel Naturales, vel Positivae; humanae autem omnes sunt Positivae, alias Civiles dictae; hinc etiam Jus est vel Naturale, vel Divinum Positivum, vel Civile.

Jus Naturale, vel pertractat leges illas, quae hominem solitarium, aut in Societate quidem verum absoluta, et universali, quae absque ullo facto humano ex ipsa communis humanitatis consideratione intelligitur, et ad omnes homines pertinet, degentem respiciunt; vel vero illas, quae hominem in Societate hypothetica ex facto aliquo consociationis fluente, v. gr. Connubiali, Parentali, Herili, Domestica, Anarchica, existentem obligant, vel denique illas, quae Civitatem, seu Civilem Societatem concernunt, in primo Casu vocatur Jus Naturale Ethicum: in secundo vero Casu Jus Naturae Oeconomicum: in tertio autem Jus Naturae Politicum audit.

Jus Naturae Politicum, seu aliter Jus Civitatis iterum in duas partes abit; vel enim Officia, et Jura Civitatis, seu Imperantis erga singulos et vicissim docet, vel vero Officia, et Jura Gentis unius erga Gentem alteram, seu Civitatem pertractat illud Jus Publicum Universale, hoc vero Jus Gentium appellatur.

Quemadmodum Jus Naturae Ethicum ex ipsa Natura humana fine hominis, et relatione ejus erga Deum, et alios fluit, et omnes omnino homines obligat; ita Jus Naturae Oeconomicum, et Politicum e Natura, Origine, et fine illarum societatum,

circa

circa quae versantur, derivari debent, et omnibus ejusdem generis societatibus, cum omnes eandem habeant Naturam, et finem, conveniunt

Praeter illas leges, quas Jus Naturae, in triplici sui parte omnibus hominibus, Gentibus, et Rebuspublicis communes tradit, et quae Inviolabiles aeternae, immutabiles sunt, quaelibet Societas Civilis habet, ut jam supra dictum est, leges suas proprias, positivas, et ex arbitro Legislatoris pro ratione Circumstantiarium latas, adeoque mutabiles, earum Complexus vocatur **Jus Civile**, unde quid sit **Jurisprudentia Civilis**, facile quisque intelligit.

Jus Civile vel concernit totam Civitatem, quatenus est una Persona Moralis, et res sine discrimine ad omnes simul sumptos pertinentes definit, verbi gratia: formam Regiminis, modum exercendorum Jurium Majestaticorum, Successionem Imperantium etc., vel vero Personas singulorum Civium, eorum res, et facta concernit; prius vocatur **Jus Publicum Particulare**, posterius **Jus Civile Privatum.**

Jus Civile Privatum iterum bifariam dividitur; si enim de Juribus rerum, et bonorum, atque de modo illa acquirendi, defendendi, aut de illis disponendi agat, vocatur **Jus Civile in Specie**; si vero in puniendis Delictis versetur, **Jus Criminale** appellatur.

INTRO-

INTRODUCTIO SPECIALIS
IN
ELEMENTA JURISPRUDENTIAE
HUNGARICAE.

CAPUT I.

De Jure Hungarico in Genere.

Jus Hungaricum, prout vel Jura, et Officia Imperantis erga Populum, et Populi erga Imperantem, vel Perſonas, Res, Cauſas, et Delicta Privatorum concernit, in Publicum, et Privatum Prologali 2. §. 3. hoc vero in Civile, et Criminale dividitur, cumque partim legibus ſcriptis, id eſt: Poſitiva Legislativae Poteſtatis voluntate concinnatis, in ſcripturam redactis, et ſolemniter publicatis; partim non ſcriptis, id eſt: Conſvetudinibus, tacito Populi, et Principis conſenſu initio introductis, et vel nunquam, vel tantum Privatorum opera in Scripturam redactis, aequalem tamen cum legibus ſcriptis auctoritatem habentibus, et ſaepe expreſſa etiam lege ſucceſſive ſtabilitis conſtat; in Scriptum, et Non Scriptum Prologali

logali 2. §. 1, abit, et prout vel ad totum Regnum, omnesque Provincias eidem adnexas, vel tantum ad partem aliquam 1, 2, 3, 4, 8, 25: 1ae pertinet, Commune, vel Speciale, alias vel Municipale 3ae 4. §. 7. audit.

CAPUT II.

De Principiis, et Fontibus Juris Hungarici.

Principia, et fontes Juris Hungarici, ex quibus cognoscitur, et deducitur, praeter illa, quae cum reliquis omnibus Juribus humanis Positivis communia habet, sunt;

Primo Diaetales Articuli, id est: leges unanimi Statuum, Principisque consensu latae 2: 3, 18: 1635, 49: 1655, 12: 1791, aliter vocantur Decretum generale, seu Statutum generale. Leges hae post publicationem non tantum quoslibet in Regno habitantes Privatos, verum etiam ipsum Principem vi diplomatis, tempore Inaugurationis cujuslibet Regis per eundem elargiri soliti, Juramenti Sacramento confirmati, obligant 2ae. 5. Extraneos vero post Publicationem leges in Regnum venientes, idem 5: 2ae. Legibus quidem Poenalibus post tres menses, aliis vero post unum mensem obligari dicit.

Cum autem leges saepe Interpretatione indigeant, illam vero vel ipsa Legislativa Potestas Prologali Titulo 6. §. 12., vel Usus, et Consvetudo Prol. 11., vel vero Jurisperiti praestent, sequitur interpretationem esse aliam Au-

tenti-

tenticam, aliam Usualem, aliam autem Doctrinalem. Quemadmodum vero Usualis interpretatio vel per totum Regnum eadem est, vel non, et vel per Actus Judiciales introducta est, vel non; ita etiam in Generalem, vel Particularem, in Judicialem vel Extrajudicialem dividitur, tantamque ac Autentica semper vim habet, et licet in illarum tantum defectu ad Doctrinalem recurrere integrum sit, sive sit illa Philosophica, id est ex ratione Legis; sive Philologica; id est ex Verbis, et Etymologica, aut ex ipso legis Textu critice assumpto, eliciatur: magno tamen etiam Doctrinalis interpretatio usui esse potest. Praecipue Philosophica, quae cum sit ex ratione legis, ratio vero legis jam aeque tam late, jam latius, jam strictius pateat, quam verba legis, aliquando vero ab uno casu per legem determinato ad alium nec per legem, nec per Consvetudinem determinatum argumentari possimus, hinc: Interpretationem Philosophicam, vel Declarativam, vel Extensivam, vel Restritivam, vel Analogicam esse sequitur.

Quamvis autem (secundum Regulas Juris) ubi eadem est Ratio legis, eadem sit Dispositio legis, et: casus similis casui per legem expresso non videatur per legem omissus, cum tamen ratio legis non sit lex, imo ipse Legislator talem casum sciens et volens praeterire potuit, Analogica interpretatio nunquam non caute, et non nisi ob perfectam, et omnimodam casuum similitudinem, eandemque prorsus

ſus legis in utroque caſu rationem, atque claram caſus utriusque ſibi invicem correlationem, et ſubordinationem, in Poenalibus vero, et Criminalibus cautiſſime prorſus, et rariſſime ſequenda eſt.

Ut ergo tutius cum interpretatione Doctrinali progredi poſſimus, ſequentes illius regulae tenendae ſunt: 1. A. propria, id eſt: populari et famoſa, verborum ſignificatione non eſt recedendum, niſi ſecus vel abſurdum, vel nihil ſequeretur. 2 Si vero ſignificatio verborum propria multiplex, et dubia ſit, tunc ſecundum circumſtantias temporis, modi, cauſae, finis, et ſubſtratam materiam, id eſt objectum, de quo ſermo eſt, atque ita accipienda ſunt verba legis, ut aliquem effectum producant, quia absque fine, et effectu non fertur Lex. 3. In antiquis legibus ille ſenſus tribuendus eſt verbis, qui occaſione legis conditae fuit vulgaris, Popularis, et famoſus. 4. Lex Poenalis tantum tunc debet extendi ad caſus lege non definitos, quando caſus correlati ſunt, et uno intellecto alter intelligatur, vel quod de uno dicitur, et de alio dicatur, vel delicta ſunt ejusdem ſpeciei, et tantummodo differant, ſecus nec propter majorem rationem. 5. Spectari debent Conjuncta, id eſt: quae per Legislatorem alibi dicuntur de eadem re, ſeu loca parallela, et ſemper totus Textus inſpiciendus, antecedentia cum conſequentibus combinanda, in conjunctis vero potiſſimum attendendum ad rationem, quae Legislatorem movit, et ſic conciliatio facienda, quae ſi impoſſibilis ſit. 6. Poſterior generalis tollit priorem generalem, ſed ſpecialem non tollit, niſi expreſſe illius mentionem faciat, ſecus prior ſpecialis limi-

mitat posteriorem generalem, quemadmodum. 7. Posterior specialis priorem generalem. 8. Posterior speaialis tollit priorem specialem ejusdem generis. 9. Odia restringenda, sed favores ampliandi, verum favor publici semper praevalet favori privati. 10. Aequitas semper habeatur prae oculis pro varietate casuum, et circumstantiarum, quae benigniorem interpretationem svadent, si v. gr. cesset ratio adaequata legis, quam spectabat Legislator, atque adeo casus sub lege Universali non contineri videatur.

Cessat lex tota per Abrogationem, quae vel expresse potest fieri, vel tacite per non usum; tandem per Surrogationem, quae pariter vel per Contrariam legem scriptam, vel per Consvetudinem, ac Contrarium usum fit. Cessat porro cessante ratione legis, quae ratio si tantum ex parte cesset, vel legi sive expresse, sive tacite tantum ex parte derogetur, lex non nisi ex parte cessabit.

Secundum principium Juris nostri est Consvetudo, per personam moralem, vél physicam legislativae potestatis participem, diuturnis et frequentatis actibus opinione Juris, id est: ea mente, ut obliget introducta Prol. 10, 11: 1.

Cum Consvetudo sit lex licet non scripta, sequitur, quod eadem Requisita, quae in Lege scripta recensuimus, hic quoque locum habeant praeter promulgationem, cum Consvetudo non momentanee uti lex scripta, verum successive introducatur. Sequitur porro, quod quemadmodum ad legem scriptam, ita etiam ad Consvetudinem introducendam

Consen-

Consensus Principis necessarius sit, qui potest esse vel expressus cum disertis verbis generaliter, aut specialiter, vel tacitus, cum facto positivo, aut omissivo per eundem declaratur, quin imo vel praesumptus Principis consensus ad valorem consvetudini conciliandum sufficit, cum ob utilitatem Reipublicae, voluntati populi, sibi per talem Consvetudinem legem ponere volentis, consentire praesumatur. Adeoque nulla diuturnitatis temporis, quod ad consuetudinem inducendam vulgo requiri putatur, ratione habita; non nisi actus tot ad eam requiruntur, quot ad invalescentem populi usum resciendum sufficere possint. Cum autem actus illi, ex quibus consvetudo exsurgit, vel generales, id est in toto Regno obtinentes, vel Particulares, vel judiciales, vel Extrajudiciales sint; ita etiam consvetudo varia erit, et quemadmodum in omnibus legis naturam habet, et eodem prorsus Jure, ac fundamento, quo lex scripta ferri potest, introducitur; ita etiam Obligativam, Interpretativam, atque in defectu legis Imitativam, et cum contra legem invalescat, Abrogativam vim sortitur, et aeque ita, ac de lege scripta superius diximus, cessat.

Inter colonos velut ad Legislativam potestatem nullatenus concurrentes, eum consensu; et conniventia Domini Terrestris ab una, et Principis ab alia parte, introducuntur consvetudines.

Quid vero inter Consvetudinem Juris, quam hactenus descripsimus, atque Consvetudinem facti, quae scilicet non opinione Juris, et non eum intentione obligandi introducitur, et sub nomine

mine

minem o r u m venit, r i t u s item, id est: verba et facta in actibus solemnibus usurpari solita: nec non Stilum, seu certas formulas in expeditionibus observati solitas, et quandoque lege praescriptas, adeoque non temere mutandas intersit, sua quisque sponte intelligit.

Tertium principium Juris nostri sunt P r i v i l e g i a 2ae. 6: §. 10. Privilegium est lex privata, seu speciale beneficium Principis in favorem alicujus contra, vel praeter Jus commune aliquid pro continuo constituens.

Requisita, et solemnitates Privilegii internae sunt: ut sit justum, honestum, fundamentalibus Regni constitutionibus, quales sunt leges de Cardinalibus Nobilium Praerogativis latae, et Andreae II. Decreto, nec non 1ae. 9. 6: 1723. et alibi passim contentae, item Diplomata tempore Inaugurationis dari solita, Pacificationes Viennensis, et Linczensis, non praejudicent, aut talibus, quae non sunt quidem fundamentales, verum tamen cum fundamentalibus nexum habent, et ex illis fluunt 11: 2ae.

Contra leges vero alias, utpote cum fundamentalibus in nexu non stantes, Privilegia dari solere, et posse, vulgaris opinio est. Imo ipse Verböczi 2ae. 7 Privilegium contra Jus commune, seu, ut 2ae. 8. vocat contra Decretum, saepe dari dicit, et per legem contrariam, subseque latam non semper tolli disponit, jam vero, si cum lege contraria subsequa possit Privilegium consistere, potest etiam cum anteriori. Verum 11; 2ae. plura adfert Verböczius exempla super eo, quod contra Decretum generale, praecipue contra, illa, quae sunt procedurae Judli

essen-

essentialia, non possit Rex Privilegia dare. Breviter observandum praeterea, quod si Lex in favorem Fisci sit, potest Rex Privilegia contra illam dare, si vero sit in favorem Privatorum, illi possunt Contradicere et processu experiri, quod et Fisco saepe competit, v. gr. si Rex bona Coronalia conferat.

Requiritur porro; ut sit a Principe legitime coronato. Et haec quidem talia requisita sunt, ut Privilegium illis destitutum ipso Jure nullum et seponibile sit. Internum requisitum est adhuc, ut sit: Salvo Jure alieno, sive Privilegio anteriori, sive Lege acquisito, sed tamen ob defectum hujus solemnitatis, non est Privilegium ipso Jure nullum verum ad petitionem illius cui praejudicat tantum invalidabile 2ae. 9, 10, 11.

Externae vero solemnitates praeter illas, quae omnibus Instrumentis Literalibus communes sunt, puta: annus, mensis, dies, locus emanationis, absentia omnis lacunae, rasionis et cancellationis correctionis (nisi illa per extradantem et subscribentem recognita sit) praecipue in substantialibus, sunt: subscriptio Regis 17: tae nec non Cancellarii et Secretarii ex usu. Appensio vel impressio Sigilli, quo Rex Hungariae utitur, et denique Publicatio intra annum in publica Comitatus Congregatione (cujus vicem in donationibus subit statutio) ut ille, cui ne fors praejudicat, opportune possit Juribus suis invigilare et contradicere, quod tamen etiam postea, licet non semper cum tanto effectu, coram quocunque loco credibili et autentico facere poterit. Hae quoque solemnitates externae ita sunt comparatae, ut Privilegium

propter defectum harum, vel nullum vel invalidabile evadat.

Privilegium prout principaliter vel rem vel personam, et hoc vel singulare tantum individuum vel etiam Successores, vel integram Communitatem tangit, ita aliud est Reale v. gr. Nundinale, aliud Personale, et hoc iterum vel est Personale Singulare, vel Genitilitium ut Nobilitas, aliud denique Communitatis. Ratione durationis vero aliud est Temporale, aliud Perpetuum quod tamen per accidens v. gr. Nobilitas per defectum vel per notam, aut si Reale fuerit, cessante Re, cessare solet.

Privilegium adhuc aliud est in Usu, aliud extra Usum quod vel est per se validum adeoque in cujus usum se quis vel Processu, vel per renovationem Privilegii reponere, vel obsoletum quod quis nec renovari petere; nec processu resuscitare, potest.

Obsolescunt autem Privilegia 1 Si privilegiatus cui occasione publicationis contradictum est, et qui, nec tempore impetrati Privilegii fuit in usu Juris vel favoris impetrati, nec se occasione Impetrationis ad usum ponere potuit, intra 32 annos ad dandam rationem contradictionis seu ad depurationem agere neglexit, aut egit quidem sed non triumphavit. 2. Si vel initio ob defectus supra recensitos nullum fuit, vel reale privilegium, validum quidem ab initio, sed tamen intra annum publicatum non fuerit, quia jam amplius contra privatum nihil operabitur. 3. Si reale Privilegium per se quidem validum, intra annum publicatum, sed tamen intra 32.

an-

annos in usum deductum non sit, licet, occasione publicationis nulla contradictione vulneratum fuerit. 4. Si per legitimam potestatem Judiciariam in foro contradictorio invalidetur vel annihiletur, cui tamen Sententiae Juridica remedia per Leges posita sunt.

In talium Obsoletorum Privilegiorum praecipue Realium usum nec processu nec renovatorio vel confirmatorio Privilegio poterit quis se reponere. Processu non, quia nunquam fuit in usu, renovatorio vel confirmatorio Privilegio non, quia quod ipso Jure nullum, vel pro tali, aut invalido declaratum est, non potest confirmari, quia confirmans non valet plus quam confirmatum: verum de novo debent impetrari, nulla prorsus vel tantum historice habita prioris Privilegii mentione, et tunc valebunt, nisi quis iterum patiatur obsolescere, vel vero, eadem quae prius ac similia impedimenta iterum adsint.

Privilegia cum saepe contra Legem, adeoque vulnera Legum vel saltem Exceptiones a Lege sint, strictioris interpretationis sunt, et neque ob majorem rationem ad alios Casus extendi aut trahi possunt, cumque sint, Leges privatae et speciales. idem de illis, quod de Lege speciali cum generali collidente, tenendum est, et quemadmodum contra Legem consvetudo et usus induci potest, ita etiam contra Privilegium diuturno usu non nunquam praescribitur.

Admittitur Privilegium variis modis: 1. Si quis illud obsolescere et evanescere patiatur; et illo, debito tempore non utatur, v. gr. si quis illud intra annum ab emanatione publicari aut statutione roborari non procuret. 2. Per expressam vel tacitam renunciationem aut contrarium usum, verum tantum

tale, quod ipsi soli, et non communitati cujus membrum est, vel dignitati quam gerit, aut posteris quoque datum est, v. gr. Nobilitas per non usum Patris non amittitur. 3. Ex abusu, dum quis Privilegio abutitur, v gr. habet Jus Gladii et absolvit nocentem, Actione Fisci Regii amittit illud, salva privato; quem delinquens laesit, contra absolventem Actione 1715: 48. verum Communitatis Privilegium propter abusum unius non amittitur. 4. Per Notam vel Crimen Laese Majestatis. Veruntantum quo ad Personam suam, quia Proles innocentes nobilitatem non amittunt. 5. Per Invalidatitonem, id est, si ex praejudicio, uti et aliis ex Legalibus rationibus Sententia Judiciali mediante invalidetur. 6. Per posterius priori derogans, si utrumque sit quoad eandem Personam vel Communitatem. 7. Per Legem generalem expresse illud tollentem. 8. Per Revocationem Principis expressam, verum justae revocationis rationes contineri debent in revocatoriis. 9. Cessante conditione, vel cessante re, vel morte privilegiati si nempe sit Personale singulare. Vid. 2ae 12.

Quoniam de Privilegiis Principum Transilvaniae in Hungaria collatis saepe controversia praesertim in his partibus occurrat, Extractum Legum de illis sonantium hic inserere opere pretium fore duxi, nempe:

Anno 1552, Articulo 20 statuitur, ut si collisio inter Donationes Ferdinandi I. et Joannis Regis sit; illa valeat, vi cujus Donatarius se ex possessorio defendit. Donationes vero titulo Notae ex adhaesione huic vel illi ehatae cassantur.

1552; 21 Satuitur, ut Donationes nondum Usu roboratae, ad acquisitionem illae sint validae, quae

in Bihariensi, Csanadiensi, Csongradiensi, Bekesiensi, Aradiensii, Szolnok exteriore, Zarandiensi, Torontaliensi, Temesiensi, Szörény, item partibus Transilvaniae, quandocunque per Joannem, in aliis vero Comitatibus per Ferdinandum factae essent, non obstante Impetratione ab altero Rege alio Legali praeter praescriptam Notam Titulo serius aut citius facta.

1552: 22 Statuitur ut etiam respectu propriorum Joannis Regis Bonorum illa alterutrius Regis Donatio stare debeat, quae per apprehensionem Bonorum usu roborata est.

23: 1552 Donationes per Isabellam Joannis I. relictam, et Joannem II, nec non Episcopum Varadiensem, ac Petrum Petrovics, respectu Bonorum in Comitatibus ad Hungariam pertinentibus factae, nisi per Ferdinandum confirmatae essent cassantur, Judicia tamen per Episcopum Varadiensem facta in suo vigore relinquuntur salvo novo Conf. 43: 1563, 56 1596 et pacificatio ejusdem anni et 35: 1596. In Bonis per pacificationem anni 1596 Batorio datis, factae per eundem Donationes stabiliuntur.

1606 Articulo ad 14. Nobilitas per Stephanum Bocskai facta confirmatur; productio tamen illius postulatur, Conf. 9: 1609 item Articulo ad 15. dantur illi, praeter alia, Comitatus Ugocsa, Beregh, Szathmár et ibidem per illum factae Donationes in Statu quo reliquntur, 8: 1609.

3: 1609 Donationes et Inscriptiones ejusdem non productae cassantur, Conf. 17, 18: 1608. 2. 7, 8: et 20: 1609, 2, 1613.

7: 1622 et 46: 1630 Donationes Bethlenianae simpliciter cassantur, etiam illae, quae per Ferdinandum II. Titulo adhaesionis Bethlenianae collatae es-

ſent, tamen Articulus 6: 1629 et 29 ejusdem teſtatur, in ſeptem Comitatibus per Tractatum Neoburgenſem eidem conceſſis, utpote, Abaúj, Zemplén, Borsod, Szathmár, Zabolch, Ugocsa, Beregh, eundem, legitimo ad Ratificationem Caeſareo-Regiam Titulo, Donationes conferre potuiſſe; hanc tamen regulationem ad alios in partibus Regni poſſeſſos Comitatus, extenſam non eſſe.

20: 1647 Idem de Rákoczio ut ad Ratificationem Caeſareo Regiam conferre poſſit in ſeptem Comitatibus illi datis, non item de Succeſſoribus ejus ſtatuitur, vid. 21: 1647.

Quartum Principium et Fons Juris noſtri ſunt Statuta locorum particularium, quae communitas aliqua-particularis et ſui Juris cum aliquo Conſenſu Principis ad Negotio ſua gubernanda in defectu Legis, vel ubi adeſt quidem Lex, verum effectuatio illius pro Circumſtantiarum ratione varia media requirit, poſitive conſtituit atque promulgat, 3ae 2, 3, 4. quae in eo loco, etiam quoad extraneos ibi Negotia habentes, vim Legis in omnibus foris habent, unde conſequitur quód cum ſint Lex licet particularis, Communitates Ignobiles nonniſi cum Conſenſu Domini Terreſtris, Caetus vero Opificum, Inſtitorum, et idgenus hominum nonniſi vi Privilegii ex annutu expreſſo Ptincipis 7: 3. 29: 1715 talia in medio ſui inducere poſſint, quod item, juſta, honeſta, Juribus Regnicolarum, et generali Legi, Sententiae ac Conſvetudini Curiali conformia eſſe, atque a majore et ſaniore populi parte ferri debeant, et ſic introducta Legem publicam declarent, Sanctionibus firment et interpretentur, atque ſuppleant.

Inter

Inter Statuta particularia atque Consvetudinem particularem, eadem est differentia, quam supra inter Statuta, seu Decreta Generalia, id est Leges scriptas, et Consvetudines generales, dedimus.

Quintum Principium et Fons sunt Decisiones Curiales 2: 6 § 11. id est Literae adjudicatoriae, seu Sententiae Curiae Regiae in pleno Judicio latae et nullo Juridico remedio interturbatae verum executione firmatae. Quae si saepe et in pluribus Casibus uniformiter ex unanimi utriusque Tabulae Regiae nempe et Septem-Viralis Consensu ferantur, in Praejudicia abeunt, et eo fortiores evadunt. Tam Decisiones quam Praejudicia Tabularia in Casibus vel per Legem non definitis vel ex Sensu Legum remotiori per Interpretationem definiendis ferri solent, et debent, atque si non sint Legi Naturali aut positivae contraria, vim Interpretativam non tantum, verum etiam, praecipue pro foris inferioribus in defectu Legis, obligativam, sortientur.

CAPUT III.

De Subsidiis Juris Hungarici.

Subsidia Juris Hungarici sunt: etiam aliae omnes scientiae quidem, sed praecipue Historia Regni in genere, in specie vero Historia Juris, quae occasione de Processu Libellatico per Belam III. introducto, de emendata per Carolum I. Processuali forma, de Jure Civili Romano sub Mathia I. invalescere incipiente et aeque sub eodem suppresso de Stephano Verböczi satisque operis Tripartiti ab eodem sub Uladislao II. elaborati, de Quadripartito quod sub Ferdinando I. in locum operis Ver-

bócziani absque ſucceſſu elabaratum eſt, de Commiſſione Syſtematica aeque 24: 1715 pro elaboratione et emendatione Legum ordinata, cujus opus pariter ſucceſſu caruit, de magnopore emendata ſub Carolo VI. Proceſſuali forma, de Collectione Deciſionum Curialium ſub Maria Thereſia, de Novo Ordine Judiciario, et Sanctione Criminali per Joſephum II. introductis et cum eodem ſepultis, de Deputatione Juridica 67: 1791, pro coordinatione Juridica 67: 1791, pro coordinatione Fororum, pro emendatione Proceſſualis Ordinis, pro Legibus emendandis, pro Deciſionibus Curialibus diſcutiendis, pro elaboratione Codicis Criminalis, ordinata, aeque pauca viva voce dicentur, nec non de Corpore Juris, Collectione Decretorum, Comitialium, et modo Leges citandi.

Porro Statiſtica Regni in genere, imprimis vero forma et modus internae adminiſtrationis Rerum Politicarum, Aerarialium et Judicialium. Imo non tantum modernum verum etiam antiquiorem Regni Statum noſſe plurimum proderit, eo fine, de Miniſterio ſeu Senatu Regali a S. Stephano inſtituto de antiqua Comitatuum organiſatione, de Comite Caſtri ſeu Comite Parohiano, qui hodie Supremus Comes dicitur, de Curiali Caſtri Comite, de Biloto Regio qui publicam ſecuritatem proximus curabat, de Priſtaldo ſeu Apparitore aut Commiſſario Regis aut aliorum Judicum, de Caſtellano ſeu Caſtri Praefecto, qui Caſtro praerat, in ſervos Caſtri Jurisdictionem exercebat, atque Várnagy dicebatur, et Magiſtratualibus Perſonis adnumeratus, a Capitaneo ſeu Hadnagyone Militum Caſtri diverſus erat. De Palatino, Judice Curiae, Banis, Per-

premis et Liberis Comitibus, Servientibus Regis seu Nobilibus, Jobbakonibus Castri seu Castri Militibus etc. item de Supremis Tribunalibus sub Nomine Synodorum in singulis Dioecesibus per Colomannum erectis, de Judiciis per Reges, cum ad solemnia S. Stephani Albam veniebant celebratis sub Andrea II. introductis, de Foris Octavalibus eo quod post nonnullorum festorum Dierum Octavas utpote Martini, Georgii etc. bis ad minimum in anno, 40 continuis diebus celebrabantur, ita dictis, de Brevibus quae 20 diebus durabant, de Judicio ferri candentis aquae ferventis et duelli, de Judicio Palatinali et Protonotariali. Porro pro moderno statu cognoscendo, de Diaeta Generali, item de Particulari, Articulo 8: 1715. 22: 1741 pro extraordinariis quibusdam Casibus stabilita, de Cancellaria Aulica Regis Hungariae, de Consilio Regio Locumtenentiali Hungarico, velut supremo in Politicis Foro, de Camera Hungarica Aulica et Scepusiensi, de Comitatibus eorumque Congregationibus, de Foris Judiciariis, qualia sunt: Tabula Septem-Viralis, Tabula Regia-Tabula Banalis in Croatia, Tabula Regia ibidem, Tabulae Districtuales 4 Sedes Judiciariae seu Sedriae Comitatum; Foro Vice-Comitum cum Judlium et Jurassore, Fora Judicum Nobilium cum Jurassore, Sedes Dominales, Magistratus Civitatum, et Oppidorum Privilegiatorum, Sacrae Sedes, quaedam paucis viva voce dicentur.

Denique Diplomatica, seu ars Diplomata legendi, inteligendi, dijudicandi. De hac arte ex Introductione Cl. Schvartneri, et P. Mancini Compendio Politioris Literaturae pro filo Narrationis et subsidio memoriae pauca notantur.

Diplomata sunt formulae scriptae Jurium, Obligationum, vel rerum in facto tantum positarum, solemnibus verbis et ritibus conceptae. Vocantur apud Reges nostros Pagina, Litera, Charta, Privilegium, Decretum, Chartale Testimonium, Notitia Instrumenta, Jussio, Sanctio, Praeceptum, Auctoritatis Praeceptum, Bulla, Sigillum, Intimatum, Literae, Literae Patentes, sunt vel Autographa, seu Originalia, vel Apographa, seu Copiae, Exempla, et haec vel Auctoritate et Fide publica vel privata, uti alias dicetur. Originalia saepe in Chartis Pariclis vel Pariculis conficiebantur, in diversis Chartis, vel in una eademque Charta bis describebantur, atque duo exemplaria, linea recta, per literas aut figuras inter duo exemplaria existentes, vel dentatim scindebantur, et Chartae Partitae dicebantur.

Ars Diplomatica mutuis Jesuitarum et Benedictinorum in Gallia certamidinibus originem suam, incrementa vero Benedictinis debet. In Hungaria disputabatur maxime de genuitate Bullae Sylvestri II., tandem inter Benczur et Cornides, ab una, atque Illustrissimum Bathyanium, Novakium, Kollerum ab alia parte de genuitate fundationalium S. Stephani pro Abbatia Benedictinorum in Monte S. Martini factarum.

Habet haec ars tres partes: I. Graphicam, quae Artem et Instrumenta scribendi, II. Semioticam, quae solemnia Diplomatum signa, III. Formulariam, quae Verba et Dictiones Diplomatum solemnes, eorum Structuram et Dispositionem explicat. Graphica et Semiotica de Originalibus tantum Diplomatibus agunt. Formularia

vero de talibus rebus tractat, quae etiam ad copias et apographa applicari possunt.

I. Quoad Graphicam. Literae minutae, id est minusculae distinctae et non connexae Sec. XI. et XII. usque Belam IV. inde ad Andream III. Cursivis magis et magis mixtae, post Andream III. solae Cursivae in usu erant, et quidem Seculo XIV. et XV. usque inventam Artem Typographicam Scholastica, seu Neogothica Scriptura.

Seculis VIII. et XIV. ae exulat, loco illius habetur e. s. pro sch. z pro s etc. Abreviaturae Sec. XI. et XII. rarae sunt, Seculo XIII. usque XVII. frequentes. Siglae seu ut Cicero dicit Literae singulae initiales, adhibebantur in Hungaria Sec. XII. et XIII. usque XVI. vel Verbales v. gr. G. Gejza, B. Bela. LAD. Ladislaus, vel Numerales v. gr. M. pro Mille C. pro Centum. Numeri Arabici seu Ziffrae Seculo XV. Romanis in Hungaria successerunt, pracipue a tempore Ulad. II.

Notae Tyronis in Hungaria non fuerunt in usu, quia etiam alibi cessarunt Sec. X. est hoc velocissimum scribendi genus per signaturas, cum ut Poeta dicit: Nondum lingua, suum dextra peregit opus. Fuit in usu apud Graecos et Romanos, in excipiendis orationibus ad populum habitis, a Tirone Ciceronis Liberto qui hanc artem valde excoluit ita appellatur. Notariorum nomen his Notis originem debet. (Tale scribendi genus in Anglia et Galia hodiedum florere dicitur.)

Materia cui inscribebantur Diplomata ad Secul. XVI. praeter membranam in Hungaria nulla adhibebatur. Carolus Reb. anno 1303 Charta linea dedit Diplomata. Materia ex quo, in Hun

garia solum atramentum. A tempore Sigismundi primum Comma et recurrens Regum nomen auro scribitur. Nonnunquam 2 et 3 Comma diverso quam reliqua colore scribebatur ab illo tempore.

II. Circa Semioticam. Occurrit

1) Chrismus. I. N. C. id est, In Nomine Christi. Sec. XI. erat in usu, Crux † et tunc et postea adhibebatur,

2) Monogrammata. Id est: Figurae omnes Literas Nominis, vel Tituli, vel Sententiae alicujus in se complectentes, Seculo tantum XI. occurrunt et fuerunt loco subscriptionis.

3) Sigilla. De quibus agit Scientia quae Sphragistica vocatur. Sigillum alias vocatur Annulus, Bulla, Signum, Signaculum, Imago, Secretum. Materia Sigillorum 1 Cera. Quae olim alba, sub Sigismundo nonnunquam flava, post Carolum Rob. rubra in minoribus Sigillis, inde a Ferdinando I. etiam in majoribus adhibetur. Mixta materia est cum albae seu luteae cera viridis vel rubra ceu thecae profundius imprimitur. 2. Metallum. A Temporibus Gejzae II. et Belae III. valde ferquens est Bulla Aurea, cum nempe cera vel pix lamellis aureis vestitur, et illis Sigillum imprimitur. Tali Sigillo utebantur et utuntur hodiedum Reges nostri in majoribus Negotiis. Eodem usus est Andreas II. in Privilegiis Nobilium a S. Stephano datis confirmandis, quod Diploma Bulla aurea vocatur a Sigillo aureo. Forma Sigillorum solemnium semper fuit orbicularis. Annularia Sigilla etiam alterius formae occurrunt. Majestatica Sigilla sunt, quae personas Regum et Vultus cum ornatu Regali prae se ferunt. Bullae (id est Sigilla, quae

Metallo imprimuntur) ſemper ſunt duplices. Poſt Andream II. etiam ex Cera fiunt duplicia Sigilla, cum nempe in Theca utrique faciei Sigillum imprimitur. Pars adverſa vocatur illa pars Sigilli quae honoratior eſt. Pars averſa id eſt altera, contra Sigillum vocatur, ſive realem ſive literalem Inſcriptionem habeat. Contraſigillum cum Regni Inſignibus; et ſaepe aliis etiam Symbolis Regiis, ſub nomine Secreti Judicialis, Annularis, etiam ſeparatim adhibetur. Bullae aureae ſemper pendent, recentiores quidem de Vinculo aureo, antiquiores de Serico. Sigilla cerea vero vel imprimuntur, vel pendent, utrumque vel in parte antica, vel poſtica, olim pendebant de Corio, de Membrana, de Serico, hodie Serico rubro et argento, ſaepe intermixto viridi. Chartae Sigilla ſemper imprimi ſolent. Saepe ſub Ludovico I, et Sigismundo ſub Sigillo Literae aliquae latuerunt.

Sigilla Regia Hungariae ſunt itaque 5, nempe: Bulla aurea, Cereum duplex. Secretum, Judiciale, Annulare. Judiciale eſt apud Perſonalis Praeſentiae Regiae (Archi-Epiſcopi Strigonienſis) in Judiciis Locumtenentem. Annulare Rex ſecum habet, quo ſubſcriptas Manupropria Sanctiones roborat, atque Cancellariae Hungaricae ſub Sigillo Secreto vel alio expediendas committit,

Reginae quoque Hungariae tam Majeſtaticis quam Secretis et Annularibus Sigillis uſae ſunt.

Quoad Sigilla Nobilium obſ. privatae Chartae Seculo XIV. et praecipue XV. incipiebant ſigillari, ante Sigismundum Inſignium ſcutis ſecundum artis regulas inſcriptorum in Donationibus non eſt mentio.

ea fuit semper in usu, S. Stephanus vero, item Andreas I. Bela III. Emericus, Andreas II. nec Ego, nec Nos dicunt; in Contextu tamen plurali Numero utuntur. Dei Gratia, vel tale quid simile semper apud Reges nostros in usu fuit. Seculis XI. et XII. alternabant Tituli Regis Ungarorum cum Titulo Regis Ungariae, Titulorum incrementum prout Provinciarum illis subjiciebatur: In perpetuum! Intimatio. Noverint omnes. Memoriae comendamus. 2. Formulae Textus. Bela III. Nomine Majestatis se appellat, verum nonnisi a Ludovico I. hoc invaluit. Per alios Illustrissimi, Excellentissimi, Magnifici, Serenissimi vocabantur. 3. Formulae Epillogi. Muletae pecuniariae, aut Imprecationes Transgressoribus dictatae etc. Seculo XI. Monogrammata, postea Sigilla fuerunt loco Subscriptionis, quae a Mathia I. invalescere coepit, licet nec sub Sigismundo et Ladislao Postumo fuit innusitata, verum nonnisi a Zapollya et Ferdinando I. constanter adhibita fuit. Formulam quae Sigillum exspectare jubet excipit: Datum per manus, vel Datum Budae. V. Cancellarius ante Sect. XIII. nonnisi in Diplomatibus S. Stephani annorum 1001 et 1037. occurit. Summi et Secretarii Cancellarii Titulus ante Sigismundum non occurrit, nec semper Metropolitis Strigoniensibus proprius erat. Post Ludov. I. addebatur: Commissio Domini Regis, manus propria Domini Regis. Atque tunc non nominabatur Cancellarius. A quo tempore Reges subscribunt etiam Cancellarii. Locus non semper adnotabatur. Barones Regni saepe etiam non praesentes ut et Episcopi primo loco, nec non Comes Poso-

niensis, et alii Comites praecipue limitanei, et ii quorum Jurisdictioni Beneficiatus suberat Diplomati subjiciebantur, prioribus Seculis nomina talium in Prologo ponebantur.

Ad hanc ultimam Partem Diplomaticae, pertinet etiam Chronologia, seu ars tempora praeterita designandi. Per indictiones Epactas, et alios similes annos computandi modos annum in Diplomatibus designare Seculis tantum XI. et XII. in Hungaria usitatum erat. Primis Seculis Calendarium Romanum, XIV. et XV. etiam Ecclesiasticum, a XVI. vero moderum ad dies designandos adhibetur. Annos Regiminis inde a S. Stephano ut plurimum adscribere solebant. Dantur tamen Instrumenta omnis aevi absque Die et Anno.

Circa Dijudicationem Antiquorum Privilegiorum hae Regulae tenendae: Si quidpiam longo possessorio firmatum est, ibi cum favore pronunciandum. Ex uno alterove signo non est Judicium ferendum, verum ad omnia attendendum. Unum alterumve mendum, praecipue in non substantialibus, legitimis Diplomatibus non officit. Historicorum Testimoniis Privilegiorum Testimonia non enervantur, nisi error manifeste possit demonstrari. Sigilla Posteriorum Regum saepe Antiquioribus Privilegiis impressa sunt, et saepe plurium. De recentioribus vero etiam ut supra.

Objecta Juris nostri sunt Personae, quibus, Res, super quibus, et Actiones seu media per quae Jus dicitur. De his tribus objectis singulis Libris agemus, ubi primum brevem totius Operis Conspectum praemiserimus.

CONSPECTUS
ELEMENTORUM JURISPRUDENTIAE HUNGARICAE.

LIBER I.
De Personis.

Personae infra annum duodecimum sunt Illegitimae aetatis, nec possunt ullos Actus Publicos aut solemnes exercere, aut se ipsos resque suas ullo Titulo obligare. Supra duodecimum annum vero, Mares quidem infra vigesimum quartum, feminae infra decimum sextum, sunt legitimae licet adhuc Imperfectae aetatis, possuntque Actus solemnes et publicos exercere, verum de rebus suis non possunt irrevocabiliter disponere.

Inter Personas sui Juris eminent Ecclesiastici sive illi sint Seculares sive Religiosi, inter Ecclesiasticos vero Praelati. Aliqui ex Religiosis sunt possidendorum Bonorum capaces, aliqui non sunt.

Magna-

Magnatum alii sunt Officio alii vero tantum Titulo tales. Ad illos pertinent Regni Barones et Supremi Comites Comitatuum, ad hos vero reliqui Comites et Barones, imo etiam Principes, Duces etc.

Ecclesiastici et Magnates sub Generali Nobilium nomine comprehenduntur quidem, nihilque ratione libertatis prae aliis Nobilibus habent, verum tamen distinctam ab illis Personarum Classem faciunt Nobiles ita dicti.

Nobilitas imprimis per Donationem Regiam seu Collationem Juris Possessionarii acquiritur, adeoque licet Puella talis, quae in bonis solos mares concernentibus in defectu illorum praeficitur, ignobili nubat, tamen si Consensus Regius Praefectioni accesserit, proles ejus Nobiles evadunt. Sic: Adoptio quoque Consensu Regio roborata, adoptatum prolesque ejus nobiles efficit. Verum etiam absque Bonis potest quis nobilitatem adipisci per Armales Literas nobilitatem expresse conferentes. Imo vel ipsi exteri per Indigenatum sub certis Conditionibus acquirendum, Nobiles Regni Hungariae, sicque Bonorum Possidendorum Capaces evadunt.

Nobiles illi quos Praelati quidam per Collationem certarum Terrarum creant, et qui vulgo Praediales vocantur, habent quidem certas Praerogativas, non tamen sunt veri Regni Nobiles.

Verum Communitates Liberarum Regiarumque Civitatum, sunt vere Nobiles, et Cives illarum, licet Ignobiles, certis Immunitatibus et Juribus gaudent.

Communitas autem aliorum Oppidorum Privilegiatorum, sive sint sub Dominis Terrestribus, sive non sint, faciunt unam Libertinam Personam Moralem, et coram eodem foro quo Nobiles conveniri solent, prout etiam Ignobiles singulares Personae tales, quae nec sunt Cives Liberarum Regiarumque Civitatum, nec ulli Domino in Personalibus subjectae sunt, atque adeo Libertini audiunt, alioque Nomine Agiles vocantur.

Quaedam ex illis Personis quae non sunt sui Juris, sunt sub Patria Potestate. Quae quatenus effectus mere Civiles producit, nonnisi in tales Proles competit, quae ex legitimo Matrimonio natae sunt, et quae Legitimae et Naturales vocantur, licet reipsa nihil differant ab illis, quae vel per subsequens Matrimonium, vel per Principem Privilegio mediante legitimantur, atque Legitimatae vocantur. (Adoptivae proles Legitimae tantum dici solent.)

Mares illegitimae aetatis Parentibus orbi in Tutelarem, legitimae aetatis vero in Curatelarem incidunt. Puellae vero etiam legitimae aetatis usque Nuptias regulariter sub Tutela esse solent. Tutela si Testamento non est ordinata, superstiti Parenti, (quoad Personam Pupilli, et Bona mortui Conjugis;) per Legem delata est, atque Legitima et Naturalis audit. In defectu vero utriusque Parentis, Collateralibus Pupilli velut in Bonis ejus Jus Successionis foventibus competit, et Legitima tantum dicitur. Si neque haec adsit, Tutela Dativa per Superioritatem ordinabitur.

Servi Nobiles nonnisi quoad operas sunt sub Dominia Potestate, Ignobiles vero etiam quo-

ad Perſonas, Coloni vero quoad operas fundos et Perſonas, Integrae etiam Communitates Colonicales non privilegiatae, ſunt in omnibus Judicatui et poteſtati Domini Terreſtris ſubjectae, licet non omnes ſecundum Urbarium verum ſecundum Contractus a Principe approbatos tractentur.

Inter Perſonas occurrit adhuc Fiſcus, ſeu Cauſarum Regalium Director, qui in Cauſis Fiſci tam active quam paſſive litigat, Bona Fiſcalia, Coronalia, Fundationalia exquirit, defendit. Delicta mojora publica, tam Cicilia, v. gr. Illegalis Interuſurii exactionem etc. quam Criminalia, v. gr. Crimen et Notam, Actoratu ſuo vindicat.

LIBER II.

De Rebus et Jure circa illas.

Modi Res acquirendi ſunt varii. Quidam ex illis jam in Statu Naturali obtinebant. Quidam vero ſunt mere Civiles.

In ipſo Statu Naturali, vel acquirebat quis rem, talem quae nullius erat, per Occupationem vel accedebat aliquid Rei jam in Dominio exiſtenti. Vel vero unus in alterum rei ſuae Dominium transferebat per Traditonem.

Hi modi acquirendi hodiedum obtinent, licet Legibus Civilibus multum qualificati, v, gr. quoad Occupationem, Domino Terreſtri illimitate licet in Sylva ſua venari, immo cuicunque Nobili in cujuscunque Sylva, excepta medietate prohibita,

et

et tempore saetificationis certarum ferarum. Porro, Accessorium sequitur suum principale, etiam Jure Civili, si id absque laesione alterius bonae fidei hominis fieri possit.

Mere Civilis acquirendi modus est Donatio; Publica, Regis, Palatini, vel Praelati id Juris habentis.

Donatio Regia et Palatinalis fit vel Titulo Juris Regii. Cum nempe in genere datur Jus Fisci, quod tempore Impetrationis, ex cujuscunque Defectu vel Nota in Bonis est. Vel Titulo Defectus, quo illud Jus Fisci datur, quod ex Defectu Personae in Donatione specificatae enatum est. Vel Titulo Notae, quo aeque illud Jus datur, quod Notorius vel Perduellis in Bonis habuit. Vel Titulo Consensus Regii quo illud Jus Fisci datur, quod ex Nota vel Defectu transferentis, vendentis, legantis, etc. pro Fisco enatum est, aut enascetur. Vel Titulo Novae Donationis, quae sive modernum sive praehabitum impetrantis Possessorium praesupponit, et Jus Fisci, quod nefors tempore Impetrationis in Bonis est, confert.

Juris Regii Titutus solet etiam reliquis quatuor Titulis eo fine adnecti ut ruente primo Titulo, v. gr. si Defectus, vel Nota non probetur, aut Possessorium vel Jus Deficientis vel Notorii ruat, vel Fassio (Venditio) invalidetur, aut Jus fatentis non probetur vel denique Possessorium Novo-Donatarii non prodeat, adeoque Defectus, Nota, Consensus, Nova Donatio, nihil profit, nihilque contulerit, possit Donatarius Juri Regio, si quod aliter in Bonis esset, inhaerere.

Donatio

Donatio Palatinalis habet sua specialia Requisita, v. gr. id quod Fiscus actu possidet, non potest conferre nec plus uni quam 32 Sessiones etc.

Quaelibet Donatio Statutione roborari debet, cui si intra 15 Dies non contradicatur, est Statutio Pura, secus vulnerata, quae Processui, vel ad dandam, vel ad recipiendam Contradictionis rationem intra 32 annos movendo ansam dat.

Saepe inter Sexum et Sexum de aequalitate vel inaequalitate Juris disputatur, illa resciitur:

1) Ex Clausula acquisitionalium Literarum, quae est vel Clara, cum nempe clare scribitur. Haeredibus et Posteritatibus Masculini, vel utriusque Sexus, vel Dubia, cum nempe ponitur, Haeredibus et Posteritatibus. Hanc Clausulam vel interpretatur Radix adeptionis, v. gr, Bona Donatione mixta, id est, partim servitiis, partim pro Pecuniis collata solos mares concernunt cum illa dubia Clausula, (eo magis Donatione pura acquisita) vel interpretatur Usus, prout nempe Usus vel Privativus masculorum, vel communis utrique Sexui initio fuerit. Vel denique interpretatur Natura Bonorum, hinc cum Clausula Dubia emta Bona utrumque Sexum concernunt.

2) Ex Dispositione primi Acquisitoris, cum ille vel contra Claram Clausulam possit quoad suos Successores bona regulare.

3) Ex Natura Bonorum, hinc res mobiles, pecuniae, pignora, imo et perennaliter emta ex Natura sua utrumque Sexum concernunt, nisi

Natura

Natura illa, vel per Clausulam, vel per Dispositionem acquisitoris expresse sublata sit.

Bonorum Donationalium solos mares privative concernentium Quarta Pars, extradatur Puelis, ad primum acquisitorem proximis, aut illarum Successoribus, ita ut deinceps nihil nisi Jus Capillare habitationem, intertentionem, emaritationem) accipiant ex illis Bonis puellae. In aliis vero bonis aequaliter dividunt cum fratribus. Sic extradatur adhuc Jus Viduale (habitatio, intertentio, emaritatio) ex talibus Bonis in quibus Vidua non succedit, v. gr. per descendentes ex aviticis mariti, aut perennaliter absque nomine uxoris inserto acquisitis, quia in reliquis dividit cum prolibus mariti qua Vidua, qua Conjux vero adhuc latius succedit sola.

Bonis mariti defuncti inhaeret et ex illis praestari debet adhuc Dos, sive Legalis, sive contractualis seu scripta (Bonis uxoreis vero Contrados, quam uxor obligavit marito) nec non, allatura, quae in se complectitur etiam parafernum, id est res occasione sponsaliorum vel nuptiarum mulieri a quocunque donatas.

Uti ipsa Bona ita etiam quaedam Jura (Regalia dicta) Privilegio potissimum, et, quae huic aequivalet, Praescriptione, aut, quae fortior est, Lege, acquiri solent. Talia sunt: Jus Nundinarum. Jus Educilli, quod competit illis, qui Corporis Domini sunt, Curialistis vero nonnisi ita, si Privilegio expresse collatum habeant, vel Corporis Domino praescripserint. Colonis certo tempore ex Lege competit. Jus Macelli competit Possessoribus et Curialistis ut educillum. Jus Telonii

lonii et Nouli acquiritur Privilegio vel Praescriptione (Tricesima est Jus Coronale, quod privatis nullo modo competit) Decimae competunt ex Lege Episcopo Dioecesano, ex Privilegio vel Praescriptione etiam aliis Sacerdotibus Catholicis. Nona competit Dominis Terrestribus ex Lege; nisi Jus Montanum in usu sit.

Etiam Testamento possunt Res acquiri. An hic modus acquirendi in Statu Naturali obtinere potuerit? disputari solet. Sufficit quod Lex Civilis nostra tam quoad internam, quam quoad externam formam multa de Testamentis disposuit. Quis? Quid? Cui? relinquat Testamento, pertinet ad solemnitatem internam. Qualiter et quibus cum Cerimoniis relinquat? hoc pertinet ad formam et solemnitates externas. Licet quaedam Testamenta nullas Cerimonias et solemnitates verum tantum probas requirant.

Ex vitio seu interno seu externo, potest Testamentum Actoratu illorum invalidari vel seponi, qui ab Intestato (modo etiam in Statu Naturali obtinente) succedere debuissent. Utpote vel Descendentium vel Ascendentium vel Collateralium (quorum Successionis Fundamentum in Aviticis quidem est; mutua fraternalis Divisio, in acquisitis vero: Status in aviticis adhuc indivisus) vel Conjugis, quae Successio Conjugalis praesupponit Prolium carentiam, estque mutua inter Conjuges, si proles adsunt vocatur Vidualis Successio, et Viduae competit, non Viduo, id est Vidua succedit cum Prolibus mariti, in certis Bonis, non item Viduus cum Prolibus Uxoris, vel denique Fisci,

qui

qui omnium Nobilium (et Libertinorum) in defectu aliorum Successorum legalis ab Inestato Successor est, etiam in Extradonationalibus, quia de Donationalibus alioquin non potuit ultimus deficiens disponere. Civium ab intestato deficientium, id est absque Testamento et Successoribus morientium Successor est Civitas, Colonorum vero Dominus Terrestris, adeoque huic competit illorum Testamenta sive ex vitio interno, sive externo invalidare, vel, si illud nullum sit, seponere.

Successio ab Intestato est aequalis inter Descendentes, aut Collaterales ejusdem gradus, praeterquam si Bona sint Fidei Commissa, quae nempe ita regulavit primus acquisitor, ut vel per Linealem Successionem transmittantur ad Posteros absque Divisione, (Majoratus) vel semper ille succedat, qui inter omnes acquisitoris successores maximae aetatis est. (Senioratus.)

Verum antequam illi qui ab Intestato, (vel ex Testamento si et in quantum Naturalis et Legalis ab Intestato Successio per illud non mutata est) successerunt, dividant, Lucrum et Damnum in aviticis et fructibus eorundem, est inter ipsos commune, imo licet in illis, quae unus fratrum indivisorum non ex fructibus aviticorum, verum a proprio marte acquisivit. Divisio peragi non debeat, tamen ab Intestato deficienti acquisitiori reliqui fratres succedent in illis prae Fisco; non semper prae Conjuge.

Divisio peragitur vel amicabiliter vel judicialiter. Si in Divisionem Laesio vel error accidentalis irrepsit, vel post Divisionem, unius

Condi-

Condividentis Portio absque culpa Domini accidentalem defectum patiatur, Rectificatio Divisionis habet locum intra 32 annos. Ob Defectum vel Laesionem substantialem autem ad Novam Divisionem coram Tabula Regia, aeque intra 32 annos a tempore Laesionis vel Diminutionis numerandos agendum erit.

Postea quam vero vel Divisionibus, vel alia quacunque ratione multiplicentur Compossessores, facile in Communibus Beneficiis confusus et disproportionatus usus irrepit, quamobrem, Processus ad Proportionem Usus communium Beneficiorum, pro rata cujuslibet intravillana inducendam, movebitur.

Cum autem sive aeque per Divisiones, sive per Privilegia, Corpora Majora in plura minora discerpi soleant, facile inter duo Corpora de Metis controversia enasci potest, quae Metali Processu terminabitur.

Praeter Successionem ab Intestato ex Defectu, succedit Fiscus Nobilibus, Libertinis et Civibus ex Delictis, quorum alterum Crimen Laesae Majestatis, alterum autem Nota Infidelitatis, vocatur. Colonis etiam ex his Dilictis Dominus Terrestris succedit.

Qui rem alienam mala fide et nullo legali Titulo ad se pertrahit; eam detinet, punitur, ut infra dicemus, qua violentus. Verum ille qui rem aliquam quocunque Titulo, et quantumvis mala fide per tempus Lege definitum pacifice possedit, non detinet rem alienam quia illam Praescriptione acquisivit. Hunc modum acquirendi,

velut

velut in Statu Naturali prorsus incognitum, Respublica Lege Civili introduxit, et pro suo Jure Eminente, quod in omnium Privatorum Bona habet, propter utilitatem Reipublicae introducere potuit. Verum certas res et personas a praescriptione exemit, et media illam turbandi et annihilandi facillima ordinavit.

Traditionem diximus vel in ipso Jure Naturae obtinere, et esse modum acquirendi Naturalem. Etiam Jure Civili potest quis se resque suas alteri suo facto licito obligare, licet talis Obligatio vel Contractus, saepe etiam per ipsum Contrahentem ex dolo, fraude, vi metu, errore, invalidari vel judiciaria auctoritate pro nullo declarari possit. In specie — —

Potest quis Bona sua quantumvis avitica Commoditatis Causa cambiare (permutare.) Quod Cambium, nisi sit fraudulentum semper stabit.

Potest quis res suas vendere, imo etiam Fassionem perennalem celebrare, ist est: Bona sua immobilia, coram loco vel Persona autentica, ad id per Legem determinata, praevia suorum Condivisionalium praemonitione vendere. Quae Fassio licet de aviticis celebrata, si utilis vel necessaria fuerit, nec per Successores poterit invalidari.

Eo fortius potest quis Bona sua etiam avitica pro fidelibus servitiis sive perennali, sive temporaneo Titulo inscribere, aut temporaneo et reluibili Titulo, cum praemonitione Condivisionalium sub rationabilibus conditionibus vendere, id est: impignorare.

Potest vel pecunias, alienas mutuo levando, vel merces ad Creditum emendo, vel rationibus dandis semet obnoxium reddendo, vel pro aliquo fidejubendo debitum contrahere.

Potest rei suae usum vel pro mercede vel gratis, ad determinatum tempus, vel tantum praecario, dare, aut operam suam vel pro mercede vel gratis pro re aliena custodienda addicere sicque Contractus Locati Conducti, seu Arendae, Commodati, Depositi, celebrare.

Potest denique, de rebus Litigiosis ex dubio Litis eventu in ipso Processu Transigere, et sic pro incerto aliquid certi acquirere.

Saepe vero facto illicito, id est: Delicto redditur quis alteri obnoxius. v. gr.

Actus Potentiarios patrando, qui si in realem laesionem praerogativae Nobilitaris, nec non in paucis quibusdam praeterea Casibus patrantur, Majores vocantur, atque amissione Capitis vel Bonorum expiantur. Laesio vero cuicunque homini, in persona Rebus et Juribus, praeter Actus majoris potentiae, facto illata; Actus minoris Potentiae, alias Violentia vocatur atque si et Actor et Incattus Nobiles sint, 100 fl. Homagiisque assumptorum, missorum ignobilium, damnorum et expensarum Refusione expiatur. Ignobiles vero violenti in homagii ipsorum 40 fl. facientibus convicuntur, et eandem poenam, propter laesionem sui in aliis sive Nobilibus sive Ignobilibus sub Actoratu *Fisci* Magistratualis desumunt.

Larvatus vero, id est; qui Nomen, Praedicatum, Insignia alterius usurpando, Juribus alienis insi-

LIBER III.

De Actionibus seu Mediis Jus suum persequendi.

Inter media Jus suum persequendi vindicandi primum locum obtinent. Personae Judiciales.

Si Jurisdictionum varietas pro qualitate et natura objectorum, item Competentia Fori pro ratione Personae, Loci habitationis, Rei vel Fundi, item Delicti perpendatur, facile erit Judicem pro quolibet negotio invenire.

Coram illo Actor querelam et praetensionem suam proponit, debet vero Actoratu Personali, seu Activitate litigandi, item Reali, id est: Jure rem substratam persequendi, gaudere.

Idem requiritur in Ingerente qui potissimum ob Juris et Sanguinis Communionem cum Actore habitam se in Litem immittit, et se Actorem accessorium efficit.

Hi duo collatis viribus, et consiliis volunt in Incatto aliquid desumere, qui ita vocatur, quod in Causam attractus sit.

Incattus sibi pariter Incattum Accessorium et adjutorem adsciscit, dum ad Evictorem eo fine provocat, ut in Rei, quam Actor praetendit, Possessorio defendatur, vel saltim indemnis praestetur, ab illo, qui in eum Rem illam onerosó Contractu (non gratuito) transtulit, vel suus in Bonis condividens est, vel denique Obligationem illam Contractu assumit.

Cau-

Causantes saepe aliorum opera in Negotiis suis utuntur, quos sibi, vel generaliter pro omnibus Negotiis vel specialiter pro re aliqua determinata, in Plenipotentarios vel Procuratores, vel coram Causae Judice, vel coram aliis locis et personis fidedignis constituunt; atque in posteriori Casu Testimoniales super tali Constitutione ex eodem loco extrahunt.

Ad Media Jus suum persequendi pertinent secundo Actus Judiciales, v. gr.

Admonitionem medio Judicialis Personae, saepe utiliter saepe vero necessario peractam sequi solet (nisi Partes in Arbitros compromittere malint) Processus Formalis, et quidem inter Nobiles non Summarius, verum Solemnis, in quo omnes Lege praescriptae formalitates observandae sunt, nisi Pars utraque aliter velit.

Primo quoque tempore Actio seu Libellus Actionalis Praetensionem Actoris continens, et secundum illud: Quis, Quid, coram quo, quo Jure petatur et a' quo? rite adornatus, Judici praesentatur, illaque cum praefixione Termini, Incatto per Personam Judicialem, vel Personaliter exhibetur, vel medio Jurisdictionati ejusdem transmittitur.

Peracta hunc in modum Citatione, adveniente Termino Causa per Actorem aut ejus Advocatum levatur, levataque Scripto Judici praesentatur, Incattus per Judicem ad comparendum proclamatur, qui si, in Foris Pedaneis quidem eadem die, pro qua citatus est, in Tabula Regia vero intra Triduum, non comparuerit, Sententia Contumaciae mediante, in totali Actorem

acquisitione, id est: in omni illa re quam Actor petiit, convincitur, cui Sententiae nisi modo legali obviam irre potuerit, non nisi Novo Judicio extra Dominium, id est, post Executionem remedebitur.

Si vero comparuerit, priusquam Litem contestetur, seu meritorie agat, id est: ad ipsam petitionem Actoris respondeat, eamque vel agnoscat et confiteatur, vel neget, vel qualificet, potest Depulsoriis mediis uti, ita ut Causa, ob aliquod accidens, vel in perpetuum perimatur, vel saltem propter extrinsecum vitium condescendat, et in statum priorem recedeat, quin ipse convincatur, vel absolvatur.

Etiamsi tales Exceptiones nullae obverti possint, tamen ex rationabilibus Causis saepe Dilationes, indulgeri possunt. Imo ipsa Lex certis Personis, utpote, Neo-Praelatis. Viduabus, Pupillis, Reipublicae Causa absentibus Prorogationis Beneficium, dedit, et ab onere passive litigandi, ad certum tempus, rationi Legis convenienti modo, exemit.

Depulsoriis et Remoratoriis superatis, Liteque cotestata, Partes Probis semet accingunt, quae si ex Visceribus Causae petantur, internae dici solent, v. gr. Praesumtio, sive sit illa Hominis, id est, per rectam rationem ex Circumstantiis derivata, sive Juris, seu Legis quae Probam in contrarium admittit, sive Juris et de Jure simul, quae non admittit.

Verum plerumque ad probas externas recurritur, eoque fine Testes adjurantur, in quibus Libertas, Aetas, Modalitas seu ratio Scientiae, Conditio, atque, in Regula, Juramenti

Depo-

Depositio requiritur. Inquisitio ita probat si sit vel autentica, quam ipse Judex Causae peragit, vel autenticata, cum nempe Testes in Collaterali Inquisitione per Personam Justicialem sed non Causae Judicem adjurati, per Judicem Causae iterum examinantur et adjurantur. Plerumque etiam Testes morte autenticati probant.

Si Judex rem litigiosam, ubi necesse est, et fieri potest, proprio visu cognoscat, sicque Oculatam Revisionem peragat, hoc ad fidem illi faciendam plurimum proderit.

Etiam Literlia Instrumenta Publica magnam probarum externarum partem constituunt, si sint Originalia, vel per locum autenticum transumta, imo etiam Transumta Transumtorum sufficiunt ad Defensionem, uti et illa quae praeexstitisse verum periisse probantur. Privata Instrumenta, si vitio careant, contra conficientem plene probant, non item pro illo.

Si Probae desunt, possunt Partes (Actor et Incaitus) Juramentum Voluntarium super re litigiosa offerre, deferre, referre, Secus Judex secundum Regulas Lege praescriptas alterutri Partium imponit necessarium. Si non rite imponit, appellata locum habet, quia semper ille triumphat, qui Juramentum deponit, ergo altera Pars a tali Impositione appellare potest, imo etiam ille cui imponitur, si putet se plene probasse.

Ex probis fert Judex Sententiam, quae si Definitiva sit, in regula admittit Appellatam, imo etiam Interlocutoria talis, quae meritum Causae afficit.

Si Sententia ipso Jure nulla est, v. gr. per Judicem talem lata, qui non incompetens verum Incapax et Inactivus est, uti est Judex Civitatensis quoad Nobilium Personas et res mobiles, aut die feriali, vel festo, vel non in pleno Judicio est pronunciata, etc. nunquam abit in rem Judicatam, potestque vel Mandato Judiciali pro nulla declarari, vel oppositione eidem obviari. Verum si Sententia interno vitio laboret, id est: illum convicit quem absolvere debuisset, et versa vice, non est ipso Jure nulla verum injusta, atque, nisi Juridico Remedio tempestive infringatur, abit in rem judicatam.

Judex Sententiam Executioni daturus Terminium Executionis convicto insinuare, atque, ut plurimum, pro Executione peragenda Exmissionem debet habere. Si Sententia intra annum Executioni non est data, exspiravit, verum poterit, vel Mandato vel Processu renovari. Si vero in ipsa Executione facto Judicis exsequentis, alterutra Partium, praecipue Triumphans laesa est, Executionem vel Mandato vel Processu corrigere poterit. Convictus Laesus etiam alia Juridica Remedia habet, v. gr. potest opponere reoccupare.

Ad media Jus suum vindicandi pertinent denique Remedia Juridica, quibus Causantes tam suos quam Judicis errores resanare possunt. v. gr.

Si poenale vel saltem damnosum fuerit suscitasse processum, potest Causa vel tota vel in parte cum Legali onere, et Refusione Expensarum Incatti deponi.

Facta

Facta, dicta et allegata Procuratoris, absque fcitu Principalis in Processum inducta possunt per Causantes, aut eorundem Plenipotentiarios revocari.

Sententiae in Processibus coram Tabula Regia verti solitis latae possunt Prohibita iuterposita novis argumentis everti.

Praeterea tam ex Tabula Regia, quam ex Foris Pedaneis gradualis Appellata usque Septem-Viratum in regula admittitur, licet non semper intra Dominium verum aliquando extra Dominium, nam saepe, licet convictus apellaverit, tamen Executioni subjicitur, verum si in Appellatorio Foro Sententia reformabitur in integrum restituetur.

Quid? quod Causantes (praecipue Nobiles,) contra ipsam Judiciariam Auctoritatem semet vi defendendi, Executionem non admittendi, eam interturbandi, opponendi, repellendi, Rem Executam reoccupandi Jus habeant, atque rationem facti, quoad processus quidem Fororum pedaneorum, et nonnullos Tabulares unice ex extrinseco Processus vitio, Sententia priore (nisi nullitas ejus clara sit) in suo vigore caeteroquin permanente, quoad alios vero etiam ex Visceribus Causae, dare, seque intra Dominium semel adhuc meritorie defendere, et Sententiam convictivam evertere, sicque poenam talis facti evitare poterunt.

Ast, si iterum convicti, secundaria quoque vice idem fecerint, qualiscunque sit Causa, jam amplius in Dominio se novis argumentis meritorie defendere non poterunt, verum rationem facti ex extrinseco Processus vitio dare debebunt, qua suffi-

cienti

cienti non data, Capitis vel Bonorum amissione plectuntur, Executioque, nulla amplius Oppositione vel Repulsione audita, cum Brachio, id est: vi mediante, peragitur. Sententiae vero, quae toties elusa est, nonnisi via Appellatae, vel Novi Judicii extra Dominium medela feretur.

Ultimo Remedio, nempe Novo Judicio, integrum est in regula omni Causanti, Causam plene amissam, semel, atque, penes Gratiam Principis, iterum resuscitare.

Praeter hactenus recensita Remedia, insignem Causantibus et promiscuum Usum praestant Mandata Judicialia, pro re nata, a Rege, Judicibus Regni Ordinariis, utpote Palatino, Judice Curiae, Personalis Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenente extradari solita.

Generali hac Juris Hungarici Notitia praemissa, et nexu materiarum taliter ob oculos initiantibus posito, breviterque illustrato, fusiorem horum omnium pertractationem agredimur.

LIBER

LIBER PRIMUS.

De Perſonis.

ELEMENTORUM
JURISPRUDENTIAE HUNGARICAE
LIBER I.
De Personis.

CAPUT I.
De Personis in Genere.

Persona est Homo in Statu suo, vi cujus diversa Jura et Obligationes habet, consideratus.

Masculi viginti quatuor annorum, feminae sedecim annorum, sunt aetatis perfectae, infra dictos annos vero aetatis imperfectae. Personae utriusque Sexus, infra duodecimum annum sunt aetatis illegitimae, supra dictum annum vero legitimae. rae 3.

Tam mares quam feminae completo anno aetatis duodecimo possunt Procuratorem constituere. In specie vero mares aetatis decimo sexto possunt de Debitis et Pignoribus, decimo octavo de rebus mobilibus, vigesimo quarto vero completo etiam de immobilibus perennaliter disponere, ita quidem ut etiam in Imperfecta legitima tamen aetate facta perennalem alienationem, ante completum vigesimum

mumquartum annum possint revocare, et Actoratu proprio, Lite intra 32. annos movenda, invalidare, quod si intermiserint, nunquam jam amplius illorum Actoratu, verum post fata ipsorum per Successores, ex praejudicio dicta perennalis Fassio invalidari poterit. Nam contra factum proprium, nemo Perfectae aetatis, nisi ex dolo vel fraude vi metu errore potest agere.

Feminae autem decimo quarto anno completo de Debitis et Pignoribus, rebus item mobilibus possunt disponere, decimo sexto vero aetatis anno evadunt perfectae aetatis, et bona etiam immobilia perennaliter alienare possunt, hoc tamen observato, quod Fassionem, vi, dolo, fraude, sive ante, sive post perfectam aetatem factam, intra annum a nuptiis revocare, et proprio Actoratu deinde invalidare valeant, sive fuerint tempore celebratae Fassionis sub Tutela sive non, rae: a. Quod etiam de Fassionibus citra dolum et violentam Coactionem procuratis intelligendum, quia in favorem sexui et aetatis videtur Lex id ordinasse, et per id beneficium dare voluisse, atqui, si tantum Fassiones vi, dolo, et quidem nonnisi ante nuptias procuratas vellet esse revocabiles, per id nihil eximii et specialis beneficii daret, quia Fassiones dolo et violenta coactione extortas, cujuscunque Sexus et aetatis personae, (eo fortius puellae innuptae) omni tempore revocare et invalidare possunt.

Sui Juris personae dicuntur esse qui in nullius potestate (praeter publicam) consistunt, suntque vel Eclesiasticae, vel Seculares. Non sui Juris sunt illae quae vel Potestati Patriae,

vel

vel Tutelae aut Curatelae, vel denique Dominicae Potestati subjectae sunt.

CAPUT II.

De Personis Ecclesiasticis.

Primum locum inter Personas Ecclesiasticas obtinent Praelati, quales sunt Archi-Episcopi, Episcopi tam Dioecesani, quam Titulares, Abbates et Praepositi. aae: 49. §. 5to. Praeter Ecclesiasticos seculares, dantur etiam Religiosi, qui Fundatorum suorum Regulam sequentes in Claustris habitant. Quidam ex illis in tali Ordine sunt, qui capax est Bonorum possidendorum, quidam vero in tali, cui Lex illam capacitam denegavit.

Ecclesiasticae Personae faciunt primum Statum Regni. Verum hoc ad Jus Publicum Hungaricum pertinet. Ceterum habent jura quae reliqui Regni Nobiles, praeterquam quod Testimoniale Juramentum non deponant corporale, verum tantum ad puritatem Conscientiae asseverant, quod quidem aae: 40: de solis Praelatis dicit, verum usus ad omnes Personas Spirituales Catholicas extendit. Ob Actum majoris potentiae non Sententiam Capitalem, verum tantum Emendam Capitis incurrunt 10: 1723. Verum neque qua Actores majorem in secularibus criminibus poenam desumere possunt, quam ipsi incurrere solent. aae. 44; 72: 1486. Contra Ecclesiasticos Ulad. 3: 55. 16: 1715 lata est Lex amortisationis, quod praeter antiqua Ecclesiae Bona, alia ne quidem temporaneo Titulo absque speciali

in

indultu Principis acquirere valeant, nempe, pro Ecclesia, vel Ordini, verum Ecclesiastici pro se privatim possunt Bona acquirere, nisi sint Religiosi. Antiquas et limitatas, seu pactatas arendas Decimarum praecipue talium quae anno 1647 jam in limitata summa exarendatae erant, elevare non possunt. 4. Si criminaliter delinquant prius Ritu Ecclesiastico degradari, et ita puniri debent. 5. Bona Beneficialia, quae possident, cum illa Ecclesiam concernant, pro debitis ipsorum auferri et adimi non possunt, verum usus fructus sequestratur, et Creditori addicitur, ac nonnisi aliqua pars Debitori pro vitae mediis relinquitur.

In specie vero Jura Praelatorum praecipue haec sunt: 1. Neopraelati, circa Lites Bona ipsorum Beneficialia et a Capitulo vel Conventu divisim possessa tangentes, annuae Prorogationis beneficio gaudent, id est primo adepti Beneficii anno Juri stare non tenentur 2: 50. 2. Homagium illorum consistit in 100 marcis gravis ponderis id est 400 fl. 9: 1ae, 40: 2ae. 3. Majores Praelati possunt sub privatis suis Sigillis Procuratorem 13: 2ae. constituere (nempe Archi et Episcopi Actuales) non item Plenipotentiarium. Capitula et Conventus aeque sub suis propriis Sigillis constituunt tam Plenipotentiarium, quam Procuratorem, verum Plenipotentiarium revocare corum alio loco credibili debent. 4. Habent proprium suum forum quod Sacra Sedes vocatur, et quod constituit Episcopus Dioecesanus vel Auditor cum Capitularibus, inde appellatur ad Metropolitanum, mox ad Primatem, ab eo ad Pontificem Romanum. Hoc Forum judicat Causas Matri-

mo-

moniales Catholicorum, vel Matrimonii mixti omnium absque discrimine, sive Nobiles, sive Cives, sive Liberi, sive Ignobiles fuerint, ut etiam omnes illas quae ex Matrimonialibus et Divortialibus enascuntur, puta legitimitatem prolium, et accessorie cum divortiali et allaturam, tandem Causas Perjurii aeque omnium praeter Cives, quia illos ob perjurium proprius Magistratus judicat, Causas Testamenti Nobilium et Libertinorum ex defectu solemnitatis externae vel ex dolo et fraude. Civium Testamenta, semper Civicus Magistratus, Colonorum vero Sedes Dominalis discutit, Imo etiam latam coram Sacra Sede in Causis quas judicat Sententiam, penes Compassuales Forum Seculare exequi debet sub poena 100 florenor.

De ceteris Ecclesiasticis nihil speciale occurrit, nisi quod is qui Ordinem bonorum possidendorum incapacem ingreditur, omnem Successionem suam quam habuisset ab intestato perdit, qui vero Capacem ingreditur, aeque Successionem ex acquisitis immobilibus praeter liberam Parentum Dispositionem perdit quidem, verum ratae ex Aviticis immobilibus Actualibus (non virtualibus) ipsum concernentis decimalitatem in pecunia aufert, eamque si post factam Professionem moriatur Monasterio relinquit, sed illa Decimalitas nunquam supra 5000 assurgere potest. Ex mobilibus qualibuscunque videtur aequaliter participare, quia quo ad mobilia non disposuit. 71: 1715, ergo in priori usu censetur reliquisse. Vulgaris tamen opinio est ex Aviticis immobilibus decimalitatem ratae, praeterea vero nihil ipsi competere.

Ex

Ex Testamento vero, qualemcunque Ordinem sit quis ingressus tamen in eo, quod Testamento ipsi relictum est succedit, verum nonnisi pecunia exsolvitur, licet immobilia fuissent relicta.

Dictum est de Personis Ecclesiasticis, jam de Secularibus sui Juris dicendum.

CAPUT III.

De Magnatibus.

Magnatum in Hungaria nomine veniunt Barones et Comites, sive Officio sive tantum Titulo tales. Officio Barones alias Regni Barones, vel ut olim vocabantur Jobbagyones idest optimates Regni sunt: Palatinus, Judex Curiae, Banus Croatiae, nec non Tavernicorum, Agazonum, Janitorum, Cubiculariorum, Pincernatum et Dapiferorum Regalium Magistri, Capitaneus Nobilis Praetorianae Turmae Hungaricae. Comites Officio tales sunt: Supremi Comites Comitatuum, olim Parochiani Comites dicti. Ad Magnates Titulo tales pertinent reliqui qui Principum aut Ducum, Comitum et Baronum nomine veniunt, sive sint Originales Hungari sive tantum (ut dici solet) Indigenae. De his omnibus in genere tenendum, quod vi Juris publici Hungarici faciant secundum Regni Statum, et singuli peculiaribus Literis Regalibus ad Diaetam vocantur. Baronum Regni Homagium 400 fl. facit 2: 1mae, qui id adhuc tam a reliquis Magnatibus quam a Nobilibus diversum habent, quod Relictis eorum

Dos

Dos Legalis in 400 fl. solvatur 94: 1ae, quod item Procuratorem sub propriis privatis Sigillis constituere possint 13 : 2ae ubi quidem de Baronibus Regni clare hoc non dicitur, verum usus ita explicat.

CAPUT IV.

De Nobilibus.

Nobilitas, praeter Derivativum illum modum, quod scilicet quaelibet Personae a Nobili Patre licet Ignobili Matre ex justis Nuptiis 1ae. 6. natae Nobiles sint, acquiritur originaliter.

Primo per Donationem seu Collationem Juris Possessionarii a Rege legitimo privilegialiter factam.

Huc refertur etiam id, si quis Successoribus masculinis carens filiam in Bonis vi privilegii solum Sexum masculinum antea concernentibus cum Consensu Regio adeoque Donatione mediante in haeredem constituit, aut, cum omnibus prorsus Successoribus careat, extraneum a sanguine et ignobilem in fratrem vel filium, aeque cum Consensu Regio assumit. In priori Casu vocatur Praefectio, quae tantam vim habet, ut licet illa praefecta ignobili nupserit tamen proles ejus praerogativa nobilitari gaudebunt. In posteriori vero Casu Adoptio dicitur et aeque adoptatum successoresque ejus nobiles Donatarios efficiet, ita tamen si Consensus ille Regius intra annum a morte praefici curantis vel adoptantis, aut si post mortem illorum emanavit,

intra

intra annum ab emanatione, legitima, licet contradicta Statutione roboratus fuerit rae: 4, 7, 8.

Nobilitas tali modo per principem semel collata tunc etiam persistet, si Consensus Regius ob infirmitatem Juris transferentis evertatur, vel qualicunque demum Titulo collata Donatio, aut per Principem ipsum ex legitimis nefors Causis revocetur; aut vero in Foro Contradictorio sententia mediante cassetur. Nam sufficit quod Princeps talem Donatarium privilegialiter pro possidendorum Bonorum capace in genere declaraverit, hinc, licet postea specialia quaedamBona ob peculiares rationes illi conferri non potuisse recognoscat, aut Bona eadem Processu, alioquin non intuitu personae verum bonorum moto, amitantur, qualitatem tamen personae semel largitam hoc non ferire censendum est. Eo magis quod illa qualitas etiam absque bonis consistere possit, nec cum ammissione bonorum necessario desinat, imo ex duplici illo beneficio, quod collatum erat, alterutrum saltem, id est nobilitatem remanere Gratia Regia quam convenientissimum sit.

De eo quoque non prorsus absque fundamento dubitari potest an Consensus fassioni ignobili factae superinductus nobilitet? eam potissimum ob rationem quod confirmans et superaedificatum plus non valeat quam valuit confirmatum, et secus etiam, cum Consensus eventuale tantum Jus ut plurimum conferat, et usque defectum vel notam fatentis licet firmum Jus habentis familiae, nihil operari, imo plane tantisper superfluus esse, et non nisi tunc primo vigorem suum accipere et effectum aliquem v. gr. nobilitatem post se trahere posse videatur:

Cum

Cum tamen Consensus, incapacitatem possessorii, uti hoc Exemplo etiam Adoptionis 1ae: 8. clarum est, aboleat, 1ae: 63. autem Consensum translationi de praesenti factae superinductum non post defectum fatentis, verum ab emanatione intra annum statui disponat, adeoque Consensum Statutionemque ad defectum fatentis, et tempus enascituri praevie collati Juris Regii fictione Juris trahat, nobilitatem statim ac Consensus datus est, Donatarium consequi existimo, eam etiam ob Causam quia Donatio Reale simul, et Personale privilegium est, adeoque lice vivo fatente Donatario quoad Bona nullum effectum, ut infra dicetur, producat, quoad Personam tamen etiam prius effectum habere potest.

Secundo per Armales seu Literas Nobilitatem expresse conferentes. Armales vocantur ab armis seu insignibus cum Nobilitate plerumque conferri solitis. Verum prout Nobilitas absque armis etiam conferri potest, ita sola armorum seu insignium absque expressa Nobilitatis mentione facta collatio neminem nobilitat 1ae: 6.

Ad Nobilitatem per Armales requiritur: 1. Publicatio Armalium in eodem Comitatu, in quo Impetrator earum habitat intra annum peragenda. 2. Si sit Civis, commendatio Civitatis, et duorum Consiliariorum. 3. Si sit Colonus, Consensus et Comendatio Domini Terrestris, et Comitatus antea stricte requirebatur; verum posteaquam 35: 1791 omnes Coloni liberae migrationis redditi sunt, licet jam Consensus Dominorum Terrestrium non absolute necessarius sit; tamen ad faciliorem Impetrationem tam Dominorum Terrestrium, si nempe no-

bilitari volens Colonus sit, quam Comitatus; imo etiam aliquorum Consiliariorum recommendatio multum confert et hodiedum in usu est 1622: 17. 1655: 36. 1630: 30. Et licet Princeps cuicunque Regnicolae Nobilitatem conferre possit; tamen potissimum meritorum qualitercunque praestitorum praecipue militarium, et virtuosorum ac literali scientia ut 17: 1622 dicitur praeditorum rationem solet habere.

Quaeri solet passim: an intermissio Publicationis Armalium in Donationibus vero Statutionis, Nobilitati officere possit? ratio dubitandi inde potissimum desumitur: quod Publicatio, et Statutio cujuscunque privilegii non in gratiam Fisci, verum in gratiam Privatorum introducta sit, ut si cui privilegium praejudicet opportune Juribus suis invigilare et contradicere valeat; jam vero vix ullius casus hodie datur, in quo Nobilitas alterius alicui praejudicet, cum Lege perpetua Subditela generaliter cessaverit, adeoque nullum Privato cuiquam ex mera alterius nobilitate praejudicium enascatur; hinc quamvis intermissio Statutionis contra Privatum, licet posterius impetrantem, et se statui curantem quoad acquisitionem Bonorum, Donationem obsolescere faciat; tamen id Nobilitati nocere posse non videtur, quia Nobilitatem alicujus solus Fiscus potest controvertere; ille vero cum jam eam semel privilegialiter contulerit, beneficio suo amplius refragari non potest. Uti nec id obstare videtur, quod Statutio, et Publicatio Usum sapiat, absque Usu vero Privilegia sint Literae mortuae, cum Usus sit anima Literarum. Quia id tantum de

realibus

realibus Privilegiis valet, ubi nempe res, vel jus aliquod Privilegio datum est, in cujus usum se quis ponere debet; non autem de mere personalibus, ubi tantum qualitas, et character datus est. Sed nec in realibus sufficit Statutio, vel Publicatio ad Usum probandum, sed tantum hoc operatur, ut se quis ad Usum rei, vel juris in quo hactenus non fuit, et in cuius Usu neque contradictor est po-nere, vel vero si Privilegio ejus contradictum est, et extra possessorium sit, intra 32 annos ad depu-rationem agere possit. Ergo si Privilegia absque Usu sint Literae mortuae, Statutio vero, aut Publi-catio Usum non sapiat, sequitur, nec Privilegia Statutione, vel Publicatione roborata Nobilitatem operari posse absque possessorio, et usu. Quod cum nemo adstruat, nec Objectionem quidquam valere palam est.

Hinc licet per Fiscales Magistratuales in pro-ductionalibus Processibus secundum Resolutiones infra citandas intermissio publicationis controver-tatur: dignum tamen, et prorsus conveniens est, ut Nobilitatem talem ob defectum Publicationis ne-fors vacillantem Gratia Principis stabiliat, nam licet 4: 1ae Statutionem Donationis et 30: 1630 publi-cationem Armalium requirat ad Nobilitatem; ad id tamen id rationabiliter responderi posset, quod hoc in gratiam Privatorum requirebat, ne nempe per-petui Jobbagyones in Praejudicium Dominorum praeter illorum scitum, et consensum nobilitentur.

Praeter recensitos, et mere pro Originariis Hun-garis, vel Extraneis quidem, verum talibus, qui per diutiorem in Regno habitationem, et onerum Re-

ni portationem Indignatum successivum aquisiverunt, seque Donationis vel Armalium impetrandarum capaces per id reddiderunt, inventos nobilitandi modos, pro Extraneis inventus est unus modus nobilitandi qui est:

Tertio per Indigenatum, seu momentaneam in Numerum verorum Regni Nobilium, et Indigenarum receptionem, qui modus ante Reges Austriacos non occurrit, quia antea queslibet Extraneos poterat Rex in Hungaros recipere, et illis Bona conferre; verum anno 1550 Articulo 77: statutum est, ut hoc Rex vel cum Diaetae, vel cum Baronum, et Praelatorum Hungaricorum scitu, et consensu faciat. Anno 1687 Art. 26 vero statutum est, ut praeter Juramentum seu in Diaeta, seu coram Cancellaria, et Regni Palatino deponendum, et Diplomati desuper extradando inserendum, 1000 aurei per recipiendum deponantur. Anno 1741 Art. 41 Taxa duplicata est. Praeterea requiritur inarticulatio in Diaeta 69: 1791. Nisi has Conditiones praestiterint, possidendorum titulo Nobilitari, id est sive perennali, sive temporaneo, vel pignoris titulo Bonorum incapaces sunt Extranei, uti etiam Ignobiles Regnicolae, et ex incapacitate possessorii, Bona quidem perennali titulo empta secundum aestimationem 6 per centum proventuum Urbarialium-Temporaneo vero titulo acquisita, deposita investita summa, a talibus quilibet Nobilis, sibi medio cujuscunque Judicis vindicare potest 23: 1715.

Quod Poloni, et Veneti ab Indignatu lege Regni arceantur 32: 1486. 18: 1577 hujus Rei fundamentum in Historia Regni quaerendum.

Cardi-

Cardinales Nobilium Praerogativae sunt sequentes:

Primo: Quod Nobilis nisi legitime, citatus et convictus sit non capiatur 9: 1. 5: 1723. Excipe 1. Crimen Laesae Majestatis, id est, quo quis laesionem personalem Regis legitimi, aut Regni perturbationem hostiliter intendit, vel saltem per conniventiam talem, qui id moliretur, non impedit. Quia in hoc Casu prius capitur, et ex Vinculis se defendit 71: 1715. 2. Capi potest Nobilis criminaliter delinquens per quemcunque in flagranti, 1ae: 9. aut in continua persecutione, ut etiam Miles, vel Insurgens fugitivus. 3. Officiales, et Servi rationibus dandis obnoxii, et illas vel reddere nequeuntes, vel nolentes Math. D. 6: 33, 1622: 65 quorum Bona etiam sequestrari possunt. 4. Nobiles tales, qui praeter Domicilium vix aliqua Bona immobilia habent (licet mobilia multa habeant) et evidenter constat de malefacto ipsorum, etiam ante Inquisitionem per competentem Judicem capi possunt 14: 1687. alii vero ejusdem generis, de quibus tamen aperte, et evidenter non constat, nonnisi praemissa Inquisitione Comitatui reportata, et comperta Rei veritate post determinationem Comitatus 38: 1655. aeque per competentem Judicem capi possunt, et postea ex Vinculis citari debent, quae etiam de vagabundo, et malefactoribus semet associante intelligenda sunt. In Criminali Delicto convictus vero, si fugiat, proscribitur, et per quemcunque capi potest.

Secundo: Quod soli Regi subsint, sed nec per Regem in rebus, vel persona turbari possint citra viam Juris, nempe auctoritate ordinaria, quia Jure

sue

suo eminenti ob salutem Reipublicae, quae secus procurari non posset, potest Respublica in quemcunque, et in cujuscunque Bona erga indemnisationem uti.

Tertio: A Servitute, et Contributione exempti sunt, verum a Fundo Civili quilibet etiam Nobilis contribuit. Praeterea Armalistae pro publicis Comitatus necessitatibus moderate taxantur 1647: 26. 1723: 6. et tali quietantia probatur Usus Nobilitatis. Tandem si Fundum alienum incolant, Domino Terrestri praestationes facere tenentur. Denique Tricesimam a Rebus pro sua necessitate eductis, vel inductis non solvunt, uti etiam a solutione Telonii et Nauli exempti sunt cum nempe Res suas proprias, licet pro venditione, et quaestu devehant. An vero si emerint pro quaestu, et res illas devehant, vel ad Res alienas pro pecunia vehendas cursum locaverint, Telonium solvere de Jure teneantur? Leges eatenus obscurae quidem sunt. (Vid. Ulad. D. 3: 35. 1715: 15. 1723: 15.) tamen probabilius est non teneri. Vid. de Telonio etc.

Processus ex hac Materia enascitur: Productionalis, vel Legitimatorius contra talem, qui dubius est Nobilis, et tamen se pro tali venditat. Movet Fiscus Magistratualis penes Determinationem Comitatus, aut saepe etiam penes Intimatum Regium; qui vero non est in Usu Nobilitatis, et se ponere vult ad Usum, ille recurrit ad Comitatum et petit contra se Actionem determinari. Processus hic defluit coram Sedria, imo licet non formali, et solemni Processu ventiletur negotium Nobilitatis, verum tantum Libellatice et Summarie; tamen sem-

per

per coram Sedria debet tractari, Licet hic Processus sit re ipsa Juris Processus, cum ex privilegio originem trahat, tamen habet quaedam sibi peculiaria tam in modo probandi, quam in formalitatibus, quae ut sciantur, Extractum Resolutionum Normalium in hoc Negotio interventarum hic inserere placuit.

De Dato 12mae Sept. 1724 Armalistas Nobiles moderate taxari, finem in hunc cujusvis legalem Nobilitatem investigari, Investigationem cum Documentis submitti, super deposita per Armalistas Taxa singillative quietari praecipit.

De Dato 1. Sept. 1725. 1. Ab Investigatione relevantur illi, quos Comitatus de Familiis antiquis descendere, aut Usu Bonorum Paterno-Aviticorum, aut Jure Successionis ad illa, aut Armis nobilitaribus provisos, ex Protocallis suis habita cognitione legitimae condescendentiae inveniret. 2. Verum in Donationes, et Arma Dubiorum inquirendum, et illi ad id stringendi, ut suam Genealogiam vel humano Testimonio 60 annos non excedente, vel literalibus Instrumentis ad aliquem suae familiae hominem, et indubium Nobilem deducant.

Ad probandam Nobilitatem sensu Titulorum 6. 8: 1 requiritur Donatio Regia, vel Statutoriae collationis cum Bonorum declaratione editae. 2. Armales vel humano Testimonio, vel Literis sibi applicandae. 3. Praefectionales auctoritate Regia elargitae. 4. Adoptionales cum Consensu Regio. 5. Diploma Indigenatus. 6. Divisionales Decessorum per, vel coram V. Comite factae. 7. Processuales Literae Praedecessorum nomine suo litigantium. 8.

Expe-

Expeditoriae, seu Quietantia super exolutione Quartaliti centum annos transcendentes, aut Quietantia super soluta Dote. 9. Testimoniales autenticae, et sufficientes. 10. Depositio Testium Juramentalis, et Autenticata super Nobilitate aut habitis, vel perditis Armalibus.

Non sufficere vero dicuntur in eodem Intimato haec. 1. Conscientiosa solum, et non in puritate Conscientiae facta Ecclesiasticorum, vel fide digna tantum, et non corporali Juramento firmata Secularium Relatio. 2. Donationales, seu Armales Principum Transylvaniae (nempe in Hungaria largitae verum, Obs. quae supra dicta sunt). 3. Palatinales Donationes, vel Statutio, et Restatutio earum. 4. Armales sub Contradictione Dominorum Terrestrium emanatae. 5. Armales in obversum Articuli 30: 1630 nullibi in Comitatibus, vel non intra annum publicatae. 6. Fassio unius Testis etiam juramento firmata. 7. Successio Collateralis in Bonis faemineis, aut alienorum Bonorum sibi facta appropriatio. 8. Armales suspectae, et signanter in nominibus, et cognominibus rasae, et cancellatae. 9. Testimoniales ex Oppidis Hajdonicalibus, (nisi ex Comitatu ferantur,) sic et Siculi pro Nobilibus, ideo tantum quod Siculi sint, haberi non debent. 10. Ante publicationem Armalium, Coloni quidem Manumissionales; Liberae vero personae Testimoniales super libertate producere debent, et sic Protocollo inferi. 11. Extraneorum non Indigenarum Armales cum circumstantiali Informatione Consilio submittendae. Tandem jubetur Investigatio necdum finita; hac norma finiatur finita vero ad hanc aeque reducatur, et sic submittatur.

De Dato 27. Sept. 1730 Dubios sub legitimatione constitutos usque finalem Resolutionem in praehabito usu relinqui, si quibus ne fors dubiis Testimoniales extradatae essent, repeti et recipi ab illis, et probas eorum in Generali Congregatione ruminari, et cum opinione, rationibusque opinionis sub subscriptione V. Comitis, Notarii, Judlium et Jurassorum submitti, interea ex Catalogo Nobilium, cui inscripti sunt, illos expungi.

De Dato 10. Oct. 1730 Nobilitatem probare volens sensu 6. 8: 1. ad Impetratorem se deducat, Comitatus probas ejus cum rationibus opinionis submittat.

De Dato 5. Dec. 1731 Conscriptio Nobilium omnium mandatur, et submissio Conscriptionis.

De Dato 29. Martii 1732 tantum Dubii investigentur, Indubitati tantum connotentur.

De Dato 16. Aprilis 1732 Collateralis Inquisitio non sufficit, verum autenticata.

De Dato 16. Sept. 1732 priora utpote 10. Octobris 1730 urgentur, et Inquisitio autenticata, et Investigatio.

De Dato 1. Febr. 1735 1. Nobiles Indubios, id est, qui per Comitatum pro talibus habentur, et avitam haereditatem in Comitatu habent, licet illa exciderint, vel illam vendiderint, et de quibus nihil constat, quod Palatinales Donatarii fuerint, absolvit a productione Privilegiorum, et ulteriori proba. 2. Qui Armales producit, vel eas se perdidisse legaliter probat, non tenetur Genealogiam nectere ad primum Impetratorem, verum 60 annorum Usus sufficit. 3. Transylvani per legitimos Principes

Tranſylvaniae Donatione, vel Armalibus nobilitati, et qui ad hoc Regnum Hungariae ſubſeque migrarunt, pro veris, et indubitatis Nobilibus habeantur. Aeque in Comitatibus, Partium nomine vocatis Donationes, et Armales ſupra dictae acceptantur. (Partes vocantur: Comitatus Maramaros, Bihar, Közep-Szólnok, Krafzna Kövár, ex quibus jam aliqui reincorporati ſunt Regno. In Judiciis vero Partes vocantur Fora V. Comitum, et Judlium.) 4. Illis admittitur ut ad Protocolla Comitatuum, et Regeſtra in facto Nobilitatis ſuae recurrere poſſint, qui Genealogiam ad Impetratorem nectunt. 5. Extranei poſteaquam vel civilem, vel colonicalem Conditionem amplexi ſunt, et Onera Regni ſupportarunt, ſicut alii Hungari per Armales nobilitari poſſunt. 6. Donatarius quiscunque ſive ob neglectam Statutionis a Contradictione deputationem, ſive ob vim potentiorum non potuerit ingredi Poſſeſſorium, pro vero Nobili non habendus, verum qui intravit ad edoctionem manumiſſionis Dominalis non cogitur, et licet Bona ſibi donata, et poſſeſſa qualitercunque amittat vel vendat, manet Nobilis. Denique ut Genealogia extractu Matriculari probari poſſit reſolvitur.

De Dato 30. Maji 1747 idem quod dd. 22. Sept. 1730.

De Dato 21. Julii 1785 qui nihil probant illos Contributioni ſubjici, ad uberiorem probam relegatos usque Reſolutionem in Statu quo relinqui.

De Dato 20. Novembris 1755. De Extraneis ut ſupra, verum recentium Armalium paria ſub mitti.

De Dato 10. Maji 1771. Matriculationis iisdem terminis et lingua, uti in Matricula ſtat, extra-

dandae

dandae, et producendae. Comitatus ad quem aliquis velut ad locum originis pro Testimonialibus recurrit, neque erga Inquisitiones solas, neque erga Matricularem probam ausint extradare Testimoniales super connexione cum Familia in loco originis existente, nisi Instans de gradibus generationis probas coram eodem Comitatu, in quo Gradus illi enati sunt, praestiterit, et tam super eo, quam et qualitate Usus vel non Usus inde ad locum originis Testimoniales tulerit.

De Dato 30. Maji 1774. Normalis Investigatio abrumpitur, et ad ordinariam viam Juris Dubiorum Nobilium negotium relegatur, ut supra diximus: ita tamen ut probae absque Consensu Principis nunquam pro validis habeantur.

De Dato 19. Januarii 1776. Nihil novi, nisi quod in Processu dicto, Resolutiones supra recensitate observentur.

De Dato 8. Martii 1781. Testium aetatem in Processibus Legitimatoriis non circiter, verum determinative exponi. Armales vitiatae recipi, et repeti, Consilio referri, ut et deficientium Armales.

De Dato 29. Martii 1781. Processus contra Dubios moveri, finitus sub autentico, et subscriptione praesentium Judicum submitti.

De Dato 19. Julii 1781. Acta Processualia, in Origine producantur, in Judicio praesente Fiscali per Notarium vidementur, ita submittantur cum Processu, suspecta vero in Origine.

De Dato 25. Maji 1781. Idem quod supra, addendo, ut si suspectum Documentum in Origine submittitur, tunc et Processus in Origine submittatur.

tur. Tandem ut autenticatio non in Margine Inquisitionis, verum clare cum praeambulo locum, tempus, et praesentes indigitante scribatur.

De Dato 9. Julii 1781. Ut in Processibus post 1774 institutis Religio quoque apponatur.

De Dato 31. Jan. 1782. Testimoniales extradari vetantur ante Processus in autentico submissionem.

De Dato 22. Sept. 1783. Casus de Transylvanis praecipue Siculis, et Testimoniales eorum cum omnibus Actis semper Consilio referantur.

De Dato 1. Julii 1784. Formalitates hae observandae in Processibus Legitimatoriis: 1. Matricularum Verba, et Termini Testimonio inferendi. 2. Fine Legitimationis quilibet ad Locum Originis inviandus. 3. Religio exprimatur. 4. Testium aetas exprimatur, si resciri non possit, causa adjiciatur. 5. Documenta in origine producenda, quae exceptionem non patiuntur, in vidimato, suspecta vero in origine submittenda. 6. Autenticatio non marginaliter ponenda. 7. Expeditio Processus sub autentico, et per omnes Judices subscripto.

De Dato 21. Octobris 1785. Quia nunquam absque Consensu Principis Testimoniales extradari possint, ideo admittitur, ut post ejus approbationem etiam ex Particulari Congregatione possint Testimoniales extradari.

De Dato 17. Februarii 1792. Ne Comitatus ulli extradent Testimoniales ante Ratificationem Regiam, nisi talibus, de quorum Nobilitate nulli subsumtioni obnoxia, palam, et publice constat; de quibus vero non constat, illi coram Deputatione,

tione, vel vero formali Processu se legitiment, et Acta submittantur.

De Dato 5. Octobris 1792. Ante faciendam Regi Relationem, tantum illis licet extradare Testimoniales, qui ad publicam Comitatus notitiam in imperturbato Nobilitatis Usu, aut etiam in actuali, aut virtuali Jurium possessionariorum Paterno-Aviticorum possessorio sunt, et quorum nobilitas nulli crisi obnoxia est. Secus, de quibus nempe hactenus clare non constitit, verum ex probis rescitur, licet illae clarae, et sufficientes sint; tamen Regi referri debent. 2. Dubii, sive sint in Usu, sive non, ante Resolutionem in Statu quo relinquendi. 3. Legitimatio semper coram Sedria currat, non coram Deputatione.

De Dato 1793. In Inquisitione super Nobilitate Puncta Deutri non debent esse informativa.

Quod in Resolutione 1. Septembris 1725, post Tit. 16: nae dicatur probari Nobilitatem Expeditoriis, seu Quietantia super Exsolutione Quartalitii 100 annos transcendente, hoc cum grano salis accipiendum videtur, nec valet in his Casibus: 1. Si Nobilitatem taliter probare volens non sit in Usu Nobilitatis, quia praescriptio non valet ad acquirendum, verum ad defendendum. 2. Si in contrarium probari possit Bonorum illorum, ex quibus Quartalitium exsolutum esse recognoscitur, Titulum, et modum Acquisitionis non fuisse talem, qui nobilitat, v. gr. si probari possit non fuisse Donatione Regia, verum Palatinali collata, aut emptitia etc. — Quia Secus sequeretur, quod etiam ex Bonis Non donationalibus debeat Quarta dari. 3. Si

in

in contrarium probari non possit, illum qui Quartalitium exsolvit, tempore exsolutionis fuisse Ignobilem. Secus Ignobilis Juris Regii praescribendi capax esset, cum tamen nec Possessorii capax sit, consequenter nec praescriptionem inchoare possit, Ergo proba illa tantum in eo fundatur, quod post tam longam annorum seriem praesumatur Bona illa Donationalia fuisse, verum si quo casu contrarium probetur, praesumptio cedere debet veritati.

Hactenus de Regni Nobilibus. Est alia Classis etiam Nobilium qui vocantur Praediales. Qui originem inde ducunt, quod quidam Praelati, certas terras, ab antiquo, pro solo Sexu masculino conferre soliti sint, et hodiedum easdem ex defectu conferant. Quales Praelati licet olim plures fuerint, tamen hodie, alii Praediales Nobiles non exstant, quam Archi-Episcopi Strigoniensis, Episcopi Jaurinensis, Episcopi et Capituli Zegrabiensis, item Abbatis Benedictorum de S. Martino in Monte Pannoniae in Comitatu Jaurinensi. Homagium cum Regni Nobilibus commune habent. A Telonio aeque uti Nobiles exempti sunt, ut etiam a Contributione, 63: 1741 et Condescensione militum, verum tantum in fundo praediali, quia si extra fundum praedialem in fundo colonicali habitent, miles ad ipsos illocatur, non item ad Nobilem Regni, ubicunque habitet. Denique Praediales Nobiles in Politicis, et Judicialibus propriis Magistratibus utuntur 14: 1567.

CAPUT

CAPUT V.

De Liberis Regiisque Civitatibus.

Civitas hic sumitur pro Communitae talium Personarum, quae collective sumptae unam personam Nobilem efficiunt, singillative autem certa Jura et Immunitates habent.

Licet inter se ratione Privilegii differre possint Civitates; tamen etiam illud discrimen inter ipsas est, quod aliae sint Tavernicales: id est, Tavernicorum Regalium Magistro in Judicialibus subsunt, et a Magistratu suo ad Sedem Tavernicalem ex Ablegatis ipsarum constantem, inde vero ad Curiam Regiam appellent. Aliae vero Personali, et Sedi Personalitiae subjacent, et ad eam appellant. Montanae vocantur illae, quae fodinas et intuitu earum sua peculiaria Jura et Judicia habent.

Civitates Liberae Regiaeque faciunt 4 Regni Statum, et quaelibet Civitas per Regales ad Comitia Regni vocatur. Omnes Causae Civium praeter Matrimoniales ad Magistratum Civitatensem spectant, qui eligi debet per ipsos Cives 36: 1725. nulla ratione habita Nationis, et Religionis sub poena 2000 fl. quae poena etiam tunc aeque Actoratu Fisci Regii desumitur, si Civitas Nobiles, aut alios quoscunque Regnicolas ab emptione Fundorum Civilium arcere, vel impedire vellet 1609: 44, sive praeemere praeextraneis, sive vero emptas jam per illos domos exsolvere, et sibi vindicare velint. 655: 34 658: 39. Statuta in medio sui facit Civitas,

vitas, quae legitime introducta Legis vim obtinent. Habet Jus Patronatus, id est Parochum eligendi, quem tamen ab Episcopo confirmari petit. Fassiones vel coram Magistratu, vel coram Exmissis celebrantur, et introductio per Exmissos ex Magistratu peragitur, Bona Civilia ex Defectu ad Civitatem devolvuntur. 1638: 35. 1549: 16; ex Nota vero ad Fiscum 1647: 87. Lex Amortisationis anno 1542: 33 est contra Civitates lata, vi cujus antiqua quidem Bona retinere possunt, verum nova illis acquirere non licet. Oppositiones in Caussis Civium locum non habent, verum Brachio mediante Sententia Executioni datur. In suspectos Nobiles in Civitate habitantes illorum Personas, et Res, habet Jurisdictionem Civitas, imo et indubitati Nobiles intuitu Fundorum Civilium subsunt Civitati, non item quoad Personam Famulitium, et res mobiles 1647: 81. Quarundam Liberarum Regiarumque Civitatum imo Oppidorum quoque Privilegiatorum Magistratus, in Nobilium quantumvis Indubitatorum Personas, et res mobiles Jurisdictionem arrogant, per idque volentibus injuriam non faciunt. Si id, quod in aliquibus Civitatibus occasione concivilitatis assumendae Nobilitari praerogativae renunciare soleant Nobiles, Conditio esset, sine qua non, facile sub Censuram Legum Nobiles Fundos Civiles emere volentes impedire prohibentium caderet. Si denique Civitas hanc suam Jurisdictionem in omnes Personas Nobiles in Civitate habitantes pariter exerceret, hoc omnino tolerari, imo aliqua Compromissionalis Judicii specie defendi. Jusque Successorium quod Fiscus

Regius

Regius in rebus mobilibus talium Nobilium habet, cum hac Jurisdictione exemplo Successionis Ignobilium non Civium in Civitate habitantium, licet Jurisdictioni Civitatis totaliter subjectorum, consistere posset, ast ut plurimum pauperiores tantum et Jurium suorum ignaros Nobiles haec Jurisdictio ferit, reliqui Praerogativis suis firmiter inhaerent, imo ipse Fiscus Regius Privilegium cujusdam Liberae Regiaeque Civitatis, vi cujus, Nobilis in Civitate ab intestato deficientis res mobiles Fisco Regio eadem Civitas contraverterat, in Curia Regia, velut Nobilium Personas et res mobiles Jurisdictioni Civitatis saltem a longinquo subjicere volens, adeoque contra Leges cum Constitutionalibus et Fundamentalibus Regni statutis in Nexu stantes emanatum, cassari curavit. Si in aliqua Causa Senatores sunt interessati, ex vicina Civitate propriis Senatus expensis feruntur Senatores pro Caussa discutienda. Vagabundos et Impossessionatos Nobiles inflagranti deprehensos capit et punit Civitas. Possessionatos vero resignat Comitatui. Judex Comitatensis quoad Eosdos Civiles nullam habet Jurisdictionem. sed tamen de rebus mobilibus Nobilium potest Executionem facere intra maenia quoque Civitatis, quae si non admittatur, ipso facto ad Bona Civitatis dirigitur Executio 1647: 93. Vina Nobilium ubicunque procreata in Civitates libere invehuntur, imo ubi in usu fuit, vasatim divenduntur aut educillantur eo magis vero in Territorio Civitatis procreata 19. 1647. 36: 1715. Si Senatus vel Communitas nomine collectivo patret violentiam, ita convicitur, uti unus

Nobilis, Cives vero assumpti vel missi aeque singillative sicuti Nobiles, Subditi vero Civitatis, vel Servitores non Cives, Juri coram eodem foro statuuntur, et in homagio illorum Civitas convincitur. 71: 1648. 18: 1649. Cives vero ex instinctu, suo violentiam aut actum majoris Potentiae patrantes, coram Magistratu Civico puniuntur in poena violentiae, contra Colonos veto vel Servitores Civitatis impensio petitur a Magistratu 84: 655. Si vero Judex vel Senatus Actum majoris potentiae patraverit coram Tabula Regia convincetur 19: 3ae 81: 1647. 36: 1715.

De Civibus singillative adhuc observatur: quod in homagio aequiparantur Nobilibus 9: 1ae, sed plerique opinantur, quod non Homagium integrum, id est 200 fl. constituens, (quod alias etiam mortuum dicitur,) verum vivum, id est, medietas mortui intelligatur, praeterea haec aequiparatio fors tantum inter Cives habet locum, non vero quando Lis inter Civem et Nobilem est. A Teloniis et Tricesima aeque uti Nobiles exempti sunt. 39: 1563. 28: 1741, id est, a rebus propriis licet quaestum cum illis excerceant non solvunt Telonium, verum ab emptis pro quaestu solvunt. Tricesimam vero tantum ab illis rebus non solvunt, quae pro suis propriis Usibus inducunt vel educunt 14: 1723. Intuitu fundi quem sub Domino nefors Terrestri possident subsunt ejusdem foro, uti etiam si quid in tali Territorio deliquerint, v. gr. Damna intulerint per Dominum Terrestrem punniuntur 19: 1ae. Praescriptio ratione Fundorum Civilium uno anno et die absolvitur, Inhibitiones et Protesta-

testationes coram Magistratu interponendae, si ille non acceptet, et non inprotocollet, coram Judice Regni Ordinario fieri potest. Actoratu proprio et personali praeter Contractualia Civis dum Nobili litigare non potest, verum Magistratus Civitatensis pro illo.

Cum Civitas sit Persona Moralis et Nobilis, hinc, sicuti reliqui Nobiles, subest Comitatui, et illius Determinationibus semet accomodare tenetur. 68: 1715, v. gr, in limitatione pretii Carnis etc. Civitates Tavernicales gaudent proprio Jure Municipali, quod in quibusdam a Communi Jure Hungarico recedit, sic etiam Montanae Civitates in Montanisticis habent sua peculiaria Jura et Judicia, pro Caussis non Civilibus verum Montanisticis, quae Jura sub Maximiliano Rege collecta et 208: 1723 confirmata sunt. Praecipue notandae sunt VII. antiquae Civitates Montanae, utpote: Cremniczium, Schemniczium, Neosolium, Baka-Bánya, Uj-Bánya, Veterosolium, Nagy-Bánya, quae Caussas Motanas appellant ad Comitem Camerae, qui est Praeses VII. illarum Civitatum, inde via supplicationis ad Regem imo etiam in Civilibus multa, habent sibi propria, et a Jure Communi diversa, praecipue ubi Jus Hungaricum expresse non praecipit, quaedam ex Jure Imperiali et Saxonico hucdum retinent. Sunt etiam tales Montanae Civitates, quae etiam quoad Montanistica directe ad Tabulam Regiam appellant. Sed hoc dolendum, quod de his et similibus municipalibus Juribus et Localibus Consvetudinibus parum sciunt illi, qui in talibus non versantur.

CAPUT VI.

De Libertinis.

Libertini seu Liberi Homines, sunt tales Personae Ignobiles, quae nulli Domino stricta Obligatione sunt obnoxiae. Sunt: 1. Integrae Communitates, atque adeo Personae Morales, quae vel nullum Dominium Terrestrem habent, vel licet, Habeant non tam stricta obligatione subsunt Domino. Quae nullum Dominum Terrestrem habent, licet pleraeque ex Nobilibus Donatariis initio coaluerint, tamen cum, illi successive nobilitate personali exuti sint, etiam ipsae Communitates Peculiis Coronae annumerari et ita tractari ceperunt, v. gr. Hajdones. Aliae vero ab Antiquo jam Peculia Coronae fuerunt, v. gr. Jazyges et Cumani. Quae vero Dominum Terrestrem habent, vel sunt Coronalia Oppida vel Regalia et Reginalia vel Episcopalia vel vero Privatorum Dominorum. De his Posterioribus tenendum, quod secundum Privilegia tractari debent, quae si non observentur, movent Processum coram Tabula Regia contra Dominum Terrestrem. Habent proprios suos ordinatos Magistratus (si nempe Privilegium ita extensum sit,) et coram illo fluunt Processus, inde appellant ad Dominum Terrestrem. Quaedam vero Oppida directe ad Sedriam appellant. 74: 1723. Si vero Privilegio ordinatos Magistratus non habent, nonnisi precario Jure, ex conniventia Domini Terrestris, Judices locales, litigiosas res dijudicant.

dicant. Uti etiam absque Privilegio Limites inter Communitates et Dominum Terrestrem ducentes Communitates ad Classem Colonorum recidunt; et vel secundum Contractus vel Urbarium Praestationes faciunt.

Hajdones, Jaziges et Cumani collective sumpti jam indubie sunt Nobiles quia in Dieata Votum et Sessionem habent, singillative sumpti sunt Ignobiles, verum etiam Nobiles multi ibidem Bona possident, super quibus si Lis enascatur; ut etiam qualescunque Ignobilium ibidem degentium Lites, coram Magistratu Oppidano fluunt, inde vero ad Districtum, ab eo autem Hajdones ad Tabulum Regiam Jaziges et Cumani autem ad Palatinum appellant. Fassiones et Intabulationes Debitorum coram Magistratu locali peragunt, quia separatas a Comitatibus Portas habent, id est, non cum Comitatu nec per Comitatum dicantur. Sed talia Loca licet privilegiata quae Portarum connumerationem in Comitatu ingrediuntur, nec coram Magistratu Oppidano, nec coram Sede Dominali valide peragunt Intabulationem, verum illam coram Comitatu debent peragere. Id quod de Ecclesiis Civitatibusque diximus, quod Bona nec titulo pignoris possint acquire verum antiqua retinere valeant, idem etiam de Hajdonibus etc. et omnibus Cummunitatibus intelligendum est, tam ex identitate rationis, quia nunquam deficiunt talia Corpora, quam ex 68. 1635. 17: 1647. 16: 1715, et excitatis alibi Legibus, verum Nobiles in talibus Communitatibus degentes possunt acquirere, uti et Ecclesiastici. Ignobiles, sive singulares Personae, sive Communi-

tates

tates si acquirant, id observandum, quod sub Indigenatu diximus, quod quidem etiam ad Ecclesias et Communitates Nobiles vi Legum supra citatarum extendi debet.

Nobilia Corpora et Communitates Nobiles si violentiam patrent, puniuntur ut unus Nobilis coram V. Comite. 67: 1638. 43: 1655 et aliae sub Civitatibus citatae Leges, uti etiam Oppidani missi singillative et seorsive ad ejusdem Forum citantur, et in Homagio ipsorum convincuntur, si vero ex suo instinctu faciant, violentiam Ignobiles talis Oppidi Incolae absque influxu Communitatis, coram Magistratu Oppidano in poena violentiae, id est, Homagio suo convincuntur, Nobiles vero ibidem degentes coram V. Comite. Ignobiles Communitates Privilegiatae aeque coram illo Foro conveniendae sunt, quo Nobiles. Non privilegiatae vero coram Sede Dominiali. Ceterum quoad varia Loca privilegiata, Usus Locorum sciri debet, qui est valde varius, prout et Privilegia illorum.

s. Singulares Libertini. Nisi habitent in Civitatibus et Oppidis privilegiato et ordinato Magistratu gaudentibus, coram eodem Judice conveniuntur quo Nobiles, et illis in investituris et meliorationibus etiam tunc Fiscus succedit si in Fundo Dominali habitent, verum si sub Contributione sint absque scitu Comitatus non possunt migrare ex Comitatu. Jure materno vel uxoreo Bona possidere possunt; Secus non, et si ex talibus Bonis patrent violentiam ita convincuntur, sicut Nobiles, id est, in 100 fl.; verum si ipsis inferatur violentia, nonnisi 40 fl. et repositionem ac damna et expensas

pensas acquirunt, nec possunt ad revindicationem Materno-Aviticorum Bonorum agere Juris processu, vel Invalidatorio, verum tantum Pignoratitio et Successionali, idque proprio actoratu, ut et in Contractualibus, in aliis vero sub actoratu Fisci Magistratualis solent agere coram Judice Incatti.

Libertini, alias Agiles vocantur, quod libere abire possunt quo volunt, si in Fundo Dominali habitent, intuitu Fundi subsunt Domino, verum si se Jurisdictioni quoque Dominali subjecerunt, et illius Judicatum in Personalibus, et aliis cum Fundo Dominali nihil commune habentibus agnoverunt, recidunt ad Classem Colonorum.

Judaei solvunt pecuniam Tolerantiae. Ab Officiolatibus arcentur a paritate 24: 1222. pariter Teloniatores esse non possunt, aut Telonium exarendare 15: 1615. Arcentur praeterea a quaestu cum Vino in Submontanis exercendo ut et Armeni et Rasciani, sub poena Confiscationis, 29: 1741. Verum jam Graeci-Ritus non uniti per 27: 1791. reliquis Regnicolis aequales redditi sunt. Judaei Christianam, aut Christiani Judaeam ducere non possunt. S. Ladisl. L. I. Cap. 10 in Croatia, Sclavonia et Dalmatia, ut et in quibusdam Civitatibus non poterant commorari et habitare 19: 1729 sed per Josephum admissi sunt, qua facultate modo provisorio hucdum utuntur, 38: 1791. verum ad Montanas Civitates accedere non possunt.

De Extraneis notandum est, praeter ea, quae supra dicta sunt, quod subsunt Judici Loci, in quo degunt vel Fundos possident, et a talibus contribuere debent, ut et ab aliis suis facultatibus, si

nempe

nempe his constans commercium exerceant 64: 1723. Transeuntes quoque subsunt Loci Judici ubi comprehenduntur, et secundum Regni Leges judicari debent. A Capitalium apud Hungaros existentium Interusuriis non solvunt. Liber Extraneorum Mercantilis, apud nos eundem valorem habet, quem Foris, et ita cum illis proceditur, sicuti Foris ubi nempe confecti sunt.

Jam agendum de Personis, quae non sunt sui Juris.

CAPUT VII.

De Patria Potestate.

Patria Potestas et Jus proles educandi, Actiones et Bona eorum dirigendi. Est duplex: alia Naturalis, cujus fundamentum est obligatió educandi et generatio, et quae ex ipsa Natura et fine societatis parentalis intelligitur. Alia est Civilis, quae ex Legibus Civilibus intelligitur, et vel maxime circa Bona et Successionem Bonorum versatur. Imo et ipsam naturalem patriam potestatem uberius declaravit, et sancivit Lex nostra Civilis, et media illam exercendi suppeditavit, adeo ut jam etiam Lege Civili obligentur Parentes: Recte educare, Secus castigantur per Comitatum vel Consilium 105: 1723. Punire possunt suos filios moderate, imo etiam incarcerare 1ae 51. excessuosae

proles

proles vero, et quas Parentes corrigere non possunt, auctoritate Magistratuali compescuntur 111: 1723.

Parentes possunt proles suas Obsides hosti pro se dare 1ae 51. §. 3. Tutores illis constituere, Bona eorum, tam quae actu filii habent, id est, aliqua ratione acquisiverunt, quam illa in quibus utpote avitis filii post mortem patris succedent in utilitatem suam convertere imo et ipsis aviticis onera, id est, debita inducere, onera filiorum assumere, id est: alienare, quam alienationem proles nonnisi post mortem patris alienantis invalidare, et pro pecunia Bona rehabere poterunt. 1ae 51, 58, 59 possunt ex acquisitis semper exhaeredare, ex aviticis vero ad divisionem cogere proles suas attacta legitima aetate in his Casibus, 1ae 52: Si Parentes suos verberent, propter quod etiam actione Criminali, pro re nata etiam ad poenam mortis ex 11: 1723 conveniuntur. 2. Si extra Crimen Laesae Majestatis Parentem criminaliter accusaverint. 3. Si vitae Patris insidientur. 4. Si malefactoribus semet associaverint, et cum illis perseveraverint. 5. Si Parentem Captivum non redemerint, vel pro illo non fidejusserint. Proles etiam possunt Parentes suos ex aviticis ad divisionem cogere 1ae 52. 1. Si Pater Bona avitica dilapidet, vel illa desolari permittit. 2. Si sine justa caussa crudelis sit. 3. Si Filium perfectae aetatis absque ratione ducere non permittat. 4. Si Filium ad pecandum cogat. 5. Si cum Consensu Patris vel Superioritatis duxit, et Pater intertenere non vult.

Verbö-

Verböczi citato 53: rae dicit: quod si praeter Causas praespecificatas, item, in Casu ultimo loco specificato, Divisio inter Patrem et Filium fiat, etiam acquisita substerni debeant, quia, ut dicit, Pater Filio et Filius Patri naturali Jure acquirere tenetur, verum hoc fors tantum svasorio modo dicitur, non obligativo, quia secus ob eandem rationem, nec Testamento vel Donatione inter vivos liceret acquisita alteri dare, atque hoc licet, ergo non necessario debent substerni.

Quamvis Naturalis Patria Potestas, utrique Parenti, aut illis non existentibus, avo et aviae paternis et maternis aequaliter competat, cum omnes illi aequaliter obligentur educare, adeoque aequale Jus educandi habeant; tamen, sive ideo, quod Parentes possint ita inter se convenire ut unus tantum exerceat patriam potestatem, sive vero ideo, quod (quemadmodum Verböczius dicit) Proles, Patris, non Matris Conditionem sequantur, Patriam potestatem Patri, aut in defectu illius, Avo Paterno, et non Materno tribuit Verböczius. Verum hoc non est ita intelligendum, quasi per illam Civilem Legem, Naturale matrum Jus et Nexus inter ipsas et proles cessaret, sed ita, quod cum ordinarie Patres ad exercendam illam potestatem aptiores sint, illis per excellentiam exercitium illius tribuatur, ita tamen ut neque Matri expresse auferatur: Avo Paterno vero ideo tribuitur, quod ad illius et non Avi-Materni familiam liberi pertineant, et illius conditionem sequantur. Quatenus vero Patria potestas mere Civilis est, et effectus Civiles producit, indubie tam matri quam pa-

tri,

tri, et avo vel aviae tam maternis quam paternis competit, quia quod Pater vi patriae potestatis possit Bona sua etiam avita alienare, illis onera inducere, hoc etiam Mater et Avus vel Avia materni possunt in suis Bonis, deinde quod filii sub Patria potestate existentes de Bonis paternis non possint disponere, hoc etiam de maternis verum est. Tandem, ex 1ae 56. §. a, patria potestas perseverat et extinguitur cum Jure succedendi, quod et inde apparet quod tantum in legitimas proles, quae nempe solae Jus Succedendi habent, haec Civilis Patria potestas competat, et quod Jure succedendi ob aliquod Delictum v. gr. Notam ruente ruit Patria potestas, jam vero et matribus succeditur, ergo si Patria potestas in Bonorum successione fundatur, et cum illa ruit sequitur et matres habere patriam potestatem. Nec obstat quod expresse sola Tutela tribuatur matribus, quia illam in Bonis defuncti mariti habent, in propriis vero Patriam potestatem. Sic etiam Patri tribuitur Tutela, sed non in propriis verum in defunctae uxoris Bonis. Non obstat porro quod ipsa Mater sit in mariti potestate quia non est in illa, et eo minus Bona uxoris sunt in mariti potestate, nec alia distinctio inter maritos et uxores est, quam quod Nobilium uxores gravius persequatur Lex ob adulterium quam viros, id est, in arbitrio maritorum est illas morte plectere vel absolvere.

Patria potestas non tantum in proprias proles, verum etiam in Nepotes et Neptes exercetur, si patres illorum adhuc in Patria potestate sint, vel obiverint, licet jam ante mortem ex potestate patria ipsi excesserant. Cessa

Cessat patria potestas: 1. Morte naturali, verum saepe post mortem illius, qui patriam potestatem habuit, recidunt proles in alterius patriam potestatem, v. gr. si relinquat proles qui ipse fuit sub patria potestate, illae proles in avi potestatem recident, vel si avus, tam in proles suas, quam in Nepotes patriam potestatem habens moriatur. Nepotes in Patris ipsorum patriam potestatem recident. 2. Morte Civili, v. gr. per infamiam vel captivitatem, (sed postliminio poterit recuperari,) per crimen vel notam, licet vitam ex gratia Principis retineat, et Bona sua recuperet, quia jam in illis filii non succedent, nisi expresse illis etiam de novo conferantur, per furorem vel amentiam illius qui patriam potestatem habuit. 3. Auctoritate publica propter malam educationem. 4. Per Divisionem, quia in Bona filiis extradata pater nullum amplius Jus habebit. 5. Per Emancipationem, ubi nempe nulla Bona dividenda adsunt, quae ita fit, si filius a patre recedat, et se proprio marte alat. 6. Per Emaritionem, verum si quae tali nubat qui est adhuc sub patria potestate, et uxor erit sub eadem, imo si quis ducat, et uxorem sequatur ad Domum soceri, tunc et uxorem et illum sub soceri, et respective patris, potestate esse aliqui existimant.

Cum Patria potestas Civilis nonnisi in proles legitimas competat, hic agendum de Justis Nuptiis.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Matrimonio.

Matrimonium seu Contractus procreandae et educandae Sobolis causa inter Personas diversi Sexus initus, aliter consideratur Jure naturali, aliter Jure civili. Quia quemadmodum ad Matrimonium ut Lege naturali validum sit, nihil requiritur praeterquam tales Personae quae consensum suum declarare possunt, et reipsa libere declarant, et ad procreandam educandamque sobolem aptae sunt, ita ad illud dissolvendum aeque Lege naturali sufficit mutuus ad dissolvendum, si nullae proles adsunt, vel jam educatae sunt, Consensus. Verum cum Respublica naturalem Civium libertatem exigente salute reipublicae restringere possit, potest etiam Matrimonialibus Contractibus certas formalitates et Leges secundum quas ineantur, praecipere et impedimenta ponere. Sed prius videndum est de Consanguinitate, et modo gradus in illa computandi.

Consanguinitas est Connexio Personarum a Commune stipite descendentium, quae connexio si a maribus profluat vocatur **Agnatio**, si vero a feminis, vocatur **Cognatio**, in utraque sunt **gradus**, id est, Distantia personaram a Communi stipite, et **lineae**, seu series personarum a communi stipite descendentium. Linea in Consanguinitate est vel **recta**, id est, series talium personarum quarum una alteram genuit, ut sunt Descendentes, et Ascendentes v. gr. pater, filius, nepos, etc. Vel **obliqua seu colateralis**, id est,

series

series talium personarum, quae a Communi quidem stipite descendunt, quarum tamen una alteram non genuit, et semper constat ex duabus vel pluribus lineis rectis a communi stipite descendentibus. v. gr. Pater habet duas proles, hae desinunt in communem patrem, verum statim in duas lineas abeunt. Collateralis linea iterum est duplex; vel aequalis quum nempe utraque recta linea ex quibus collateralis constat totidem numero personas habeat. Vel inaequalis, cum, in alterutra linea plures sunt personae. Regulae computandi gradus in linea recta est haec: Tot sunt gradus quod personae una dempta, sic: nepos, secundo gradu distat ab avo, quia tot sunt personae una dempta. Regulae vero computandi gradus in linea collaterali sunt duplices: 1. Juris Civilis Romani pro utraque collaterali linea, sive aequali sive inaequali est haec: Tot sunt gradus quot personae in utraque linea, una dempta, secundum hanc ergo non datur primus gradus in linea collaterali, quia duo germani fratres in secundo gradu erunt sibi consanguinei, quia tot sunt personae una dempta, id est, patre dempto. 2. Juris Canonici regula pro collaterali aequali est haec: Illo gradu distant inter se, quo uterque distat a Communi stipite, sic nepos a nepote secundo gradu distat, quia uterque eodem gradu distat a Communi stipite, pro inaequali vero est haec: Illo gradu sunt inter se Consanguinei quo remotior distat a communi stipite. Sic fratris filius, fratri patris sui secundo gradu est Consan-

guineus, quia secundo gradu distat a communi stipite, nempe ab avo suo.. Rgulae Juris Canonici obtinent in computandis gradibus lineae collateralis in omnibus matrimonialibus et cum illis connexis caussis, licet etiam illa connumerandi ratio multis difficultatibus obnoxia sit, quae tamen saltem quoad Evangelicos utriusque Conf, ut infra videbimus, cessant,

Affinitas, est connexio inter Conjugem unum et alterius consanguineos, non item inter consanguineos duorum Conjugum. Regula computandi gradus Affinitatis est haec: Quoto gradu, est quis uni Conjugum consanguineus illo gradu est alteri conjugum affinis. Sic frater meus et frater uxoris meae non sunt sibi invicem affines, verum ego sum affinis omnium Consanguineorum uxoris meae, et illa meorum, et quidem frater vel soror uxoris meae in primo gradu est mihi affinis, quia in primo gradu est consanguineus uxori meae,

Tum Consanguinitas quam affinitas prout vel ex copula licita vel illicita resultat, est vel Legalis et licita, vel Illegalis et illicita.

Apud Catholicos est adhuc Cognatio Spiritualis, quae enascitur ex Baptismo et Confirmatione, inter baptisantem baptisatum baptisatique parentes, inter levantem levatum levatique parentes, confirmantem, confirmatum, confirmatique parentes, haec in Agriense Dioecesi Impedimentum Matrimonio non ponit.

Matrimonium praecedere solent Sponsalia, seu pacta, de ineundo matrimonio, quae quemadmo-

admodum omnia pacta vim obligandi habent, si rite facta sint, et nonnisi vel mutuo dissensu vel conditione, sub qua facta sunt, non impleta, vel ob perfidiam alterutrius partis, uti quaelibet pacta tolluntur, verum haec tantum ex Lege naturali, quid vero positivi circa sponsalia obtineat jam videbimus.

Nempe: Posteaquam Matrimonialia Protestantium Negotia, eodem foro, nempe Spirituali Catholicorum tractata fuissent, Josephus II., quoad omnes Regnicolas, die 6. Martii 1786, dedit Regulationem Fororum Ecclesiasticorum, et rerum matrimonialium, quae tandem Anno 1791 Articulo 26 §. 11. quoad Protestantes modo provisorio stabilita est, vi cujus.

1. Sponsalia prorsus cassantur, et qualitercunque inita, quibuscunque cerimoniis, si vel ipsa impraegnatione firmata, pro invalidis declarantur, (pro foro videlicet externo, quia in Conscientia, pro foro interno, pro foro Divino, eo magis servari debent, quo magis quis illa confirmavit).

2. Matrimonium per Personas imperfectae aetatis absque consensu Patris, vel illo non existente avi Paterni, aut illis consentire nolentibus Judicii, vel Tutoris simul et Judicii, aut personae Christianae, cum non Christiana initum, est ipso Jure nullum, sic,

3. Personae conjugatae durante priori matrimonio initum secundum matrimonium est nullum.

4. Illarum personarum, quae in secundo gradu sunt sibi consanguinitate seu licita seu illicita, vel affinitate verum licita junctae, vel potius quoad

Con-

Consanguineos quidem in Linea recta in infinitum, in Collaterali vero matrimonium fratris cum sorore, fratris vel sororis cum filio vel filia alterius fratris vel sorois, demum inter proles fratrum et sororum, quoad affines vero matrimonium mariti cum sorore uxoris, aut filia fratris vel sororis uxoris mortuae, matrimonium viduae cum fratre mariti, aut filio fratris vel sororis mariti mortui, est nullum, cum reliquis omnibus personis declaratur pro valido, (salvo tamen 11: 1723. quoad lineam rectam affinitatis permanente.)

5. Matrimonium inter rapientem et raptam, nisi rapta deinde in loco securo constituta, consenserit.

6. Illarum personarum, quarum adulterium ante contractum Matrimonium edoctum et judicialiter probatum erat.

7. Illarum personarum, quae Conjugem priorem partis unius occiderunt, aut occidi procuraverunt, licet tantum una pars conscia necis fuerit.

8. Militis absque scitu superioritatis licet in exteris provinciis initum matrimonium, aeque nullum est.

9. Ut etiam matrimonium illorum qui mentis compotes non sunt, nisi lucida intervalla habeant.

10. Sic si error quoad personam intercedit, licet accidentalis tantum sit, et qualitates tantum personae tangat, modo consensus expresse ad illam qualitatem restrictus ab altera parte sit, altera pars vero illam qualitatem falso simulaverit.

11. Si gravida fuit mulier, et hoc maritus nescivit, ac ubi primum rescivit Judici indicavit.

12. Si consensus vi, metu, errore procurratus est, nisi postea pars laesa expresse vel tacite consenserit.

13. Si trina promulgatio, aut Political fori v. gr. V. Comitis vel Judicis Civitatensis, inter Jaziges, et Cumanos, Capitanei dispensatio non intercesserit.

14. Si impotentia antecedens, id est tempore contracti matrimonii praeexistens, et perpetua clare prodiverit, quia si dubium sit, ita ad triennalem cohàbitationem stringendi erunt, si et tunc dubium sit, vinculum matrimonii dissolvitur, impotentia vero temporalis aut post initum matrimonium enata vinculum non solvit.

15. Si alterutra Conjugum adulterium commiserit, aut vitae alterius Conjugis insidias struxerit, rumpitur vinculum Judiciali auctoritate pariter.

16. Si alteruter Conjugum malitiose deseratur, et deserens ad trinam Edictalem Citationem non compareat.

17. Si irreconciliabile odium inter Conjuges fuerit, et nec per praeviam a thoro et mensa separationem in amicitiam rediverint, imo utraque pars vinculum solvi cupiat, et de prolibus provideatur, qua occasione, etjam omnes mutuo formandae praetensiones Judicialiter decidendae sunt, verum mulier intra aliquot menses nubere non poterit, propter prolem nefors e priori matrimonio conceptam, sed nec vir nec mulier matrimonium nefors cum diversis personis inire volentes, absque producta de prolibus provisione copulari poterunt.

18.

18. Per Plenipotentiarium poteſt iniri matrimonium, ſi plenipotentia ad matrimonium determinatae alicujus perſonae reſtricta, et tempore contracti matrimonii non revocata fuit.

19. Matrimonium coram Paſtore, vel homine per illum loco ſui miſſo et adhuc duobus teſtibus, debet contrahi.

20. Separatio a thoro et menſa ob duros mores etc. Tantum ita fit ſi prius Paſtor tentavit Conjuges reconciliare, et inter ſe quoad omnes praetenſiones convenerunt, et de prolibus proviſio facta eſt.

21. Promulgatio et Copulatio circa Matrimonia in exteris Regnis inita, talis ſufficit qualis ibi ſolet adhiberi.

Quoad Regulationem dictam obs. Quod Impedimenta Impedientia, quae impediunt quidem matrimonium inire, verum ſi initum eſt illud ſtare permittunt, et tolerant, atque Impedimenta Dirimentia, quae matrimonium etiam initum caſſant, non claſſificet, adeoque quaedam illius puncta cum grano ſalis, naturae rei, Legibus Regni aliis, et Principiis uti 26: 1791 dicit Evangelicorum convenienti modo ſunt accipienda, nam impoſſibile eſt eam fuiſſe Legislatoris ſive Joſephi II. ſive Diaetae Anni 1791 intentionem et mentem ut matrimonium cum ſorore, aut per perſonam Conjugatam durante priori matrimonio initum, eodem numero et loco cenſeat, quo matrimonium per talem cui neſors unus et alter menſis ad perfectam aetatem deeſt absque conſenſu Patris, aut Judicii, initum, vel vero neſors absque Promulgatione

trina vel absente a sponsalibus Pastore aut homine per illum loco sui misso, (cujus praesentia essentialiter requiritur in dicta Regulatione nec tamen observatur,) contractum, jam vero dicta Regulatio omnia haec Matrimonia pro nullis declarat, cum tamen temerarium et durum esset asserere, utrobique eundem Malitiae, et Imputationis gradum subversari, adeoque, cessante etiam in posterioribus Casibus poena, quam Incestuosis aut Polygamis velut criminalibus Lex dictavit, Matrimonium annullare, Prolesque nefors conceptas vel natas, propter violatam per Parentes ipsarum Legem mere civilem, periculo amittendae civilis existentiae exponere. Matrimonium itaque tale tolerari, verum illud contrahentibus Personis, aut etiam Ministro illas copulanti Actione Fiscali conveniendis, arbitraria pro ratione Circumstantiarum poena dictari poterit et debebit.

Processus Matrimoniales Protestantium decurrunt coram Sedria Comitatus, vel Districtu aut Civitate, et ad Tabulam Regiam inde ad Septem, Viralem appellantur. Catholicorum autem ut et Mixti matrimonii (quod semper coram Catholico Parocho ineundum est,) defluunt coram Sacra Sede Catholicorum Dioecesana, et quidem etiam tempore Juristitiorum. De Praxi hujus Fori videatur Paulus Klosius. Sententia contra Matrimonium lata, sua Natura semper haberi debet pro Appellta, nec abit in rem juducatam, ut nec Sententia pro Matrimonio lata, si nullitas ejus, vel dirimens poenale Impedimentum successive prodeat. Proles e Mixtis matrimoniis susceptae, si Pater fuerit Catholicus,

licus, omnes illius Religionem sequentur, si vero Mater fuerit Catholica, tunc nonnisi mares Patris Religionem sequuntur.

Quoad Causas Catholicorum Matrimoniales adhuc observandum est: 1. Quod ibi Sponsalia faciunt Impedimentum impediens. Ita tamen ut posterius contractum et copulatum Matrimonium non evertant. 2. Cognatio sive licita sive illicita, ut etiam Agnatio, intra quartum gradum inclusive absque praevia Dispensatione Ecclesiastica Impedimentum dirimens ponit, pariter Affinitas licita, illicita vero usque secundum gradum inclusive. Sunt etiam alia Impedimenta dirimentia, etiam quoad Vinculum, si nempe illud ab initio pro nullo declaretur, v. gr. Si Consensus non adfuit, si alteruter Conjugum Voto Solemni ligatus fuit, aut in Ordine Sacro, vel Impotentia antecedens et perpetua adfuerit, nec non inter personas addulterii reas, aut Conjugem priorem occidentes, haec enim nullitatem Contractus important, qui Contractus, nec per Subsecutum Sacramentum, id est, Copulam, potuit validus reddi, quia ad Sacramentum requiritur, materia, forma, minister, atqui hic non adfuit materia, id est, Contractus validus, ergo nec Sacramentum adest, ergo tales personae post Sententiam ducere et nubere poterunt. Si vero Contractus initio validus Sacramento roboretur, prorsus in nullo Casu poterit Vinculum solvi, id est, ut partes ducere, et nubere possint, verum separatio a toro et mensa fieri potest, v. gr. propter adulterium etc.

Cum

Cum etiam articulo 26: 1791. §. 11. Matrimoniales Evangelicorum Causae secundum principia Religionis ipsorum tractentur, adeoque maxime necessarium sit ut Adolescentes, qui Advocati, et Judices futuri sunt, imo etiam ad Legislativam Potestatem concurrere poterunt, clare intelligant, quid Sacra utriusque Testamenti Scriptura ex mente, Protestantium de rebus Matrimonialibus, utpote de prohibitis uti erronee loquuntur gradibus, de Divortiis, de Dispensationibus, de Incestu contineat, qualiter in universum Leges Mosaicae, et Evangelicae, in specie de dictis rebus sonantes comparatae sint, operae pretium me facturum, et partes Officii mei impleturum putavi, si hic loci, ista, quae Ill. Michaelis, jam separatim, jam in reliquo suo Jure Mosaico in hanc materiam scripsit, uti jam celeberrimus Lessius in Compendio Doctrina Morum Christianae; ante plures annos in Hungaricum versó, fecerat, extraxero atque ad Jus Hungaricum applicavero. Moses prohibuit ducere in Consanguinitate:

1) Matrem. 3. Mos. 18: 7. poenam non dictat expresse, ob eandem rationem, ob quam Solon parricidio poenam non dictavit, tamen ex 3 Mos. 20: 11. ubi Novercam ducere sub poena mortis prohibuit, si non graviorem, saltem eandem poenam hic quoque dictare voluisse censendus est.

2) Filiam. In Legibus de Matrimonio sonantibus, id est 3 Mos. 18 et 20 non prohibuit Moses directe, et clare hoc Matrimonium, nec fuit necesse prohibere, quia nec inter Cananaeos fuit in usu, tamen cum privignam ducere prohibuit 3. Mos. 18: 17. et quidem sub poena mortis, 3. Mos. 20:

17.

17. eo magis prohibuit implicite propriam filiam, quia etiam eſt filia uxoris, atque illam (id eſt privignam) expreſſe prohibuit.

3) Neptem, 3. Mos. 18: 10. de poena tacet, uti Solon de poena parricidii, eamque poſteritatis arbitrio reliquit, noluit tamen illud Matrimonium tolerari.

4) Sororem ſive Carnalem et uterinam ſimul, ſive Carnalem tantum, id eſt germanam, ſive uterinam tantum 3. Mos. 18: 9. poena eſt excidium e numero populi, ſeu mors. 3. Mos. 20: 17. hoc Matrimonium prohibetur etiam 3. Mos. 18: 11. non Matrimonium inter conprignos.

5) Sororem Patris, vel Sororem Matris 3. Mos. 18: 12, 13. tale Matrimonium prohibet quidem Moſes, verum ſi initum eſt ſtare permittit, et tantum arbitrariam poenam dictat, eumque levem, 3. Mos. 20: 19. praecipue ſi Carnalis tantum, vel tantum uterina ſit illa ſoror Patris vel Matris, et adhuc leviorem ſi Carnalis tantum ſit, non uterina et hoc a paritate ſororis propriae, quia licet aequaliter prohibuit uti puncto 4. vidimus qualemcunque ſororem ducere, tamen vix fieri poteſt ut eundem gradum Moralitatis ponat in ducenda ſorore germana, ſeu ut nos vocamus Carnali tantum, quam ponit in ducenda ſorore uterina, quia Inceſtum Cananaeorum perſequitur Moſes in Legibus ſuis, et illa matrimonia prohibet ſub poena mortis velut abominabilia, quae Dei vindictam contra Cananaeos irritarunt, ut illis auferat terram Johova et det Israelitis, adeoque illa matrimonia intelligit, quae etiam ante legem Moſis latam perſpicere

po-

potuissent Cananaei contra voluntatem Dei, id est contra Legem Naturalem esse, atqui ante Legem Mosis positivam etiam apud Israelitas in Usu fuit Carnalem tantum id est diversa Matre verum eodem Patre natam sororem ducere, uti exemplo Abrahami 1. Mos. 20: 12. certum est, ergo propter tale Matrimonium solum, non potuisset Deus exscindere Cananaeos, et terram eorum Israelitis velut ejusdem Delicti reis dare, ut ipse Deus dicit, ergo necessario magis imputabile debuit Moses habere matrimonium cum Sorore uterina, quam germana, ergo etiam Sororem Patris vel Matris uterinam ducere magis imputabile fuit, quam germanam, item Carnalem simul et uterinam magis quam uterinam tantum.

In affinitate prohibuit.

1) Novercam 3. Mos. 18: 8. et quidem sub poena mortis 3. Mos. 20: 21. eo non obstante, non tam abominale fuit hoc Delictum Israelitis quale esse debuisset, quia Absolon ex Consilio Viri Sapientis, ut eo magis Regnum sibi contra Patrem suum stabiliat, Concubinas illius suo usui applicavit, quin metuere potuerit, se per id animos Israelitarum a se abalienaturum, n. b. Noverca mea est affinis mea, in primo gradu, quia est uxor patris mei qui est mihi consanguineus in primo gradu.

2) Privignam, 3. Mos. 18: 17. poena est mors. Privigna mea est mihi affinis in primo gradu, quia est uxori meae in primo gradu consanguinea, quia est illius filia.

3) Privigni vel Privignae filiam. Ibidem. Poena est eadem. Est in secundo gradu mihi affinis

quia

quia est in secundo gradu meae uxori consanguinea quia est Illius neptis.

4) Socrum. Ibidem. Poena eadem, Socrus est mihi affinis in primo gradu, quia est uxoris meae mater, adeoque in primo gradu illi consanguinea.

Nurum. 3. Mos. 17: 15. sub poena mortis. 3. Mos. 20: 12. Nurus est mihi in primo gradu affinis quia est uxor mei filii, qui mihi in primo gradu est consanguineus.

6) Viduam fratris; Haec est mihi in primo gradu affinis, quia maritus ipsius fuit mihi in primo gradu consanguineus. Prohibetur hoc Matrimonium 3. Mos. 18: 16. tamen si initum sit, toleratur, poena est comminatio sterilitatis, id est, proles suscipiendae pertinebunt ad familiam mortui fratris, Ab hac lege exceptionem fecit, adeoque dispensavit Moses ipse, in Casuque infra describendo Viduam fratris ducere permisit, imo jussit, unde sequitur Matrimonium hoc non esse contra Jus Naturae, verum ex rationabilibus Caussis, sicuti Deus ipse per Mosem fecit, dispensari posse.

7) Viduam Patrui Est affinis in secundo gradu, quia fuit Conjux illius, qui mihi fuit consanguineus in secundo gradu, prohibetur 3. Mos. 18: 14. Poena est eadem, nempe Proles sequentur familiam patrui. Ex Consideratione poenae tali Matrimonio adjectae hoc elici posse videtur, quod fratris uterini tantum, aut patrui, qui patri nostro uterinus tantum frater fuit Viduam non prohibuit Moses hac Lege ducere, quia fratri tali nemo tenebatur obligatione Leviratus, id est ducere Viduam illius, nec Vidua habuit Jus ad superstitem

mariti

mariti fratrem nec frater talis exſpectativam ad Viduam, jam vero ratio Legis propter quam talem Viduam prohibuit Moſes ducere, fuit periculum ex ſpe nuptiarum oriri queuns, quod facile enaſci poterat inter perſonas tales, quae Jus, et obligationem ad ſe invicem habebant, atqui inter Viduam fratris uterini, et fratrem mariti talis Viduae, non erat illud Jus et Juri correlata obligatio ducendi et nubendi, quia frater uterinus non tenebatur fratris ſui Familiam propagare, nec proles ex tali matrimonio natae pertinebant ad familiam mortui, quod pro poena Matrimonii cum Vidua fratris ineundi a Deo poſitum erat. Ergo cum nec ratio Legis, nec poena, in Caſu ducendae Viduae fratris uterini tantum, locum habeat, illud Matrimonium Moſes vix prohibuit. Eo probabilius videbitur hoc, ſi cogitaverimus, ne fratris quidem Carnalis, aut Carnalis et uterini ſimul Viduam ducere tam ſevere prohibuiſſe Moſem, quam prohibuit inter quasdam alias perſonas, quia ut infra videbimus in Caſu defectus fratris diſpenſat ab hac Lege, jam vero ſi ita abominabile eſſet illud Matrimonium, ſicut alia quaedam Matrimonia, non poſſet diſpenſare. ſi nempe Jure Naturali prohibitum eſſet. Huc pertinet etiam matrimonium cum Sorore Patris vel Matris initum, quod pariter Moſes non ſub poena mortis prohibuit, atque, ſi initum ſit, ſtare permiſit. Ut adeo multum diverſa ratio ſit Matrimonii, cum Sorore Patris vel Matris, cum Vidua Fratris vel Patrui initi, atque reliquorum, poſterioris ordinis Matrimonia ita abominatur Moſes, ut illa ſub poena mortis prohibeat, atque non

obſcure

obscure Cananaeos etiam illis Matrimoniis iram Dei et excidium in se provocasse innuat, quod utique de prioribus quatuor Matrimoniis intelligi non potest, quod nempe propter illa Deus Cananaeos punire voluisset, quia ne Matrimonium quidem cum Sorore Carnali tantum, celebratum potuit Moses Cananaeis imputare, cum illud etiam inter antenatos Israelitarum in usu fuerit, ergo eo minus remotiora Matrimonia, quae quidem Moses prohibuit ut serviant pro repagulo et majori securitate reliquorum Matrimoniorum, verum non sub poena criminali, sed tantum Civili, ut adeo non pro Criminali Delicto habuerit illa matrimonia, imo in nonnullis Casibus a Lege illa etiam dispensaverit.

Ad Leges Mosis Matrimoniales intelligendas pertinet adhuc scire, quod Moses certas tantum personas prohibuerit ducere, non vero gradus. Jam quaeritur, an a Personis per Mosem denominatis, ad alias personas eodem gradu Consanguinitatis vel affinitatis nobis junctas, quam junctae sunt Personae per Mosem denominatae, argumentum duci possit? Nos negamus ex eo. 1. Quod si Mosis intentio illa fuisset, superfluum fuisset ipsi Matris Sororem nominare, cum jam antea Patris sororem ducere prohibuisset, quia a Patris sorore ad Matris sororem argumentum trahi potuisset, si Moses in aliis Casibus hoc voluisset. 2. Inutile et vanum fuisset in utraque Lege sua Matrimoniali, id est tam in Capite 18. quam in 20 Libri 3. easdem utrobique Personas nominare, potuisset imo debuisset exempli Causa alias Personas in Lege sua posteriore nominare, si ad illas exemplum trahi voluisset.

Sororem

3. Sororem uxoris mortuae ducere admittit Moses expresse, imo ut rem licitam praesupponit. 3. Mos. 18: 18. cum tamen si gradus respiciamus eadem sit illius ratio, quam est Viduae fratris quam ducere prohibuit. Ergo tantum Personas voluit prohibere, non vero argumentum ad alias ejusdem gradus Personas trahi. Hinc Lege Mosaica Sororis filiam ducere licet, quamvis non liceat fratris filio nubere, id est Patris sororem ducere, sic: Uxoris mortuae sororem licet ducere, quamvis non licet Mariti defuncti fratri nubere, id est, Viduam fratris ducere, sic Viduam Patrui non licet ducere, id est, illi nubere qui filius est fratris mariti tamen possum illam ducere, quae nata est a fratre vel sorore uxoris meae, aut Viduam illius qui fuit frater matris meae, aut filius fratris vel sororis meae.

Jam quis usus horum videamus. Lege Civili aut Ecclesiastica etiam Casus per Mosem admissos prohiberi, et Catholicos quidem a Pontifice, Protestantes vero in Casibus per Mosem admissis sed per Civilem aut Ecclesiasticam Legem prohibitis per Principem dispensari posse nullum dubium est. Imo Catholicos etiam quoad Casus per Moisem prohibitos dispensari posse Concilium Trident. Sess. 24. Canone 3 dedicit: Si quis dixerit non posse Ecclesiam in nonnullis gradibus Levitico expressis dispensare Anathema sit. Quod aliqui Casus ibi expressi revera Dispensabiles sint jam videbimus.

Eruditissimi quique Evangelicorum utriusque Conf. Theologi ex quibus supra laudatum Lessium,

ſium, veluti omni ſuſpicione et exceptione majorem ideo nominaſſe ſuſſiciat, quod opus illius Hungarice verſum exſtet, adeoque facile excuti poſſit) ejus ſunt Sententiae, quod Leges Moſaicae ad nos non propterea pertineant, quod ſint Judaeis per Deum datae, verum quatenus ſunt Leges Naturales ſola ratione cognoſcibiles, quia omnes Leges Moſaicae, etiam Morales, per Deum qua Civilem Imperantem, et qua Leges civiles ſunt Judaeis datae, adeoque finis illarum non fuit moralitas interna, verum tantum externa Actionum cum Lege convenientia, finis Civitatis, id eſt: Securitas et Permanſio Reipublicae Judaicae, nec Sanctio, id eſt: Praemium vel Poena illarum Legum, qua Civilium, fuit aeterna ſalus vel Condemnatio, verum Poenae Civiles externae et Felicitas vel infelicitas mundana, uti apud quamcunque aliam Nationem, licet tales etiam Leges Civiles habeat, quae alioquin ſunt Naturales. Hinc etiam Leges Moſaicae de Matrimonio ſonantes, non propterea nos obligant, quod ſint per Deum pro Legibus Civilibus Judaeis datae, verum quod pleraeque ſint alioquin Leges Naturales ſola ratione cognoſcibiles, et per Legislatorem Civilem Divinitus inſpiratum pro talibus declaratae, utpote propter quarum violationem Deus declaravit ſe Cananaeos licet nullam poſitivam Divinam Legem habentes, punire.

Ad id vero quod Leges Moſaicas Matrimoniales Leges Naturales eſſe diximus in Memoriam revocandum eſt Jus Naturale aliud eſſe Abſolutum aliud Hypotheticum. Utrumque aequalem obligandi vim habet quidem, verum Jus Naturale abſolu-

ſolutum ſimpliciter et absque ullo facto, Hypotheticum vero nonniſi ex certis Circumſtantiis et praemiſſo aliquo facto intelligitur atque obligat, Jure Naturali abſolute et ſimpliciter ſumto vix poteſt contra ullum Matrimoninm Apodicticum et usque ad Evidentiam probans argumentum deſumi, verum Jure Naturali Hypothetico pleraque illa matrimonia quae Moſes probibuit jam, magis jam minus prohibita eſſe certum eſt, id eſt, ſub Conditione, certo reſpectu, et relate ad Circumſtantias, atque praemiſſo illo facto; quod aucto genere humano, uxores etiam remotiores haberi poſſint, item praeſuppoſito eo, quod Perſonae illae inter quas Moſes Matrimonium prohibuit, proximius et confidentius ad ſe invicem degant, adeoque ſub ſpe nuptiarum caſtitas familiarum, ſicque moralitas earundem ſaepe et vita aliquarum Perſonarum periclitaretur, extrema corruptio et perverſio hominum ſequeretur, denique conſiderato eo, quod utile ſit generi humano, homines eo inviare, ut cum extraneis aut ſaltem remotioribus Matrimonia ineant, ut ſic ſocialitas et arctior plurium familiarum unio procuretur, nam ab his et aliis Circumſtantiis praeſcindendo, id eſt, abſolute ſumendo, dicta matrimonia Jure Naturali non prohibentur, hinc ſi quis cum ſorore ſua in Inſula aliqua a hominum Conſortio remota habitare cogeretur, liceret ipſi eam ducere, quemadmodum filiis Adami ſuas ſorores, aut Adamo ipſi Evam proxima quae cogitari poteſt cognatione ſibi junctam ducere licuit. Quod ſi ipſis facere ex intrinſeca, aeterna, atque immutabili actionis moralitate

tate non licuisset, profecto Deus plures mares, et plures femellas initio rerum creavisset.

Quidquid ejus sit, Leges Mosaicae Matrimoniales licet aliquae tantum in Peculiaribus, et propriis populo Israelitico Consvetudinibus, quas enarrare hujus loci non est, fundatae, hucdum apud Christianos omnes in summa auctoritate sunt, vel quod Eruditi opinionem suam licet Testimoniis Evangelii suffultam paucis terrae Principibus persvadere hactenus potuerint, vel quod etiam si hoc potuissent, Moses licet Civilis Legislator, pro Divino Legum Naturalium interprete per Christianos omnes agnoscatur. Summa itaque rei in Casu Dispensationis per Principes pro Evangelicis elargiendae quam ob graves rationes etiam quoad Personas in Regulatione prohibitas, ejusdem §. 16, fieri posse recognoscitur, eo potissimum redit, an et qualiter Moses Matrimonium aliquod prohibuerit? Ex illis quae in hanc rem superius fusius dicta sunt sequitur itaque: Quod in Casu Matrimonii cum matre, filia, nepte, sorore qualicunque, Noverca; Privigna, Privigni vel Privignae filia, Socru, Nuru ineundi non possit Terrae Princeps dispensare, atque si jam initum est tale Matrimonium debet pro nullo declarare, quia Moses talia Matrimonia pro Incestu habuit, et sub poena mortis Excidii maledictionis prohibuit. 2. In Casu matrimonii cum Sorore Patris, Sorore Matris, Vidua Patrui, Vidua Fratris, potest Princeps dispensare, quia tale matrimonium non habuit Moses pro Criminali Delicto verum tantum pro Politico, nec afficiebatur poena Capitali. 3. Adhuc longe faci-

lius

lius potest Princeps dispensare in Casu Matrimonii, cum filia fratris vel sororis, Vidua fratris Matris, Vidua filii fratris vel sororis, sorore uxoris defunctae, aut filia fratris vel sororis uxoris ineundi, quia talia Matrimonia, licet in iisdem gradibus cum prohibitis existentia Moses prorsus non prohibuit, nec adest tanta Moralitatis ratio prohibendi Matrimonia Numero 2. et praecipue Nro. 3 recensita, quam est matrimoniorum Numeri 1. nempe periculum ex proxima Cohabitatione enasciturum, jam verum periculum etiam Conversationis, non vero sola proximitas gradus fuit Causa Prohibitionis. Matrimonium tamen Conprivignorum, licet, si in eadem Domo educentur, Conversationis periculum subversari possit, non prohibuit Moses, (quia si solum Conversationis periculum respexisset, etiam ancillas ducere prohibere debuisset) nec Lex nostra Civilis prohibuit, quia nec consanguinei sunt nec affines, imo vel post initum Matrimonium possunt Comprivigni evadere, v. gr. si quis ducat Nurus suae Matrem, quod potest, quia nec affines sibi sunt nec consanguinei. Quid? quod filius potest novercae suae Matrem ducere, et Pater Nurus suae filiam, sic mariti Vitrico licet nubere, sororis socrum, uxoris novercam ducere, quia dictae personae nec affinitatis nec Consanguinitatis Vinculo sunt sibi invicem connexae (Natus Profeta, divinus etiam Legum Naturalium interpres in Benedictione Divina posuit, quod David Novercas uxoris suae ducere potuerit 2. Sam. 12: 8.) Idem de aliis etiam quibusdam Personis valet, ob eandem rationem quia nec sunt affines nec consanguineae,

nec

nec per Mosem nec per Legem Civilem nostram prohibitae, quia non recensentur in Regulatione supra inserta aut 11. 1723. Nec allegari potest contra illas respectus parentelae, quod sint loco parentum, quia respectus parentelae est tantum inter illas Personas quae sunt sibi consanguineae collateraliter, ita ut una Persona sit immediate sub communi stipite, altera remotius, nec illum respectum extendit Lex nostra quoad Protestantes ulterius nisi quoad Nepotem, vel Neptem ex Fratre, vel Sorore, inter affines nullus est respectus parentelae, eo minus inter illos qui nec affines sibi invicem sunt, ergo sub specie respectus parentelae inter nullos alios affines debet prohiberi matrimonium quam quos Lex Mosaica, vel civilis nominat, eo minus inter illos qui nec affines sunt, licet una talium Personarum, consanguineo alterius affinis, v. gr. Noverca, sit.

4) Leges nostrae matrimoniales in Regulatione Josephina et 11: 1723, contentae eatenus strictiores sunt, quam Leges Mosaicae, quod matrimonium per fratrem, vel sororem eum fratris alterius, vel sororis prole, item inter proles fratrum, vel sororum contrahendum, pariter matrimonium cum sorore uxoris, aut cum filia fratris, vel sororis uxoris, aut cum Vidua illius, qui fuit frater matris meae, ineundum prohibuerunt, quae Moses admisit; in tantum vero leniores sunt, et laxiores quod Moses privignae filiam ducere prohibuit sub poena mortis, Lex nostra de tali Casu tacet, quia est quidem affinis in secundo gradu, verum poena mortis de consangui-

neis in secundo gradu incestuosis lata, ad affines praeter privignarum, et Novercarum Stupratores; extendi non potest.

Addenda sunt adhuc quaedam de Divortio. Divortium est matrimonii legitime initi, carnaliter consumati, atque adhuc durantis Judiciaria auctoritate facta solutio, una cum facultate ad alias nuptias transeundi data. Hinc in matrimonio illegitimo non est Divortium, verum illud Judiciaria auctoritate pro nullo declarari potest. Sic matrimonium per Copulam Carnalem non consumatum, si solvatur, non est verum Divortium, nec separatio quoad thorum et mensam, aut recessio a Sponsalibus. Ad punctum 7. Viduam fratris in illo casu prohibet Moses ducere, si ex priori Matrimonio proles supersunt. Si enim nullae supersunt, non tantum admisit Moses illam ducere, imo etiam jussit, atque Viduae Actionem dedit contra fratrem mariti ipsam ducere, sicque fratri mortuo posteros suscitare nolentem, inde tamen non sequitur, Mosi placuisse tale matrimonium. Consvetudo Viduam fratris ducendi, aliquot ante Mosem seculis inter Cananaeos, et majores Israelitarum, uti ex 1. Mos. 38. clarum est, in Usu fuit. Talem Consvetudinem inveteratam noluit Moses absolute prohibere, cum apud Judaeos secundum Nationalem ipsorum cogitandi modum vix aliquid pro majori infortunio habebatur, quam absque haeredibus decedere, adeo ut immortalitatem nominis vel maxime inde metiebantur, si quis posteros reliquisset. Cum itaque Moses periculum cum spe nuptiarum talium conjunctum probe perspexisset, puncto honoris vero,

et

et opinioni vulgari lege sua contravenire minime consultum putasset. Consvetudinem talem in casu absentiae prolium rati habuit, verum tamen fratri Mariti, cui nefors tales nuptiae displicebant, facillimum elabendi modum praescripsit, ut scilicet Viduae quidem integrum esset, eundem ipsam ducere recusantem ad Judicium citare, si tamen citatus etiam coram Judicio in renitentia sua perseveraret, nonnisi vituperationem, et petulantiam linguae muliebris tolerare cogeretur, quae quidem poena tantum abest, ut dedecori ipsi cessisset, ut potius eo majori gloriae duci potuerit, quo impatientius, et impotentius per viduam amantem contumeliis proscissus fuerit.

Licet autem immortalitas nominis Consvetudini dictae per Judaeos praetexi potuerit; origo tamen illius longe diverso e fonte derivari debet. Utpote cum Polygamia inter plerasque Asiaticas Nationes in Usu fuerit, atque inde raritas mulierum secuta sit, fratres pauperiores singuli vel singulas uxores emere sibi non potuerunt; verum unam communem emebant, atque intertenebant, ut primogenita proles fratri Natu maximo, et sic porro in filium cederet, successive ab abominabili illa Consvetudine recesserunt quidem fratres; verum mortuo n fors, qui sibi uxorem emerat, absque prolibus fratre, Uxor ejus in parte haereditatis habebatur, atque fratri proximo una cum reliquis defuncti bonis cedebat, imitabaturque naturam pecuniae, qua empta est. Perpolito aliquantisper gustu Nationali Judaei Consvetudini illi antiquae immortalitatem nominis praetexere potuerunt quidem

dem, verum quod origo Consvetudinis illa fuerit, quam diximus, vix dubitari potest, cum hodiedum apud Tartaros Mongolenses communis fratribus uxor apud aliquos vero ex iisdem Tartaris Jus Viduam fratris ducendi, vigeat.

Majores nostri si non cognati, saltem finitimi dictis Tartaris fuisse videntur.. Inter genuinos Hungaros, hodiedum Mulier, mariti sui fratres Öregbik Uram, Kissebik Uram apellat, videntur etiam apud majores nostros Uxores vel bello captae, vel pecunia emtae in Usu fuisse, adeoque vix supra sortem mancipiorum excelluisse, cui rei vel id documento est, quod hodiedum nubiles puellae Eladó Leányok dicantur, quod de rebus venalibus dici solet, imo saltem apud illos Hungaros, qui Consvetudinis antiquae tenaciores sunt uxor maritum Dominum suum appellat, (quo nomine vel apud Judaeos jam cultiores marici non relate ad uxores primi ordinis, verum relate ad uxores inferioris ordinis, e numero ancillarum in thorum Domini assumptas vocabantur, Jud, 19: 26. Cum itaque majores nostri veluti parvo contenta, bellicosa gens, divitiis non valde abundaverint, praeterea inter Nationes tales habitaverint, inter quas saltem potentiores in polygamia vixerunt, sicque sexus sequior merx vendibilis evaserit, facile eo adducor, ut Consvetudines supra attactas etiam inter Hungaros viguisse probabile existimem. Idem scribit Julius Caesar de Britannis sui temporis. Quanta rerum, et opinionum Conversio! in eadem Britannia post mille, et quingentos a tempore Caesaris annos, Henrico VIII. de Dispensabilitate Matri-

trimonii cum Vidua Fratris sui per eundem intacta persvaderi nolente vel nequente, mirabiles, atque in totum orbem terrarum influxum habiturae rerum mutationes, ingentesque, quibus Anglia ultra duo Secula jactanda erat, vicissitudines secutae sunt.

Juris positivi semita non floribus, verum scrupis, tribulis, sentibus est conspersa, per quae dum cruentos pedes trahimus; saepe in lapides, et saxa offendimus, quae vel loco movere, vel circumire, et evitare nequiquam tentantes, spinis et vepribus quae angustam obsident semitam, misere et faede laceramur, ut adeo jucundissimum nobis fuerit in amaena politioris literaturae vireta hac occasione divertisse, mentem desiderato hoc fomento refocillasse, simulque vel hoc experimento studiosam Juris Patrii Juventutem ad excolendas elegantiores literas, quae severiorum studiorum condimenta sunt incitasse.

Processus ex hac materia enascuntur:

Primo: Divortialis, de quo jam egimus.

Secundo: Incestus, id est, ob scienter contractum matrimonium in gradibus prohibitis, vel concubitum inter Consanguineos, vel Affines in illo gradu, in quo Matrimonium inire vetitum est, item, Concubitus cum Noverca, aut Privigna. Incestuosi in linea recta, item Incestuosi in primo, et secundo gradu consanguinitatis, nec non Novercaram, et privignatum stupratores puniuntur poena mortis, cum majori vel minori exasperatione, prout vel in linea recta, vel in proximiori, vel remotiori gradu est commissus Incestus. Obs. quod mortis

tis poena ad Affines trahi non potest, prout vulgo putatur. In gradu vero tertio; Incestuosi trium annorum carcere, in quarto vero duorum annorum carcere puniuntur, 12: 1723, verum haec poena quoad Protestantes cessat. Tertio: Processus Adulterii, propter quod inter Protestantes ad Divortium, et Vinculi Solutionem: inter Catholicos vero ad separationem a thoro, et mensa agere parti laesae licet. Praeterea Nobilis maritus contra uxorem adulteram potest ad poenam mortis 1ae 105 agere; sed hoc tantum prima vice, id est, ob illud adulterium, quod primo innotuit marito, quod si vel expresse, vel tacite (per cohabitionem) condonavit, jam agere non poterit, etiam si iterum committatur, verum Fiscus Magistratualis aget. Maritus adulter poena arbitraria punitur Actione Fisci 12: 1723 §. finali; imo poenam mortis 1ae 105 dictatam, nec ad ignobiles mulieres trahi posse vulgaris opinio est. Quarto: Prolygamiae, cujus poena est aeque arbitraria, Actionem Fiscus Magistratualis, ob hoc delictum fundat 16: 1625, 40: 1630.

CAPUT IX.

De Legitimatione, et Adoptione.

Proles ex illegitimo thoro natae legitimantur:

I. Per Subsequens Matrimonium, licet aliud Matrimonium post conceptam illam prolem cum alia persona intercessit. Verum requiritur,

ritur, ut tempore conceptae prolis fuerint in statu tali, ut invicem ducere, et nubere potuissent. Praeterea requiritur, ut ambae partes recognoscant, non tantum, verum Conversationem debuerunt inter se fovisse, quia si fallere vellent, tunc prolibus legitimis, vel Collateralibus, si nempe Bona fuerint avitica, vel si quis ab intestato deficiat, Fisco dabitur Actio contra talem etiam intuitu Extradonationalium Bonorum.

II Per Principem in forma Privilegii, verum hoc tantum contra Fiscum dabit Jus ad Bona contra Proles vero legitimas, aut Collaterales, praecipue in Bonis Aviticis nullum Jus dabit. Proles ex incestuoso, verum ignoranter contracto matrimonio, natae, sunt legitimae. iae. 106. 108. Apud Catholicos est adhuc Legitimatio per Pontificem, quae mere Ecclesiasticos, et nullos Civiles effectus producit.

Proles ex injustis nuptiis natae vocantur Naturales tantum, et vel sunt Naturales in specie, quae nempe ex Persona honesta, et soluta; vel spuriae, quae ex prostituta; vel adulterinae, quae ex personis ligatis; vel Incestuosae, quae ex consanguineis Collateralibus; vel Affinibus in gradibus prohibitis; vel nefandae, quae ex Ascendentibus et Descendentibus generantur.

Proles vero, quae ex nuptiis licitis natae sunt, vocantur Legitimae: et Naturales.

Legitimae tantum vocantur Proles adoptatae, licet non solum in filium, verum etiam in fratrem possit quis adoptare. In Aviticis nonnisi

tunc

tunc habet locum Adoptio, si nec Descendentes, nec Ascendentes, nec Collaterales adsint. 1ae. 66. In Donationalibus Consensus Regius requiritur, intra annum a morte adoptantis statutione roborandus, si nempe Adoptio sonet de futuro, et mortis causa sit, id est, ut post mortem Adoptantis possit Adoptatus Bona apprehendere, quia si fit translatio de praesenti; id est, ante mortem Adoptantis, tunc sapit fassionem, et intra annum ab emanato Consensu debebit Statutio peragi 1ae 63. In Extradonationalibus Acquisitis etiam si successores adsint, tamen potest quis adoptare, neque requiritur Consensus Regius, licet Adoptans ultimus simul deficiens sit, imo nec tunc requiritur, si nefors Extradonationalia illa Avitica fueruut, verum si ignobilis est adoptatus, tunc ad id, ut Nobilis evadat, Consensus Regius requiritur, qualiacunque demum fuerint Bona.

Adoptatus evadit primus Acquisitor, et quoad successores suos semper libere potest disponere de Bonis, ut etiam ultimus deficiens libera disponendi facultate gaudet; quoad Fiscum vero tantum de illis potest libere disponere ultimus deficiens, in quibus absque Consensu Regio est adoptatus.

Adoptio filialis, si sit perfecta, id est, si adoptatus in familiam adoptati transeat, post se trahit Patriam potestatem adoptantis in adoptatum. Si adoptio sive filialis, sive fraternalis, de futuro sonet, id est mortis causa fiat, et post mortem adoptans de Jure ad Bona, verum ante mortem adoptans amittat Bona, vel haeredes illi nascantur, tunc cessat adoptio, quae neque ita revivifcit, si

adoptans

adoptans Bona nefors ob notam amiſſa per gratiam recuperet, verum de novo debet adoptare. Imo adoptatus etiam Nobilitate cadit, niſi Adoptioni Jus quoque Regium fuerat adnexum, ſive fuerit Jus Regium in Bonis, ſive non. Adoptatus Bona adoptantis pignoratitia reluere poteſt, id eſt, quae in Formali aut Judiciali pignore habuit. An vero etiam pignora legalia, id eſt, Faſſiones perennales ab adoptante, vel a majoribus illius celebratas, verum ob defectum ſufficientis rationabilitatis invalidabiles invalidare, vel Juris proceſſu ad acquiſitionem agere valeat? quaeritur nam Verböezius 1ae 27 aequiparat adoptatum Fiſco, atqui Fiſco non dat Jus ad illa, quae decedens Juri ſuo non appropriaverat, ergo nec adoptatus habet plus Juris, quia nec ille eſt propagativus haeres. Verum genuinus ſenſus Tituli 27. 1ae eſt: Quod in quorum Bonorum poſſeſſorio deficiens, aut illius antenati nunquam fuerunt, verum tempore defectus ſub lite ſunt, et deficiens prius obiit quam a c q u i r e r e valuiſſet, in illis Bonis nec Fiſcus ipſe ſuccedere nec illa alteri ex defectu illius, qui litigabat, conferre poteſt. Sed longe alia eſt ratio talium Bonorum, quae non poſſedit quidem ultimus deficiens actu, verum antenati ejus firmo privilegiali Jure poſſederunt, et ad quae revindicanda, non acquiſitoria, verum r e a c q u i ſ i t o r i a lite opus erat, in talibus ſuccedit Fiſcus, et illa tam ſibi vindicandi (licet non tali inſtituto ac deficiens potuiſſet) quam alteri donandi facultatem habet. Nam quod Verböczius dicat: in illis ſuccedére Fiſcum, quae redemptibiliter alteri ſunt obligata, id

ex-

dit, sed quoad Avitica non praecedit legitimam, id est, Fratres Collaterales praecedunt Testamentarium Tutorem, nisi illi sponte cedant, aut aliquas praetensiones contra pupillum habeant. 119: §. 4. Cognatus tantum tunc potest testamento Tutor dari, si Bona manifeste utrumque Sexum concernant 1ae 119. §. 5.

Secundo: Tutela Legitima, quae tunc habet locum si testamento nullus est factus Tutor, vel non recte factus est. Haec Tutela vel respicit superstitem Parentem. et tunc vocatur: Legitima et Naturalis, vel Collaterales Pupilli, et vocatur: Legitima tantum.

Tutela Legitima et Naturalis, tam quoad Avitica quam quoad acquisita currit in Bonis defuncti conjugis ob nexum arctissimum, qui inter Parentes, et Liberos est 1ae 113 nec auferetur haec Tutela nisi Patri dilapidatori. Quod quidem 113. 1ae de solis Patribus ignobilibus secundam uxorem ducentibus dicit, verum etiam de aliis intelligendum. Matri vero secundo nuptae ob gravem rationem nec obligatur Pater unquam rationes dare, verum Mater, si ad secunda vota transiverit, et Tutelam retinuerit, obligatur 68: 1715.

Tutelae Legitimae tantum 1ae 116. fundamentum est Bonorum successio, quia Collaterales succedent pupillo, adeoque illi debent esse Tutores, juxta proximitatem gradus, (quia etiam successio ita pergit) si nempe illi qui Proximi ad pupillum sunt, apti et habiles sint, quia secus remotior debebit Tutor esse, si vero plures sint eodem gradu distantes, et inter se convenire non possint,

ſint, Magiſtratus eligit. Agnatus cetera habilis, ſi vel unus ſuperſit, praefertur ſemper omnibus Cognatis, imo ſi Agnatus ille minorennis ſit, nonniſi interimaliter erunt Cognati Tutores, et tantum ita, ſi Bona utrumque ſexum manifeſte concernant, quia ſecus nunquam poſſunt Tutores fieri, verum potius extraneus aliquis debet Tutor dari, quia periculum eſt ne Bonis Familiae inſidieatur, Literalia inſtrumenta deſtruant, et Bona ad utrumque ſexum pertrahant, et haec eſt ratio, quod illis etiam adoptivi fratres, vel filii in Tutela filiarum adoptantis praeferantur 1ae 120. Obs. Quod ſi Teſtamentarii vel legitimi Tutores aliquo modo impediantur, tunc interimaliter illis Vices-gerentes dantur, v. gr. Si Agnatus imperfectae aetatis ſit, usquedum ille aetatem perfectam aſſequatur, Cognatus poterit eſſe Tutor, ſi Bona utrumque ſexum concernant; ſi vero prorſus nulli tales Tutores adſint, tunc habet locum:

Tertio Dativa Tutela, quam Nobili, et Libero dat Princeps, vel nomine illius Judex Regni Ordinarius praecipue Palatinus 124. 1ae, vel etiam Comitatus; Civi vero Civitas, colono Dominus Terreſtris, cujus fundamentum aeque ſucceſſio eſt, et debitum Patrocinium.

Excuſationes a Tutela praecipue Dativa 1ae 122. recenſentur hae: prolium propriarium nondum emancipatarum multitudo, locorum diſtantia, Bonorum pupillarium multitudo, et diſperſio, actualis militia, Officium aliud rationibus dandis obnoxium, morbus gravis et incurabilis, et ſaepe literarum imperitia, inimicitiae cum Patre habitae,

ſenium

senium supra 60 annos, aetas imperfecta, et aliae quoque rationes, v. gr. paupertas nimia, praetensiones contra pupillum etc.

Tutelaris potestas tam in personas, quam in Bona Tutelatorum competit, et est necessitatis, Curatela vero tantum circa Bonorum administrationem versatur, et est meri arbitrii, id est, debet quidem masculus etiam legitimae aetatis sub Curatela esse, verum ab arbitrio illius pendet, quem habeat Curatorem, et legi convenienter potest de illis disponere, proprio nomine litigare, secus ac Tutelatus. Puella magnae aetatis Magistratum debet orare pro sui a Tutela liberatione, ut vel Curatorem facere, vel Bona sua ipsa procurare possit.

Tutor obligatur Pupillum bene educare, informari curare, secus per Comitatum, vel Consilium admonetur 105: 1723, 68: 1715, 1765: 25.

Ante inventationem non debet Tutor, vel Curator officium suum adire, nisi talis qui rationibus dandis non est obnoxius, hoc fine Collaterales Pupilli statim debent mortem Patris ejus Magistratui insinuare, per quem omnia singillatim inventabuntur, et conscribentur, sive mobilia, sive immobilia fuerint, ut et debita sive passiva, sive activa. Sed Literalia instrumenta Pupilli non possunt contrectari, verum in cista obsignari debent 68: 1715.

Pupillus qualitercunque in diminutionem rerum suarum se obliget, est actus ipso Jure nullus, et per Tuorem annihilatur. Actus vero in aetate jam legitima verum imperfecta patrati non sunt ipso Jure nulli, verum ante Legales annos revocabiles, et proprio Acteratu invalidabiles, 128: 1ae.

Hodie aetas pupilli refcitur ex Matricula, cujus extractus per Miniſtros, et Parochos extradatus ad id probandum ſufficit, atque adeo non eſt neceſſe aetatem pupilli revideri, et aeſtimari curare, et Reviſionales Literas conficere. Tutor durante aetate pupillari, id eſt, circa mares ſanae mentis infra 12 annum poteſt ſuo proprio nomine, quia talis, pro pupillo active, et paſſive ligitare non tantum in realibus, verum etiam in perſonalibus, id eſt, ad perſonam pupilli defendendam, et perſonaliter illi illatas laeſiones vindicandas, quia 126: 1ae non diſtinguit. Poteſt Procuratores conſtituere.

Si quis Pupillum evocat, praecipue ob Actum potentiarium, is convincitur in homagio pupilli 132: 1ae.

Debet Tutor Res, quae ſervando non ſunt ſervabiles, opportuno tempore vendere, majorem ſummam pecuniae elocare, quia ſecus ipſe refundet fructus ceſſantes, ſed minorem, et pro neceſſitatibus Pupilli, et oeconomia-ducenda ſervientem non debet elocare. Majorem circa perſonam Pupilli, vel Bona illius mutationem, v. gr. magnum aedificium ponendum, vel Bona emenda, vel vendenda, Magiſtratui ſubſternere, conſultum eſt, quia ſi Magiſtratus approbet, ita ab onere reſponſionis ſe ſalvare poterit Tutor, et reſpective Curator. Poteſt Tutor neceſſarias, et utiles faſſiones celebrare, ſecus, ſi quas celebraverit, ſunt ſeponibiles 1ae 112. §. 3. 1655. 24. 124: 1ae §. 5, et tantum eatenus refunditur pretium emptori, quatenus ille probaret pecuniam in utilitatem Pupilli

eſſe

esse conversam, quod etiam de pecuniis per Tutorem mutuo levatis intelligendum (nec non de pecuniis per Communitatem levatis, licet Judex et Senatores subscripserint Obligatoriales) quin imo aliqui dicunt, quod nec emendo possit Tutor nocivam, et inutilem fassionem celebrare, id est, si Bona emit, potest invalidari, et pecunia repeti per Pupillum, quia et hic potest ingens laesio subversari, ergo favorabilior debet esse conditio Pupilli; alioquin Tutor res servando servabiles non potest absque magna utilitate, Pupilli alienare, licet mobiles. Potest Tutor Transactiones facere 127: 1ae §. 2. quae licet non rite factae sint, non sunt seponibiles, verum invalidabiles. Tutor obligatur quolibet anno rationes dare 1765: 36, si rationes approbatae fuerint, accipiet sextam partem redituum in proemium navatae operae, exceptis Intersuriis capitalium 1715: 68. Si vero tota substantia consistat ex capitali (ut in Civitatibus solet, ubi Bona Pupilli statim divenduntur) tunc aliqua portio Tutori cedit ex intersurio, verum in Civitatibus publicus salarisatus Officialis solet constitui ad pecunias pupillares administrandas. Et mater rationibus obnoxia iisdem commodis, et incommodis subest, quibus reliqui, id est, Dativi et Legitimi Tutores subsunt. Circa capitalia nefors periclitantia tempore rationum dandarum attendendum est: an a Patre vel priore Tutore sint elocata? an tempore aditae Tutelae fuerint exigibilia, et ita per Tutorem acceptata? an cura exigendi fuit adhibita? an si Tutor ipse elocavit, id cum solitis Legalibus cautelis fecit? et cum sufficienti circumspectione, etc. —

Attacta

Attacta perfecta aetate Tutores, et Curatores debent bona cum legitimatione rationum finalium remittere, imo ipsi possunt Tutelatum, et Curatelatum Judicialiter cogere, ut Bona recipiat, et rationes accipiat. Onus dandarum rationum mortuo Tutore, et Curatore ad haeredes etiam transit, nisi tempore mortis Curatoris, Curatelatus jam perfectae aetatis fuerit, (quia jam tunc ipse debuisset Curatorem ad dandas rationes stringere) aut imperfectae quidem, verum legitimae, et per Curatorem ad accipiendas rationes admonitus eas non exegit, in his duobus casibus non transit, secus transit, id est, damna ex negligentia Patris defuncti in Pupillum derivata resarcire tenentur, res vero inventario contentas, aut secus Jure Pupilli apprehensas semper debent etiam haeredes restituere. Si vero Tutor praesentavit suas rationes Magistratui, Magistratus autem censurare neglexit, et Tutor interea moritur, non ad haeredes Tutoris, verum ad Magistratum onus redundat, a paritate 63: 1723. Si autem non praesentavit, ad illius haeredes transit.

Ingessivus Tutor, id est, qui non sua via posuit se ad Tutelam, ut et alter, qui absque inventario apprehendit res Pupilli, etiam illas res debet refundere, quas nunquam apprehendit, si probari possit per Parentem Pupillorum res illas possessas esse, nisi in contrarium talis Tutor probet, res illas ante mortem Patris distractas esse. Praeterea Ingessivus levissimam etiam culpam praestare tenetur, neque sextalitatem acquirit. Sed haec de homine malae fidei intelligenda, non de tali, qui

Pupillos ab aliis desertos, et neglectos bona fide protegit.

Cum Tutela sit officium publicum, et malus Tutor delictum publicum committat, quilibet potest suspectum Tutorem, et Curatorem accusare, etiam Pupillus legitimae aetatis, praecipue cum consilio proximorum suorum, ergo eo magis perfectae aetatis 124: 1ae ut et Fiscus, et quidem omnem Tutorem etiam legitimum, et naturalem. Talis Tutor statim suspenditur ab officio, nulla cautione locum habente, atque re comperta vel confirmari, vel amoveri, et adhuc praeterea pro varietate circumstantiarum poenis accessoris afflici debet. Suspectus potest Tutor evadere, vel ob dolum, vel ob culpam latam, imo levem etiam, v. gr. Si Pupillos non bene curet, non erudiat, vel ipse malis moribus sit, aut ad Bona Pupilli aspiret, vel cum Patre inimicitias habuerit 123: 1ae vel absque ulla culpa, ob incidens aliquod, v. gr. infortunium, et paupertatem evenientem, propter quam nec initio admissus fuisset ad Tutelam, et nunc cum honore dimittitur.

Cessat Tutela qaoad masculos, per aetatem legitimam, nisi etiam ulterius subesse velint, quoad puellas per emaritationem ordinarie, quoad amentes per usum rationis recuperatum, Curatela cessat per Revocationem, vel aetatam perfectam.

Si Tutor a Tutela recessit, et res resignavit, propter facta illius non contra illum, verum contra secundum Tutorem, vel attacta legitima aetate contra ipsum Pupillum agi debet, nisi solus prior Tutor habeat rem sibi cognitam; verum tunc quo-

que

que obligatio ad Bona Pupillaria redundabit, praecipue si Pupillus Tutelam egressus facto suo factum Tutoris ratihabeat, Ceterum Pupillus perfectam aetatem ubi attigerit, ipsum etiam Tutorem valide absolvere potest.

Processus ex hac materia enascuntur:

Primo: ad dandas rationes Tutelares. Actio fundatur in 115: 1ae 24: 1655, 68: 1715, 26: 1765. Si Bona in uno Comitatu sint, sive finales, sive annuae sint rationes, item, licet Bona in pluribus Comitatibus sint, si tamen rationes annuales sint, definit coram eodem Comitatu, qui Tutorem dedit, vel in quo residentia Patris Pupilli ordinaria fuit. Actor est Fiscus Magistratualis qua talis, vel Tutor secundus, vel ipse Orphanus jam Tutelam egressus. Usque summam 200 fl. coram Judlium, a 200 usque 3000 alternative vel coram Judlium, vel coram V. Comite, supra 3000 coram V. Comite, ad imitationem Successionalis Processus. Si vero Bona in pluribus Comitatibus jaceant, er simul rationes finales sint, coram Tabula Districtuali, si vero in pluribus Districtibus sint Bona, coram Tabula illius Districtus, in quo residentia ordinaria Patris Pupilli sita est, decurrit hic Processus. Appellata in Comitatu est extra Dominium, in Tabulis Districtualibus vero usque 12000 fl. extra, supra vero intra Dominium. Saepe in hoc Processu revelatio sub juramento imponitur Tutori. Accessorie ob dolum petitur convinci in poena dupli, et expensis, si nempe dolus circa administrationem Bonorum versatur; verum si Tutor ante litem terminatam moriatur, haec poena

dupli ad successores non transit. Ob culpam vero latam, imo et levem in simplici tantum damni refusione, et expensis convincitur 1ae. 115, 123: 1715: 68. Levissimam culpam ordinarie non praestat.

Secundo: ad poenam Infamiae. Movetur coram Tabula Regia. Actor vel Tutore secundo, vel vero ipso Orphano jam Tutela liberato, vel etiam Fisco Regio, cum sit delictum publicum, haec poena dictatur, si Tutor dolo usus est vel in personam Pupilli, vel in proprietatem Bonorum illius 123: 1ae.

Tertio: ad recipienda Bona ex manibus Curatoris, vel ad dandas rationes Curatelares, actor est semper ipse Orphanus, Judicatus ut contra Tutores etc.

Quarto: Tutori vel Curatori competit Actio contraria, si nempe Orphanus jam legitimae, et respective perfectae aetatis nollet Bona recipere, et rationes exigere. Judicatus competit vel Tabulae Districtuali, vel Comitatensi Judici ut supra 1715: 68. praeterea si quid de suo in utilitatem Pupilli erogat, id quoque repetendi Jus habet ex quasi contractu, quod quilibet praesumatur, in id consentire, quod sibi utile est, item quod nemo cum damno alterius locupletari possit.

CAPUT

CAPUT XI.

De Dominica Potestate.

Cui subsunt servi quoad personas, et operas suas. Suntque vel Necessarii seu Legales, id est, quos Lex addicit servituti in tribus casibus: 1. Ob proditionem fraterni sanguinis. 2. Saepe ob larvam. 3. Ob debitum vel damnum, vel mulctam, si quis solvendo non sit. De his alias. Vel Voluntarii et Contractuales, tales servi possunt usque tempus conventum retineri, repeti si fugiant, debent uno mense ante finem anni significare se nolle manere 1552: 11. vel, uti in usu est. Ignobilis servus medio cujus Dominus Actum potontiarium patravit, Juri statui debet eodem Processu, quo Dominus convenitur, et Homagium illius Dominus solvit. Nobilis vero servus Juri statui non potest, verum separatim ad idem Forum, quod Dominus ipsius citatur, et qui Nobilem Juri statui petit, in Homagio illius convincitur. Testimonium servi vel coloni contra Dominum, vel etiam pro Domino in criminalibus non acceptatur, in Civilibus autem, si alii testes non possint haberi, acceptatur, nisi casus sit talis, ut interessentia illorum praesumi possit, v. gr. colonorum in Territorialibus 1729. 6. Potest Dominus servitorem suum rationes dare nolentem, vel nequeuntem etiam Nobilem arrestare, Math. 3, 2. 1723: 65.

Coloni,

Coloni, id est homines Domino ita obnoxii, ut censum, operas, et praestationes faciant, et ex Fundo Dominali vivant. His per Artic. 35. Anni 1791, omnibus libera migratio restituta est, ut depositis tam publicis, quam dominalibus obventionibus, significataque praevie, nempe circa Festum S. Michaelis abeundi voluntate, circa Festum S. Gregorii Papae impetratis praevie V. Comitis Testimonialibus abire possint, nec Dominus Terrestris testimonium talibus denegare ullo sub praetextu audeat meliorationes vero, et superaedificata, non computato materialium per eundem Dominum suppeditatorum pretio, per Judicem Nobilium cum interventu Domini Terrestralis conscientiose aestimanda vendere possunt; venditione tamen non succedente, solo affixa secum auferre, et sic desolationem Fundi procurare illis non licet, verum illa Domino Fundi manent, praeterea eadem lege statutum est, ut colonis nullae poenae arbitrariae, nisi propter excessus Urbariales ex praescripto Urbarii, ob alias vero causas semper in formali Sede Dominali cum cautelis Legalibus, id est, in praesentia Judicis Nobilium, et Jurassoris celebranda, dictentur.

Causae contra colonum sive per Dominum Terrestrem, sive per alios quoscunque movendae, 3ae 25, uti etiam Urbariales colonorum contra Dominum Terrestrem praetensiones coram Sede Dominali decurrunt, et inde ad Sedriam Comitatus appellantur. Criminales vero tantum ita decurrunt coram Sede Dominali, si Dominium Jus gladii habeat, quae causae, uti etiam ad actum

major

majoris potentiae contra colonum fuscitatae, non ad Sedriam, verum directe ad Tabulam Regiam via Apellationis transmitti solent, Contra Nobiles, aut Cives Fundos Dominales praestationibus Dominialibus nefors subjectos possidentes tunc tantum movetur Processus coram Sede Dominali, si Processus immediate propter Fundum, vel propter Praestationes motus sit, v. gr. Ob Nonam denegatam; si nempe Dominus Terristris in Usu Nonam exigendi fuerit, aut ad exaestimationem aedificiorum, meliorationum, exstirpationum, Vinearum etc. — Fundamento Legis 1625: 53, 30: 3ae ubi dicitur, ut vinearum exaestimatio praecipue contra colonos semper ante Festum Gregorii Papae in praesentia Judicis Nobilium peragatur.

Colonos ignobiles per Dominum Terrestrem assumptos, vel missos Dominus Terrestris Juri statuere, et illorum Homagia solvere debet. De Testimoniis colonorum contra, vel pro Domino idem, quod de servis observandum.

Coloni vel tractantur secundum Contractus, et Privilegia usu roborata, vel secundum Urbarium, quod per Mariam Theresiam extradiaetaliter introductum Anno 1791 et 1792, Provisorio modo stabilitum est. Secundum quod Dominus obligatur integrae Sessionis colono, unius Jugeri Fundum Intravillanum, mediae Sessionis colono medium Jugerum dare, et sic porro, si quid desit, in Extravillano debet eidem compensari, Appertinentiae Extravillanae pro una Sessione non sunt in omnibus Comitatibus aequales, verum alibi pauciora, alibi plura Jugera constituunt unam Sessionem Colonicalem,

lem, prout per singulos Comitatus elaboratum est. Ubi silvae adsunt, debet Dominus ligna focalia colonis dare, ut etiam pro aedificiis, imo alicubi etiam pro quaestu moderato, ubi nempe coloni in usu fuerunt, v. gr. pro instrumentis ligneis parandis, et vendendis. Debet adhuc Dominus dare pascuum absque numero pecorum in Sessionalibus silvis, sicubi tales sint, gratis habent glandinationem. Educillationem certo tempore debet illis Dominus admittere, v. gr. ubi promontoria adsunt a Festo S. Michaelis usque S. Georgium: ubi vina non crescunt, a Festo S. Michaelis ad Festum Nativitatis Domini. Debet adhuc Dominus suos colonos contra injurias aliorum etiam Processu defendere pro illis ut et servis ignobilibus Actoratum assumere. Pro his obligationibus habet Dominus res venales subditorum prae Extraneis pro eodem pretio, et pro suis necessitatibus 1723: 75. 1530: 36. praeemendi, illis ex Nota et Defectu succedendi, illos in delictis minoribus Civilibus castigandi, colonorum absque culpa illius fugientium remansas res pro se apprehendendi Jus.

Colonus unius Sessionis debet qualibet hebdomada unius diei labores jugales praestare, vel duos manuales dies pro quolibet Jugali, tempore urgentiorum laborum potest Dominus labores duplicare sed ita, ut vicissim alia septimana prorsus nullus labor possit exigi, Inquilini, id est Sessionem non habentes, verum tantum domos, 18 diebus laborant. Quatuor coloni integras Sessiones habentes, debent unam longam vecturam commodo tempore praestare per annum, sed illa nec ad alium annum

relin-

relinqui, nec in pecunia exigi potest. Si coloni Jus lignationis habent, Inquilini quidem ligna caedere, Sessionalistae vel Jugalistae vero quilibet integrae Sessionis unam orgiam intra idem Dominium invehere debent, aut pro hac vectura alium unum diem servire, a qualibet domo vel Sessione Intravillana florenum solvere. Dominum, sis is Magnas sit, ad Diaetam pergentem moderato auxilio juvare, vel si talis sit, qui ad Diaetam in Persona non debet ire, pro Ablegatis Comitatensibus ad cassam Commitatus aliquid contribuere. Ab Ollis crematoriis, si iis pro lucro utatur, 2 fl. solvere. Integrae Sessionis debent dare duos pullos galinaceos, duos Capones, 12 Ova, mediam butyri, nempe ubi pascua adsunt. Triginta coloni simul sumpti unum vitulum, aut quilibet unum grossum, si Dominus pecuniam malit, vel si non sint coloni numero 30. Pro nuptiis Domini vel Dominae, vel si Dominus Sacerdos fiat, pro Primitiis, aeque pullos, capones, butyrum ut supra, omnes qui Integram Sessionem habent, dare debent, vel si Dominus pecuniam malit, quilibet 48 xr. Tandem praestare debent Nonam omnium frugum, agnellorum, haedorum, apum. Excipiuntur hortensia intravillana, item prata, licet subarentur, excipiuntur etiam agri in compensationem pratorum dati, item fructus arborum, item secundus fructus ejusdem anni, et agri. Si agni noveni non sint, quilibet agnus 4, haedus 3, alvearia vero 6 xris rediumuntur. Ex Vineis vel Nona datur, vel Jus montanum, id est certa praestatio semper aequalis, quae elevari non potest, A Canabeto extravillano vel

Non

Nona debet dari, vel ex Canabi Dominali sex librae fili debent praeparari a qualibet integra Sessione, in aliquibus locis dat quilibet unum saccum. De his omnibus vide Urbarialem Regulationem, quae cuilibet communitati extradata est, item Resolutiones Urbariales.

Processus ex hac materia enascuntur:

Primo: contra Dominos Terrestres Urbaria excedentes, aut saevientes, movetur ex Determinatione Comitatus per Fiscalem Magistratualem coram Sedria. Actio fundatur in 101: 1715, 18: 1723, 35: 1729. Dominus Terrestris ad quarumvis illegalium extorsionum, refusionem, damnorum, et injuriarum compensationem, et fundorum via facti occupatorum cum fructibus restitutionem convincitur. Verbera vero sine legitima causa, vel ultra mensuram facta, in mulcta pecuniaria secundum Judicis arbitrium luit. Si vero ob excessus ejus colonus fugiat, in singuli coloni Homagio convincitur Dominus. Si fugitivus colonus non redeat, vel se non insinuet, quod ex facultatibus ejus post detractas restantias contributionales manet, in publicum Pagi alleviamen convertitur, et Dominus etiam in expensis litis convincitur. Sic Decisio Curialis.

Secundus: contra Dominum Terrestrem, qui colonum suum ex uno Comitatu in alium absque consensu prioris Comitatus transduxerit. Aeque Actoratu Fisci Magistratualis in Homagio coloni convincitur Dominus, nisi alterum illi oneri publico ferendo aeque parem substituerit. Praecedere

debet

debet Admonitio. Actio fundatur in 62: 1723 appellatur ex 28: 1729 extra Dominium. Verum illos, quos ad sua servitia adhibere voluerint Domini, possunt translocare.

Tertius est contra illum, qui fugitivum colonum absque Testimonialibus receperit, convincuntur in 100 florenis, refusione quorumvis debitorum coloni tam publicorum, quam privatorum expensarumque in litem erogandarum. Actio fundatur in in 101: 1715, 60: 1723, 35: 1791. movetur Processus vel per Fiscalem Magistratualem, si nempe publico praejudicaverit, vel per Privatum, cui fuga coloni nocuit. Privatus movet coram Judlium, quia imitatur naturam Processus, qui antea vigebat, contra detentores fugitivorum colonorum. Media pars Byrsagii cedit Judici, medietas vero Actori, damna et expensae vero soli Actori, 1556: 31. 1723: 60.

Quartus est: ad repetitionem fugitivorum servorum, et ancillarum, si nempe ante conventum tempus fugiant, vel se obligarunt ad servitium, et tamen alteri se iterum addixerunt. Actio fundatur, in 101: 1715, 60: 1723. Movetur coram Judlium. Admonitio debet praecedere aeque medio Judlium, et Jurassoris, vel Jurati Tabulae Regiae cum Inquisitionis Collateralis communitatione, ex qua Admonitus Jus Admonentis, et Repetentis resciat. Poena est 100 fl. quae aeque inter Actorem, et Judicem dividitur, et refusio expensarum soli Actori cedentium. Appellata ad Sedriam intra Dominium inde nuspiam admittitur. Si fugitivi servi et ancillae extra Bona Domini in loco publico

depre-

deprehendantur, etiam propria auctoritate retrahi possunt, hoc antea etiam de colonis 31: 1556, 60: 1723 in usu fuit.

CAPUT XII.

De Fisco Regio.

Fiscus Regius, seu Causarium Regalium Director, et Sacrae Regni Hungariae Coronae Fiscalis, Causas Regias ratione Bonorum Coronalium, Fiscalium, Fundationalium emergentes, vel secus etiam Aerarium Regium respicientes suo nomine, qua talis procurat. Ratione Bonorum, quae ante 1715 per Notam sunt confiscata, Juri stare in ordinaria Juris via non tenetur, sed privatus ille, qui ad talia bona Jus praetendit, ad viam Instantiae relegatur. 1687: 7. 1715: 9. Eadem via Instantiae obtinet etiam in illo casu, si non Fiscus, verum aliquis Privatus, qui talia confiscata Bona impetravit, eadem modo teneat. Sententiam Capitalem, aut emendam Capitis Fiscus, qua talis non incurrit 39: 2ae Jurat pro Principe in Processu. Procuratores in Causis Fisci constituit. Sedet ad Tabulam Regiam, verum tempore revisionis causarum suarum exesse debet. 19: 1723. In recentibus, et manifestis defectibus via facti succedit, secus via Juris debet agere. Oppugnat Donationes Palatinales vitiosas. Publicos excessus majores Actoratu suo coram foro competente vindicat, (et semper debet sequi forum Rei, ut omnis Actor) v. gr. Agit contra

tra Usuarios ad amissionem summae Capitalis Interusurii. Contra Civitates in casibus supra dictis, ad poenam 2000 fl. Contra Privilegio abutentes, aut Jura Regalia citra Privilegium exercentes. Contra Notorios, et Perduelles, Salvum Conductum violantes. Si quis illum aut Subalternos ejus Vice-Directores in officio procedentes turbet, punitur in poena Actus majoris Potentiae. Agit ex Coronalitate ad Bonorum Coronalium, et Appertinentiarum eorundem revindicationem ex Ulad. 7: 3. Ceterum eodem Jure gubernat Bona sua, quo alii Regnicolae, et iisdem Juribus et Obligationibus utitur, quibus alii Nobiles, hinc tenetur se Determinationibus Comitatus conformare, coram Judice competente tam Active, et Passive Juristare, pro Jobbagyonibus suis impendere, id est satisfactionem dare, ordinem Juris Mandatis non impedire, neminem seu in Persona, seu in rebus praeter praescriptum Juris ordinem turbare, neminem ad pandenda Jura sua stringere (uti in Commissionibus Neoacquisticis fecerat) verum proprio suo Marte, vel ex Nota, vel ex Defectu Jura sua exquirere, et probanda probare, uti alias videbimus, quia quod 39: 2ae dicat Fiscum Literalia Instrumenta ratione quorumcunque Bonorum ad Jurisdictionem Sacrae Coronae Regni devolutorum producere non teneri, hoc de illo casu intelligendum est dum in Possessorio, (aut ad summum de Successionibus Fisci recentibus) verum, dum in Petitorio, id est, extra Possessorinm agit, Jus suum probare debet.

De Commissione Neoacquistica superius mentio injecta est. De illa observandum, qund illa

Com-

Commissio seculo 17, Viennae ex Extraneis, anno vero 1715. ex Hungaris in tribus locis nempe Posonii, Cassoviae, Zagrabiae eo fine ordinata erat ut Regnicolae Jura sua ad Bona e manibus Turcarum revindicata, coram illis Commissionibus edoceant, eaque deposita Titulo Juris armorum certa Taxa rehabere possint. Haec Commissio non pertinebat ad talia Bona, quae ob Notam vel Defectum erant confiscata, verum tantum ad Extraordinarias Fiscalitates. Illi qui quinquaginta annorum Possessorium edocebant, absolvebantur a Jurium Productione penes Resolutionem Regiam. Anno 1729 cassatis Commissionibus istis, Neoacquistici Processus ad Tabulam Regiam sunt translati, in Forma Commissionis, et Delegati Judicii ibidem discutiendi, et ad suam Majestatem (non ad Tabulam Septem-Viralem) via Provocationis submittendi: Anno 1741. Articulo 21 omnes Processus sub Nomine Fisci Regii, quoad Bona Neoacquisita suscitati, et adhuc tunc pedentes cassati, et tam privati, quam Fiscus ad Ordinariam viam Juris relegati sunt, ut Fiscus ex Nota vel defectu agat.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

De Rebus.

Res sunt vel Universales, quae quoad proprietatem nullius sunt, quoad usum omnium, nec possunt occupari, quia sunt inexhausti usus, adeoque cessat ratio occupationis, nec possunt defendi, et in potestate contineri: v. gr. Sol; Aër Oceanus. Vel Communes, quae quoad proprietatem Reipublicae sunt, quoad usum singulorum Civium, v. gr. Viae Publicae. Vel Publicae, quae quoad proprietatem Reipublicae sunt, quoad usum, omnium simul sumptorum v. gr. aedifica publica. etc. Vel privatae, quae et quoad proprietatem, et quoad usum privatorum sunt, et quidem vel personae unius moralis, v. gr, Societatis, Communitatis, vel Personae Physicae.

Res privatae vel sunt Aviticae, vel Acquisitae, vel Corporales, vel Incorporales, v. gr. Jus piscandi, educillandi. Vel Mobiles, vel Immobiles.

Dominium est Jus de re disponendi Respublica dicitur habere in Bona Privatorum eminens Dominium, Privati vero vulgare. Quodsi in proprietate simul, et usu fructu consistat, dicitur Plenum. Si ex alterutro tantum, Minus Plenum, et quidem sola proprietas Diréctum Dominium, solus usus fructus vero utile Dominium dicitur.

Res acquirendi modus est vel Naturalis, vel Civilis. Naturalis vel est Originarius, id est cum res talis acquiritur, quae adhuc non fuit in Dominio antea, aut saltem actu non est. Vel Derivativus, cum res jam in alicujus Domino existens in alterum transfertur. Originalis est vel simpliciter talis, id est, cum res, quam acquiro, nullo modo est in Dominio. Vel secundum quid talis, si ita non fuit in Dominio, et in illa forma, in qua nunc est.

Modos acquirendi Naturales Lex nostra aliquatenus approbavit, et de illis disposuit, itaque fit.

CAPUT I.

De Modis acquirendi Naturalibus.

Modus acquirendi Naturalis simpliciter talis est Occuptio.

Prima species Occupationis applicando ad Jus nostrum est Venatio, quo pertinet etiam Aucupium, quorum utrumque praesupponit rem talem, quae est nullius. Hinc mansveta animalia, vel fera quidem, verum in vivariis inclusa, non possunt venatione acquiri, sic nec examina apum, dum Dominus illa potest persequi, et colligere. Haec vel

ex

ex ipſo Juro Naturali intelliguntur, quid vero poſitivi circa venationem Jure noſtro Civili ſtatutum ſit jam videamus, v. gr. 22: 1729. ſtatutum eſt.

1) Domino Terreſtri licita eſt venatio in Bonis ſuis ſemper, modo per id tertio damnum non inferat, v. gr. ſegetibus. Hinc canes Anglicos Sincoran dictos non licet intertenere, eo minus cum illis venari.

2) Cuicunque Nobili etiam in fundo alieno, licet venationem, et aucupium exercere absque deſtructione ſegetum, exceptis Phaſianis, et Perdicibus, quos in territorio illo, ubi illos Dominus alit, non licet trajicere. Exceptis praeterea: Foetificationum Temporibus, v. gr. Cervum maſculum a die 15. Septembris usque 1. Junii. Cervam femellam a 1. Jan. usque 1. Septemb. Damas femellas a 1. Martii usque medium May non licet trajicere, vel perſequi absque Conſenſu Domini ſilvae. Excepta denique media parte ſilvarum, aut dumetorum, vel arundinetorum illa, quam Dominus Terreſtris ad Caſtellum ſuum, vel Curiam, aut Reſidentiam pro neceſſitate propria exſcindi fecerit, in qua parte absque Conſenſu Domini Terreſtris venari, aucupari non licet. Licet tamen talem ſilvam vel ſine eo ingredi, ut feram in non prohibita ſilva vulneratam, et eo fugientem ibi perſequatur quis, et tollat, aut canes, feram, eo perſequentes, revocet.

Prohibentur vero venari ignobiles, Cives extra ſuum Territorium, et omnes qui non ſunt Indigenae. Item Milites infra vexilliferum, reliqui ſuperiores poſſunt in loco ſui quartirii recreationis

causa, si Domanus Terrestris ibi non habitet. Ignobilibus ne quidem canes sagaces, et vertagos intertenere licet sub poena 3 florenorum per Dominum Terrestrem desumenda, qui si neglexerit desumere, et Colonos suos venari, et aucupari permiserit, in ipso Domino desumit V. Comes. Ulad. 5: 13. 1729: 22.

Piscatio soli Domino Terrestri competit, et qui in alieno piscatur, est violentus.

Processus ex venatione sunt:

Primus. Ad poenam violentiae contra illum, qui Nobilem licite venantem impedit, quia turbat illum in exercitio Juris sui.

Secundus. Ad poenam violentiae contra illum, qui in silva prohibita, vel in libera quidem silva, verum tempore Foetificationis respectivae venatur, feram trajicit, vel persequitur. Actio fundatur in 24: 1802.

Secunda species Occupationis est: Inventio. Si res sit nullius, v. gr. revera derelicta. Illius erit, qui prior apprehendit. Si vero sit res jacens, id est, quam occupandi Jus alteri jam competit, v. gr. Piscis, illi competit, cujus est fluvius. Res vero pro derelicta habita, v. gr. thesaurus in terra inventus inter inventorem, et Dominum fundi dividitur. Si vero major est summa, etiam Fiscus suam ratam, ex tali Thesauro capit. Cujus Jus hic ex eo defendi potest. Quod 1ae 10. dicat ex defectu Fiscum succedere. Jam vero Dominus talis thesauri eo ipso, quod non appareat, defecisse censetur.

Pecora

Pecora impulsa, vel invagiata, et quorum Dominus non comparet, et nec post Currentationem reperitur, cedunt Dominis Terrestribus. Verum in plerisque Comitatibus Domini Terrestres, hoc Jus pro Domesticis Comitatus necessitatibus transtulerunt. Si vero sit res latens, v. gr. Metallum, Sal, etc. De his observandum: Sal ubicunque inveniatur est Coronae. Reliquae, fodinae, si in Bonis Privatorum inveniantur, possunt per illos erga Urburam excoli. Si vero sit res deperdita, et Dominus non inveniatur, vel Praescriptionis tempus elapsum est, manet apud Inventorem.

Modus acquirendi Originarius secundum quid talis est Accessio, quae

Primo est Naturalis. Cujus species sunt a) Foetura Animalium. b) Insula, id est: Terra in fluvio enata. c) Aluvio seu incrementum terrae nostrae beneficio aquae defluetis sensim adjectum. De his simpliciter verum est, quod Accessorium sequitur suum Principale. d) Vis Fluminis, id est major terrae portio imo impetu terrae nostrae adjecta. Talis terra manet prioris Domini, quia superficies mansit, et scitur cujus sit. e) Alvei Mutatio. Si insensibiliter recessit fluvius, et per continuam alluvionem, quod ex una parte radendo abstulit, alteri adjecit, erit illius, qui adjecit, et fluvius manebit meta, et erit fluvius utrique communis, licet priorem alveum, qui meta fuerat, impleverit, et in privativo unius fundo novum alveum fecerit. Si vero fluvius, qui meta est, subito mutet cursum, tunc terra inter alveum veterem

terem, et novum sita manet illius, cujus antea fuit, alveus vetus cedet eidem, recens enatus alveus vero, et fluvius ibi decurrens ad duos pertinebit 1ae 87. Hinc is, qui in antiquo alveo habuit molenditum, poterit habere etiam in novo, licet utraque ripa fluvii cursum suum mutantis privative ad alterum pertineat.

Secundo est Industrialis. Cujus species sunt: a) Adjunctio, quando res mea rei alterius adjungitur, v. gr. per inaedificationem, adferruminationem etc. b) Confusio vel Commixtio. c) Specificatio, quando res in aliam formam transfunditur, v. gr. farina in panem etc. De his observandum Quod si rei meae ex re mea opera, vel sumptibus meis aliquid accrescit, est meum. Si ex re aliena meae rei, licet opera mea accrevit, teneor exsolvere alterum. Si vero opera illius accrevit, vel accessit, tunc si bona fide egit, ipsum exsolvo, vel auferat rem suam, si potest auferri; si vero mala fide egit, et absque damno meo auferri non potest, tunc Accessorium sequitur suum Principale, nec ego teneor exsolvere. 1542: 4. imo si quid damni mihi intulit per id, talis malae fidei homo tenetur damnum reparare, imo saepe adhuc praeterea punitur v. gr. si violenter occupavit rem meam.

Tertio est Accessio Mixta, id est, partim natura, partim facto hominis. Cujus species est: a) Plantatio. b) Satio. De his observandum, quod si bona fide fecit alter in fundo meo. Stationem, Plantationem, ego illum teneor exsolvere, et ita Accessorium sequetur suum Principale. Si vero mala fide fecit, non teneor illum exsolvere, sed

si

ſi absque detrimento meo avelli poteſt, poteſt auferre, ſecus non poteſt, imo punitur. Acceſſionis Mixtae Species eſt adhuc Fructuum Pereptio, id eſt, ſi ego bona fide, et juſto titulo poſſedi rem alienam, et utilitatem illius percipi. Fructus poſſunt eſſe vel Naturales, vel Induſtriales, vel Civiles, id eſt: quae ex re phyſice non prodeunt, verum propter eandem illam rem percipiuntur, v. gr. Cenſus a domo. Vel Exſtantes, vel Conſumpti, vel Pendentes, v. gr. Uvae ante vindemiam vel percepti, vel percipiendi, id eſt, quos quis non percipit, verum potuiſſet percipere; Bonae fidei Poſſeſſor vero hos omnes fructus rite, ac legaliter percipit, et fit illorum Dominus.

Modus acquirendi Naturalis Dominii Derivativus eſt Traditio, nempe per priorem Dominum facta. In rebus Incorporalibus vocatur quaſi traditio. v. gr. Jus glandinandi, piſcandi, quae vere, et corporaliter tradi non poſſunt; verum tantum per mutuum conſenſum, per promiſſionis acceptationem. Si res ipſa tradatur, vocatur traditio Realis; Si ſignum rei traditur, vocatur Traditio Symbolica. v. gr. clavis cellarii pro vinis: Si de manu ad manum fiat, vocatur Traditio brevi manu. Si e longinquo, vocatur Traditio Longa manu. Quid poſitivi circa hunc modum Dominia acquirendi apud nos obtineat, videbimus paſſim per decurſum hujus Libri II.

CAPUT

CAPUT II.

De Donatione.

Donatio est vel Publica, quae fit per Personam publicam, ex Officio, et Auctoritate Publica v. gr. cum Rex, vel Palatinus, aut Locumtenens, vel Primas, aut alter Praelatus id Juris habens bona immobilia confert. Vel Privata, quando quis qua privatus dat, et haec est duplex: vel Donatio inter vivos, quae habet naturam Contractus et non potest revocari. Vel Donatio mortis causa, quae fit vel in ipso periculo mortis, vel ob metum imminentis periculi, vel saltem ob mortem possibilem ex consideratione communis mortalitatis; licet citra omne periculum praesens, vel imminens. Haec Donatio ante mortem semper potest revocari; licet res tradita erat, quia tantum in casum mortis, et non revocatae voluntatis fit, et quidem si ob praesens mortis periculum fit, illo cessante prorsus evanescit etiam ipsa Donatio. Differt a Testamento seu legato in eo, quod ante mortem dantis fiat acceptatio, et saepe etiam traditio rei.

Donatio Regia est Collatio Juris Possessionarii a Legitimo Principe, Patriae Civi privilegialiter, et Jure perennali facta. Requisita Donationis in genere sunt illa, quae aliorum Privilegiorum. In specie vero —

I. Requisitum est: ut Clausulae usitatae, id est Lege, Consvetudine, et de Stylo receptae adsint, et non insolitae. Usitatae Clausulae sunt, v. gr. 1. Salvificatoria haec: Salvo Jure alieno aae: 9.

Verum

Verum haec, etiamsi omitteretur, naturaliter inesse censetur. 2. Praemissis ut pr fertur Statibus, seque habentibus, id est: si expositio Donationem petentis vera sit; v. gr. In nova Donatione. 3. Si ad aliquam Arcem nostram, vel Ecclesiam non pertineat illud bonum. Sed haec Clausula quoque naturaliter inesse censetur; quia bona Coronalia, vel Ecclesiae propria Auctoritate Rex non potest alienare. 4. Haeredibus, et Posteritatibus. Vel Haeredibus, et Posteritatibus masculini sexus, vel utriusque sexus universis, de cujus sensu infra videbimus 5. Haeredibus, Successoribus, Legatariis, Cessionariis. Cujus Clausulae illa vis est, quod etiam absque Consensu Regio possit ultimus deficiens talia bona cuilibet dare, quia in hac ipsa Donatione Consensum suum Princeps praevie dedit. Item quod talia bona utrumque sexum sequantur apud familiam Donatarii; quia si voluit Princeps, ut etiam alieno, et a sanguine extraneo possint illa bona absque Consensu Regio ulteriori dari, non censetur faeminas ejusdem Donatariae familiae successione Bonorum excludere voluisse. 6. Maribus, iisque deficientibus faeminis, et tunc post defectum masculorum transibit Bonum ad proximam ab ultimo deficiente faeminam, nisi ulterior haec Clausula adjecta sit: ad Summam tale m: Quia tunc bona sexui faeminino aufert Fiscus post defectum masculorum, et non nisi specificatam in Donatione Summam illi numerat. Observandum adhuc quod Clausulae insolitae, licet Donationi inferantur, tamen illam non vitiant, verum pro non adjectis, et nullis haberi debent.

II. Requisitum est: ut Titulus Donationis, id est via, ac modus ille, quo bona Donata ad Fiscum devoluta, ac collata sunt, clare in Donatione exprimatur, ut si quis ex possessorio contradixerit, Donatarius illum Titulum, quo Bona impetravit, probare, aut Contradictor, licet extra possessorium existens illum Titulum evertere, ac Jus suum edocere valeat. Tales Tituli sunt 5. utpote: Juris, Regii, Defectus, Notae, sub quo et Crimen laese Majestatis comprehenditur. Novae Donationis, Consensus Regius.

III. Requisitum: ut Donatio Statutione roboretur.

Primus Titulus Impetrationis itaque est ex Jure Regio. 1ae. 24, 25. Jus Regium est Jurisdictio Sacrae Regni Coronae in bonis ad eam devolutis existens. Si bona in manibus Fisci sint, id est, et Jure et facto devoluta sint ad Fiscum, vocatur Jus Regium clarum. Si vero necdum facto, sed tantum Jure sint ad Fiscum devoluta, id est, non sunt in manibus Fisci, tunc vocatur Jus Regium latens. Donatio ex Titulo Juris Regii emanare solet cum hac Clausula speciali Totum, et omne Jus nostrum Regium conferimus, damus etc. Et quidem vel simpliciter tantum datur Jus Regium, et ex illo unico tantum Titulo datur Donatio; vel vero alterutri ex reliquis quatuor Titulis annectitur, et tunc dicitur Jus Regium accessorie, vel annexive conferri. Licet clarum sit Jus Regium, tamen si est antiqua Fiscalitas id est 32. annos excessit, ex Juris Regii Titulo debet Impetratio fieri, si vero recens est

Fisca-

Fiscalitas; bona eo Titulo possunt impetrari, quo ad Fiscum devoluta sunt. Ex latente vero Jure Regio, Bona vel simpliciter; vel accessorie impetrantur. Licet vero ut Jus Regium enascatur in Bonis, semper necessario praecedere debuit Defectus, vel Nota, adeoque ubi Jus Regium est; necessario vel Defectus, vel Nota adesse soleat, et qui ex Jure Regio impetrat, semper vel ex defectu, vel ex Nota impetrat, cum ex horum alterutro Jus Regium derivare debeat, adeoque hos duos saltem Titulos unicus Juris Regii Titulus supplere posse videatur, tamen 2ae 24. §. 10. inde ab antiquis temporibus Titulus Impetrationis ex Jure Regio a Titulis Notae, vel Defectus diversus, et distinctus fuit, utpote qui in Casibus talibus fieri solet, in quibus Impetratori difficiliorem probam, imo saepe etiam poenam voluit lex imponere, quorum neutrum currit, saltem circa Impetrationem ex Titulo Defectus. Praeterea saepe tutius est ex Jure Regio impetrare, quam ex Defectu, vel Nota; quia facile potest fieri, quod in Titulo Impetrationis aberretur, quod non eo Titulo devolutum sit bonum ad Coronam, quo impetratum est. Si vero jure Regio impetratum est, cessat difficultas, quia tam Notam, quam Defectum in se continere potest, et quidem cujuscunque hominis generaliter, secus ac Nota, Defectus, et Consensus, quia his Titulis speciale Jus Regium datur. id est illud, quod ex determinatae Personae Nota vel Defectu enatum est, vel enascetur respective.

Si principalis Titulus Imperationis v. gr. Defectus ruat, id est non probetur, vel probetur quide

dem Defectus, sed possessorium Deficientis non doceatur per Impetratorem, vel probetur quidem tam Defectus, quam possessorium, verum Jus Deficientis evertatur ab adverso, id est per Contradictorem, tunc ruente hoc Titulo principali potest Donatarius annexo Titulo Juris Regii inhaerere, et si probaverit illud tempore impetratae per ipsum Donationis in bonis latuisse, triumphabit. Hoc idem sentiendum de reliquis Titulis, v. gr. Si Nota, aut possessorium Notorii, (ex cujus nempe Nota impetratio facta est) non probetur per Impetratorem, aut Jus Notorii evertatur per Contradictorem, vel Impetratione Titulo Consensus facta Fassio invalidetur, aut Jus Fatentis non doceat Impetrans extra possessorium existens, aeque potest Juri Regio inhaerere. Imo etiam in ipsa nova Donatione, licet Titulus Novae Donationis ob non edoctum pacificum possessorium ruat, tamen nisi bonum Donatum fuerit Coronale, vel Ecclesiae, aut violenter per Donatarium occupatum 1ae 7. Vel vero ipsa Donatio per Principem revocetur 2ae 12 tamen adhuc cum annexo Jure Regio Impetrator experiri potest. Quia si non liceret ipsi Jure Regio experiri, superfluum esset annectere novae Donationi Jus Regium; nam solus Titulus novae Donationis sufficienter probatus, et stabilitus sufficit ad id, ut Jus Regium actu in bonis latens contra Fiscum conferat aliter ac in aliis Impetrationibus, quia in illis nisi Jus Regium annexive datum sit, poterit Fiscus saepe auferre Donatario, sed in nova Donatione non potest, etiam si Jus Regium non dederit. Ergo quod tamen adji-

citur,

citur, ideo fit, ut utatur eo, si revera lateat; jam vero ita utetur, si ruente Donationis Titulo annexo Juri Regio inhaereat, ruet vero novae Donationis Titulus, si Conditio, sub qua novae Donationis Titulo Jus Regium datum est, nempe actuale, vel praehabitum pacificum possessorium non probetur, atque tunc Juri Regio, quod absolute absque Conditione, id est praescindendo a possessorio accessorie collatum est, inhaerere poterit Donatarius, exceptis casibus superius attactis.

Si Jus Regium principaliter impetretur, et non probetur, imo Contradictor in pacifico possessorio existens Jus suum sufficienter probet, Impetrator convincitur in perennali aestimatione bonorum eorundem 1ae 25. Si vero possessor jus suum non edoceat, absolvitur quidem, sed nec Impetrator punitur, quia tantum tunc punitur hac poena, si alteri firmo Jure possidenti insidietur, atqui hoc non scitur, quamdiu non probatur. Si vero annexive impetratum Jus Regium non probetur, non currit haec poena, nisi Impetrator ampliori processu pertinaciter, et temere egerit, id est appellata, vel Novo utatur, et nullibi triumphet.

Secundus Titulus impetrationis est ex Defectu, huc pertinet etiam Titulus Exspectativae Gratiae, in casum futuri Defectus. 1609: 73. §. 13. Si bona solum sexum masculinum concernebant, tunc licet filias deficiens relinquat, tamen per Defectum feminis solet Imperatio fieri Si vero utrumque sexum concernant, tunc per Defectum feminis utriusque sexus, 1ae. 22. Defectus est vel antiquus, vel recens. Ille est, si a defectu 32. anni elapsi

sunt

sunt, hic vero, qui non est adhuc 32, annorum. Imo licet a Defectu nondum sunt 32 anni elapsi, si tamen amissi per Deficientem possessorii tempus 32 annos excedat, eadem est ratio habenda, quae antiqui Defectus, et tunc ex Jure Regio debet Impetratio fieri, et licet ex Defectu impetrat, tamen Juris Regii probam praestare tenetur: id est non tantum Defectum, et possessorium deficientis, verum etiam Jus illius. Qui ex Defectu impetrat, et illum non probat, non punitur 1ae. 26. et potest Juri Regio nefors annexo inhaerere, et illud ad Defectum, vel Notam alterius praeter Familiam in Donatione sua specificatam deducere.

Tertius Imperationis modus est ex T i t u l o N o t a e. De Nota hic tantum eatenus agimus, quatenus est fundamentum Impetrationis, et ita considerando etiam Crimen sub se complectitur. Nota aeque uti Defectus, est vel a n t i q u a, vel r e c e n s, id quod de Defectu antiquo, vel recente diximus, hic etiam valet. Qui ex Nota impetrat, et illam non probat, et tamen pertinaciter litiget, et liti non cedat, punitur in perennali aestimatione illorum bonorum 1ae 25. §. 1.

Quartus modus Impetrationis est Titulo n o v a e D o n a t i o n i s. Nova Donatio cum hac consveta speciali Clausula solet emanare: *In quorum pacifico possessorio majores suos perstitisse, seque persistere asserit etiam de praesenti.* Princeps novas Donationes illis qui Literas suas deperditas esse, item possessorium longaevum, et pacificum probaberint, tenetur conferre Ulad. 1: 78. et quidem in sensu legum, et absque consensu, et in fluxu Camerae 19: 741.

Nova Donatio etiam super talibus Bonis potest impetrari, quae quis actu non possidet, verum antenati possederunt, quia 1ae. 37. §. 9. disjunctive dicit, ut vel antenatorum, vel suum Possessorium doceat, et edocto antenatorum possessorio, Contradictores ad dandum contradictionis rationem adstringuntur. Ita Decisiones Curiales. Imo si Jus Regium adnexum est novae Donationi, etiam partem non possessam vi illius, si lateat in bonis, acquirere potest Impetrator, licet nova Donatio quoad partem illam ruerit, quia quando Jus Regium annexive datur, tunc duas diversas Donationes confert Rex eodem actu, ut alterutra Impetratori prodesse possit.

Nova Donatio aliter consideratur.

1. Respectu Fisci. Quoad Fiscum est acquisitio, et vel uti prima Collatio, nec est confirmatio, quia fieri potest, quod antea nullum Jus habuit Impetrator, ergo fieri potest, quod nihil adsit, quod confirmari posset, ergo licet antea Fiscus potuisset auferre ob latens Jus Regium, jam ut primum novam Donationem dedit, statim se omni Jure exuit, lieet Jus Regium adnexive non dederit, quia ipsa Donatio nova latens Jus Regium semper involvit, et confert. 1ae 37.

2. Aliter respectu privatorum a sanguine alienorum. Quia contra privatum antiquius, et solidius Jus suum demonstrantem, aut Fassionarium ejus Jus Fatentis edocentem, nova Donatio prorsus nihil operatur, quia non latebat Jus Regium in bonis tempore impetratae novae Donationis, adeoque nihil per novam Donationem conferi potuit, imo ex talis anterius Jus habentis Donatarii subsequo

De-

Defectu valide poterit Impetratio peragi, et novo Donatarius ejici, imo ipse Fiscus ex Defectu novo Donatarium ejiciet quantumvis Jure Regio provisum, quia subseque enatum est Jus Regium, et tempore novae Donationis impetratae nullum inerat bonis, ergo non potuit conferri. Quod etiam de Impetratione ex Titulo Juris Regii, vel Notae aut Defectus intelligendum est, quod videlicet, si tempore Impetrationis nullum Jus Princeps ad bona illa actu habuit, etiam nihil in Donatarium transferre potuerit, quia per hos Titulos eventuale Jus Fisci non confertur. Is vero, qui Fundamento antiqui sui possessorii novam Donationem in petitorio constitutus subseque impetraverit, hoc solo, id est antiquo illo, quantumvis longo possessorio, contra anteriorem novo Donatarium ex possessorio Impetrantem nihil proficiet, nisi majores suos per anteriorem novo Donatarium, vel majores illius violenter e bonis ejectos esse docuerit.

3. Aliter Consideratur nova Donatio contra fratres Congenerationales, et Condivisionales, et homines ejusdem Familiae Juris, et sanguinis communionem habentes (quae Juris et sanguinis communio inter fratres, et fratres probari potest Divisionalibus, non item inter fratres, et sorores, Intuitu horum est Juris praehabiti confirmatio, non autem bonorum alterius Lineae acquisitio v. gr. si una Linea novam Donationem impetrans pro suo possessorio, nomine alterius Lineae fratrum in novam Donationem inseri curet, tamen ex bonis illis nova Donatione collatis, alterius Lineae homines portionem sibi praetendere non possunt, verum posses-

sorio

sorio suae Lineae contenti esse debent; per id enim tantum nexus sanguinis, et Juris inter duas Lineas recognoscitur, et virtualis successio alterius Lineae in casum defectus Impetrantis Lineae sustentatur, quod quidem ad evitandam poenam proditionis fraterni sanguinis fieri consvevit, quae facile incurritur, si ex tali nova Donatione bonis per communes antenatos acquisitis, et mutuae successioni obnoxiis superinducta, nomina Cointeressatorum exmitterentur. 38: rae. Eo magis currit poena dicta contra talem, qui fratres in possessorio existentes vellet per novam Donationem privative pro se impetratam excludere, nisi a Jure Familiae ante novam Donationem praehabito prorsus recedit. Familiam suam hactenus injuste possedisse, et Jus Fisci in bonis latuisse, idque sibi accessorie collatum, esse doceat, et ad Defectum vel Notam deducat, Jus praetensi Deficientis vel Notorii demonstret, quia sic Justis suis Juribus non fraudat Fratres, quia nihil Juris habuerunt. Nec obstat nova Donatio cum insertione filiarum, vel uxoris emanata, quominus fratres condivisionales in iisdem bonis novam Donationem impetranti, et per illam Fratrum successionem intervertere volenti succedant.

4. Aliter consideratur nova Donatio respectu sexus faeminei Impetrantis familiae. Quia intuitu sexus faeminei est prioris Juris corroboratio, et illius, si nesors infirmum fuit quoad Fiscum, in privilegiale transmutatio, hinc non mutat indolem bonorum, nec dat plus vel minus sexui prae sexu, quam ante fuit, quia secus non esset corroboratio prioris Juris. Hinc non sufficit nova Donatio pro so-

lis maribus impetrata ad exclusionem sexus faemi-nei in possessorio existentis, verum ad id primaevae acquisitionales, medio quarum nempe bonum ad Familiam devenit, producendae sunt, et ex illis natura bonorum definienda est. Nec intermissio contradictionis, id est: pura Novae Donationis statutio faeminis quidquam officere potest. Imo licet faeminae extra possessorium sint, si tamen praehabitum ante novam Donationem possessorium probent, etiam tunc nova Donatio contra ipsas omni vi destituitur. Si vero nec id probent, tamdiu nova Donatio ipsis obtendi potest, donec processu ad aequalitatem Juris movendo, Jura sua ex acquisitionalibus edoceant. Sic versa vice, si quo pacto bonis ex origine solum sexum masculinum concernentibus, nova Donatio pro utroque sexu inducatur, mares contra sexum faemineum ita agere poterunt, ac si nova illa Donatio non existeret. Mares privativam pro se Impetrationem bonorum communium dolose facientes, si aequalitas Juris prodeat, in proditione fraterni sanguinis facile convincuntur, verum licet prodeat bona aliqua utriusque sexus esse, tamen fieri potest, quod non Jure possideat illa Familia eadem bona, et Jus Fisci lateat in bonis, si mares illud Jus accessorie impetraverint, et edocuerint, non punientur, quia non fraudabunt faeminas justis illarum Juribus, atqui dicta poena tantum tunc dictari solet, cum quis Congenerationalem, et Condivisionalem suum justis Juribus fraudat. Si novo Donatarius Clausulam Impetrationis non probet, cassatur illius Donatio, et praeterea si prodeat Bonum Coronale, vel Ecclesiae, vel

violen-

violenter per ipsum occupatum impetrasse, acriter punitur. 1ae. 1. 37. id est eadem poena, quam sub Jure Regio diximus.

Quintus Titulus Donationis impetrandae est Consensus Regius quo scilicet Princeps translationem perennalem Boni cujuspiam quoad Fiscum non liberae dispositionis per ultimum deficientem in alium fieri rati habet. Ergo consensus Regius semper praesupponit aliquem inter privatos tractatum vel dispositionem, in quam Princeps consentire petitur. Praesupponit praeterea Bona talia esse de quibus si quis absque consensu Regio disponat, illius dispositio vel tractatus qualiscunque infirmus sit. Talia Bona sunt illa, quae quis Donatione mediante, qualicunque demum Titulo, per ipsum, vel antenatos ejus impetrata possidet, et simul ultimus deficiens est, quia si quis ultimus deficiens non est, etiam de Bonis Donationalibus potest disponere, illa vendere, et hoc tantum Successores ipsius possunt controvertere, et talem dispositionem, vel alienationem invalidare, si nempe ipse simul primus acquisitor non sit, Fiscus vero non potest, quia quamdiu Familia Donatarii durat, tamdiu non interest Fisci, ubicunque vagentur bona, et ille nonnisi post totalem Familiae donatariae defectum bona ab illis, ad quorum manus devenerunt, requiret. Si vero Bona apud illum, qui disponere de illis, et illa alienare vult, Extradonationalia fuerint, tunc licet quis ultimus deficiens sit, tamen ad id, ut ille de talibus bonis disponere valeat, consensus Regius non requiritur, et prorsus inutilis esset, quia ex talis hominis de-

fectu in illis bonis nullum Jus Fisco enascetur. Adeoque licet consensum Fassioni, vel qualicunque dispositioni per talem factae daret; tamen per id Impetrator illius consensus nihil acquireret, verum vel ipse Fiscus ex veri Donatatii defectu eidem illa bona auferre posset. Licet vero nonnisi in casu Defectus sit consensus Regius necessarius, tamen non nocet ante imminentem Defectum consensum petere, licet adhuc plures in Familia Donataria fatente supersint. Etiamsi ultimus Deficiens fateatur Bona Donationalia, tamen non requiritur consensus Regius in his casibus v. gr. Si alienatio sit in extrema necessitate, uti est redemtio Capitis, redemtio ex captivitate hostili, iae. 59. Tales fassiones itaque ita sunt considerandae, ac si consensum dedisset Princeps pro illis; porro non requiritur in venditione inter Fratres Condivisionales, ut nec in Translatione. Si fassio vel translatio qualiscunque perennalis non sit inserta consensualibus Literis, seorsim debet produci, quia confirmans nihil valet absque confirmato. Si fassio invalidetur, vel Jus Fatentis evertatur, vel Fassionarius petitorio agens illud non probet, potest inhaerere Jure Regio, si nefors accessorie datum sit, et actu latuerit tempore impetratarum consensualium Literarum. Quia per solum consensum Jus actuale Regium, si quod aliter inesset, non dat Princeps, verum tantum Jus eventuale ex defectu vel Nota Fatentis enasciturum. Unde patet, quod si nec ipse Fatens habuerit firmum Jus, tunc per consensum nihil datur, et in isto casu aut latet Jus Regium in Bonis, aut superest

pereſt adhuc aliqua Familia, quae ad illa Bona firmum Donatarium Jus habet, adeoque vel Fiſcus ex latente Jure Regio, vel qui illud a Fiſco impetraverit, vel vero ſi Jus Regium non latuerit, privatus aliquis, qui Jus ſuum edocuerit, poteſt ſibi vindicare non obſtante conſenſu, vel vero ſi illa Familia deficiat, Fiſcus, vel is qui ex defectu vel Nota impetraverit. Hinc ſequitur quod conſenſus tantum tunc ſit efficax, et validus, ſi Fatens firmo Jure gaudeat, quod item licet conſenſui Jus Regium quoque adnexum ſit, tamen poſſit caſus dari, quod talis Donatarius nihil acquirat, quia fieri poteſt, quod nec fatens habuit firmum Jus, nec ullum Jus Regium tempore Impetrationis latuerit.

De recenſitis his quinque Titulis adhuc obſervandum.

1. Quod omnis Donatio Regia vel poteſt eſſe pura, id eſt gratis tantum, et non niſi pro meritis, vel mixta, id eſt pro pecunia, vel aliis rebus Fiſco praeſtitis. De Bonis Donatione mixta impetratis poteſt etiam ultimus Deficiens teſtari quoad ſummam inveſtitam etiam absque conſenſu Regio. 26: 1715. Quod idem de talibus quoque Bonis valet, quae faſſione mediante licet cum ſuperinducto conſenſu ſunt acquiſita, ubi de pecunia inveſtita aeque poterit ultimus dificiens diſponere, licet Bona Donationalia facta ſint.

2. Si Fiſcus contractu Camerali, quin ille in formam Privilegii redigatur, Bona alicui vendat, hoc tantum pignus ſapiet, et tam per ipſum Fiſcum Regium relui, quam ante reluitionem alteri conferri poſſunt.

3. Ad

3. Ad tres priores Titulos hoc notantum est: Quod si Impetrator penes legitimam Statutionem possessorium bonorum intravit, ex Defectu, et Nota ejus debet Impetratio peragi, et si in possessorio usque Defectum vel Notam permansit, a Juris illius, et Tituli, quo impetravit edoctione, posterior Donatarius sublevatur. Si vero non mansit, tunc id videndum an tempus amissi per illum possessorii 32. annos excedat, vel non? Si excedit, tunc Jus quoque illius debet edocere, uti etiam tunc, si Impetratio post Defectum, vel Notam 32. annis facta est. Si vero post Statutionem possessorium non est ingressus, de hoc casu Decisio Curialis hoc dicit, quod si Statutio contradicta et non purifata est, non potest ex Defectu vel Nota illius impetrari, verum illam rationem dat, quod Donatio et Statutio usu destituta non constituit fundamentum Impetrationis atqui illa ratio etiam tunc valet, si Statutio pura quidem, sed possessorio roborata non fuerit. Favorabilius tamen videtur ex illius Defectu debere impetrari, qui se statui curavit, licet possessorium illius non prodeat, quia certum est jam ex eodem Titulo, quo ille impetravit, impetrari non posse, Impetrationisque fontem et causam exhaustam esse; praeterea facile potuit fieri, quod ille primo possessorii suo momento, vel etiam antea Bona illa alteri vendiderit, vel cum possessoribus accordaverit, qui usque defectum illius in bonis manere debent, verum tamen possessorio illius non eveniente, Titulus Impetrationis prioris Donatarii edoceri debebit per posteriorem, quia frustra probatur Defectus talis hominis, qui non

fuit

fuit in poessessorio, frustra etiam Jus Regium ex illius Defectu deducitur, verum idem est, ac si posterior ex eodem Titulo impetrasset, ex quo prior, ergo id debet probare, quod prior ad acquisitionem agens debuisset, nec obstat priorem Impetrationem evolutis nefors a tempore Impetrationis 32. annis obsolevisse, instituto que acquisitorio, et probando Titulo praescriptum esse; quia etiam ille prior Impetrator posset, si viveret, Donationem ex eodem Titulo, quo prius impetraverat, expediri, et se statui curare, et sic ad acquisitionem, si adhuc Juri Regio praescriptum non sit, procedere, Titulumque probare, idem facit nunc posterior Donatarius, qui ex Nota vel Defectu ejus impetravit.

Quod si vero Statutio prorsus non sit peracta, ex prioris Donatarii Nota, vel Defectu debet Impetratio peragi, et Jus simul, et possessorium illius doceri. Quod vero consensum Regium attinet, aliqui putant per consensum Regium Jus quoque Regium actu in bonis latens conferri solere. Verum quod per Consensum Regium tantum eventuale Jus Fisci detur, apparet ex eo, quod Verböczius 64: 1ae. consensum Regium ita definiat, quod sit cessio Jurisdictionis S. Coronae in bonis ad eam successorio modo, Jureque d e v o l v e n d i s, non dicit: d e v o l u t i s, praeterea si per consensum Jus quoque actu, id est tempore illius impetrati in bonis nefors latens conferretur, otiosum esset consensui Jus quoque Regium adnectere, quod tamen saepe fieri solere scimus, et ex Titulo eodem §. 5. clarum est. Ergo Jus Regium, si quod aliter inesset, non datur quidem per consensum, verum si

Fatetis

Fatens jam defeciſſet, nihil obſtat, quominus Jus ex defectu ipſius enatum per conſenſum ſubſeque impetretur non tamen, ſi quod aliter in eſſet.

Quaeri poteſt adhuc an aliquem effectum producat conſenſus ante defectum Donatarii fatentis? Seu quod idem eſt, an vivente Donatario fatente in Privilegiale mutetur Bonum apud Faſſionarium conſenſum ſuperinducentem, ita ut etiam vivente fatente Donatario Fiſcus ſuccedat faſſionario, veluti qui per conſenſum Donatarius factus ſit, vel vero fatens? Sciendum faſſiones vel translationes quaſcunque perennales inter vivos factas, vel cum Clauſula: Nil Juris reſervando, vel abſque illa fieri. Si exmiſſa eſt illa Clauſula, tunc ab inteſtato deficienti Faſſionario fatens ſuperſtes ſuccedit, ſi inſerta eſt, tunc Fiſcus ſuccedit. Unde ſuapte apparet.

1) Quod ad Clauſulam illam tunc reſpiciatur, ſi Faſſionarius prius defecerit, conſenſus vero prorſus tunc in conſiderationem in regula non ſumitur.

Si fatens prius deficiat, tunc Clauſula illa non attenditur, verum hoc quaeritur, an conſenſus adſit? et tunc totum negotium inter Fiſcum, et Faſſionarium vertitur.

3) Si vero Faſſionarius prius deficiat, et Faſſio cum Clauſula: Nil Juris etc. ſit, tunc ſi conſenſus non adeſt, poteſt Faſſionaribus diſponere de Bonis, ſi non diſpoſuit; ad Fiſcum devolvuntur. Si vero conſenſus adeſt, non potuit diſponere, verum ad Fiſcum debent neceſſario devolvi. Quia Faſſionarius facultatem diſponendi ceſſit pro conſenſu, quo Princeps ipſum aſſecuravit, de eo quod ſi nefors

fors fatens citius deficeret, ad Bona praetensionem non formabit, sed apud ipsum manere permittet, et vicissim a Fassionario sibi ipso facto stipulatus est, quod si nefors Fassionarius deficeret, bona in neminem absque consensu Principis transferet. Jam sive adsit consensus, sive non, hoc ad fatentem non pertinet, quod ille in his Bonis non succedat Fassionario, non consensus obstat, sed insertio Clausulae, per quam Jure successorio se exuerit, consensus de regula nec in considerationem debet quidem sumi vivo fatente (verum tamen in hoc casu inter Fiscum, et Fassionarium, aut illius Cessionarios, Legatarios, Fassionarios, id est, circa id an habeat Fassionarius liberam dispositionem? operatur, et operari potest.) ideo quod fatentis non intersit, an Fiscus, vel alter aliquis adipiscatur bona, sufficit quod ille ad ea nullum Jus habeat, adeoque absque praejudicio illius alter quilibet potest habere quia sive disponat, sive non disponat Fassionarius; tamen ad fatentem non redibunt bona. Verum —

4. Si exmissa est Clausula, longe alia habenda est ratio, quia sic reservavit sibi Jus fatens, et quamdiu illius Jus in bonis viget, consensus prorsus nihil operatur, et pro non Ente habetur, et omnia illa cessant, quaecunque consensum, si ille valeret, comitarentur, manetque res in statu illo, ac si consensus non esset superinductus, et quidquid in priori casu operabatur consensus, id nunc propterea cessat, quia fatens Jus succedendi sibi reservavit, adeoque habet in casum intestati successionem sperativam, hinc praejudicaret ipsi, si quis ab intestato succederet, ergo in hoc casu consensus super in-

ductus

ductus liberam dispositionem Fassionario auferre, et successionem Fisco procurare non potest.

Ex his haec deduci possunt —

1) Ex Defectu fatentis Donatarii potest impetratio fieri, cum qualicunque Clausula facta fuerit fassio, si consensus fassioni non sit superinductus.

2) Si fassio est absque Clausula: Nil Juris, tunc sive sit fassioni consensus superinductus, sive non; tamen ex Defectu Fassionarii vivente fatente, non potest impetratio fieri, verum testari, vel aliter alienare potuit ultimus deficiens bona, et ille, cui dedit, eodem Jure possidebit, nempe fatentis adhuc superviventis Jure, si vero non abalienavit, tunc ad fatentem redibunt bona. Qui exmissa Clausula Jus succedendi ab intestato sibi reservavit, et per id ipsum consensus ob metum maturioris defectus fatentis impetratus evanuit, ergo iterum ex defectu fatentis debebit impetrari.

3) Si fassio est cum Clausula: Nil Juris, tunc licet non adsit consensus, ex Defectu Fassionarii potest impetratio fieri, si ultimus deficiens non disposuerit de Bonis. Si disposuit, non potest impetratio fieri ante Defectum fatentis. Si consensum superinduxit Fassionarius, cessit liberae dispositioni, et redit casus prior, nempe is, si ultimus deficiens non disposuit, quia non disposuisse, et non potuisse disponere, eundem effectum producit, et impetratio ex defectu Fassionarii fit, non ideo quod consensus superinductus est, verum ideo, quia ob insertam Clausulam: Nil Juris, non fatens successit ab Intestato, verum Fiscus, consensus vero hic tantum id operatur, ne

Fassio-

Fassionarius disponere possit, verum Fiscus succedat, fatente se alioquin per insertionem Clausulae Jure exuente, item hoc, ne Fiscus Fassionario adimere possit, si nefors fatens prius defecisset.

Ceterum in tota hac materia supponitur fatentem firmum Jus habuisse; quia si infirmum habuerit, uti ipsi potuisset, ita Fassionario ejus semper potest vel superstes Donatarius, vel Fiscus auferre, aut alter impetrare non ex fatentis, vel Fassionarii defectu, verum ex alio aliquo defectu, vel Nota. Nisi illud latens Jus Regium, accessorie collatum sit praeter consensum, quod si factum est, semper ex defectu Fassionarii debet impetratio fieri.

Non est dissimulandum vulgarem opinionem illam esse, quod ut primum consensus superinductus est, semper cessat libera disponendi facultas, et semper ex defectu Fassionarii debet impetratio fieri etiam vivente fatente. Nos dicimus hoc omne tunc verissimum esse, si Fassionarius fatenti supervixit, et postea defecit, quia tantum in illum casum operatur consensus, quia tunc enatum est Jus illud in Fiscum devolvendum, quod per consensum contulit. Hinc est, quod tantum tunc est necessarium inducere consensum, si una persona existat e familia fatentis Donatarii, ergo antea, ut necessarium non fuit, ita effectum nullum producere potuit. Vivo fatente vero tantum tunc verum esse dicimus, si fassio cum Clausula: Nullum Jus est emanata, et vel non disposuit ultimus deficiens, vel se disponendi facultate in Gratiam Regis consensum dantis exuit. Huc facit, quod quando quaerebatur in Curia, an parti-

ticulae ex bono per Fiscum in corpore collato decerptae Palatinus consensum dare possit, eo argumento etiam negabatur, quod consensus in casum mortis fatentis Donatarii operatur; atqui eveniente morte fatentis non posset Palatinus bona talia discerpere, ergo nec ante mortem ejus.

Objectio 1. In privilegiale mutatum est Bonum per consensum. Ergo —

Responsio. In Privilegiale mutatum est, si fatens defecit, aut fassioni cum Clausula: Nullum Jus consensus inductus est, secus non.

Objecrio 2. Consensu impetrato recessit a Jure fatentis, et inhaesit Privilegio.

Responsio 1. Non recessit, imo illo se defendet, si illud firmum sit.

2. Si Privilegio inhaesit, recte per id demonstrat, se a Jure fatentis non recedere, quia illud Privilegium tantum ita valet, si Jus fatentis valet, et illud Privilegium tantum Fiscum, et Fassionarium tangit, fatentem non. Quia eo non obstante etiam Invalidatoriae actioni locus est.

De Donatione Palatinali observandum:

1. Palatinus non potest Mixtas Donationes conferre quia ad Evictionem Fiscum Regium obligare non potest.

2. Ignobili non potest Donationem conferre, hinc qui tali Donatione uti vult, debet probare Nobilitatem.

3. Non potest talia bona conferre, quae Fiscus actu possidet, aut oppignoravit, vel inscripsit, verum tantum talia, quae solo Jure et non facto ad Coronam devoluta sunt.

4. Uni

4. Uni non potest supra 32. Sessiones dare.

5. Quod Fiscus in uno corpore 32 Sessiones excedente contulit, licet successive per divisiones ad plurium manus pervenerit, et unus ex pluribus condivisionalibus nonnisi unam Sessionem possideat, et illam vendat, vel Notam incurrat; tamen Palatinus tali fassioni consensum Regium dare, aut ex Nota conferre non potest, quia ut Curia decidit, ita per partes successionem, at conferendi facultatem Fisco auferret. Ergo talem Donationem ex Nota, vel Defectu factam oppugnat Fiscus statim coram Tabula Regia. Consensum vero per illum datum, tunc quando familia fatens Donataria defecerit. Quia ut Curia dixit: tunc incipiet penes consensum possidere, antea penes fassionem possedit, quod Fiscus ante defectum controvertere non potuit, sive fuit consensus, sive non. (Privatus non potest contra Donationem Palatinalem talia controvertere.) Si vero corpus per Principem collatum non excedat 32. Sessiones, ita uni, vel pluribus etiam Sessionibus Palatini consensus superinductus aut ex Nota ab eodem in parte, vel toto conferri potest.

Secundum Verböczium 133. 1ae Sessionem unam constituit unum aratrum Regale, quod complectitur in se 150 Jugera Regalia. Quorum singulum 72. ulnas Regales longum, 12. latum est. Ulna vero constat ex mensura Regali digitos, 7. constituente sedecies assumta. Verum quando Fiscus Donationem Palatinalem ob excessum invalidat, mensura ista non solet attendi, et cosvetudo cujusque loci litem dirimit. Solet etiam recurri ad conscriptionem Portarum Comitatensium, 1609: 62. et

36: 1647. quatuor Sessiones Colonicalas contineri dicuntur in una Porta, licet ipsum Sessionum constitutivum, seu magnitudo pro Comitatuum diversitate valde diversa sit.

CAPUT III.

De Statutione, et Contractione.

Statutio est introductio Donatarii in Bona:

Requiritur 1. Ut fiat per personas habiles ad minus duas, quarum prima est homo Regius vel Palatinalis, per conferentem, vel vero Judicem Regni Ordinarium Mandato Statutorio denominatus. Qui in illo Comitatu, in quo statuit, debet bona, id est: haereditatem Nobilitarem habere aae: 19. Si non actualem, saltem sperativam, et virtualem. Verum huic vitio, si nempe non habuerit, praescribitur, id est: diuturnitate Possessorii post Statutionem illam vitiosam exerciti, illud vitium deletur. Juratus Tabulae Regiae licet Ignobilis, et impossessionatus potest Statutionem peragere valide. Altera persona est homo Capitularis, vel Conventualis, qui debet linguae Patriae peritus esse, ut et legum Patriarum, et praeterea exmissionem debet habere a Conventu, vel Capitulo, et illa exmissio ad dorsum Mandati Statutorii, ad quod nempe exmittitur per alios Capitulares cum specificatione Anni, diei, mensis apponatur, et subscribatur, 723: 39. Conventuales tantum in vicinis Comitatibus, Capitulares vero tantum in sua Dioecesi possunt statuere, saltem non in remotis a se

Locis,

locis, 1723: 40. Denique debent juramento pro talibus functionibus peragendo adstrictae esse. 39: 1723. Mandatum Statutorium est duplex. Si sit cum Clausula: Cum nos attentis etc. habet vim per annum integrum, et intra annum potest Statutio peragi, et probat Jus in Judicio, quia inserta est Donatio. Si vero sit cum Clausula: Dicitur nobis quod et etc. intra 60 dies debet Statutio peragi, et cum non contineat Donationem ad acquirendum, vel reacquirendum absque producta Donatione, ad quam provocat, non sufficit, verum ad defendendum ex Possessorio sufficit.

Requiritur 2. ut intra tempus lege definitum peragatur. v. gr. Donatio nullis conditionibus restricta qualis est impetratio ex Jure Regio, ex Defectu, Nota, nova Donatione, imo etiam Titulo consensus actuali translationi, vel cessioni superinducti intra annum ab emanata Donatione debet Statutione roborari. Consensus vero conditionatae Translationi superinductus, intra annum ab enata conditione. Si Jus Regium adnexum sit 63: 1ae, illud intra annum ab emanata Donatione debet statui, adeoque consultum est, ut statutio tunc bis peragatur; si incertum est, quis ex duobus illis Titulis sit firmus, et validus futurus. Licet Donatarius ante Statutionem vendat bona cum Clausula: nil Juris etc. Si tamen intra annum se statui curet, Statutio etiam pro emtore valida erit.

Requiritur 3. ut sit in praesentia incolarum ejusdem loci, nec non vicinorum Nobilium, et Ignobilium, quos nempe homo statuens citaverit, qui sub poena 16. Marcarum per Vice-Comitem desumen-

sumendarum comparere tenebuntur. Homo Regius vero in Mandato specificatus, illud onus sub paena 6. Marcarum per Judlium desumendarum assumere tenetur 43: 1492.

4. In facie bonorum debet peragi, nisi ibi sit pestis, vel hostes ibi grassentur; quia tunc sufficit in loco proximiori securo in praesentia Vice-Comitis, et Judlium ejusdem Comitatus peragere. Uti etiam semper sufficit in loco illo, qui pro capite bonorum est in Donatione positus peragere, et appertinentias recensere, et ad illas tantum verbo extendere. Si vero plura corpora sint data, quin unum pro reliquorum Capite ponatur, tunc in omnibus illis corporibus in facie loci debet peragi, et in singulo loco tribus diebus debent statuentes commorari, praeterea debet fieri palam, manifeste in loco propatulo, et publico, secus perennalis aestimatio bonorum incurritur ad petitionem laesi. Debet esse actus solemnis, clara voce debet legi Donatio, et Mandatum, et vernacula explicari. Donatarius per statuentes manibus introduci, et illi publice bona adsignari debent. Contradicentes debent connotari, qui per eosdem statuentes ad 15 diem de praxi antiqua ad Tabulam Regiam ad dandam contradictionis rationem evocantur (Licet postea iterum evocari debeant) et Relatoriis nomina ipsorum, ut et Testium vicinorum, et commetaneorum inferi debent. Statuentes post tres dies de facie loci abire possunt, verum usque 15 fatales dies simul debent manere, ut coram illis valide interponi possit Contradictio, elapsis 15 diebus totam rei gestae seriem describere, ita Relatorias adornare,

Capi-

Capitulo praesentare debent. Homo Regius jurat se fidelem Relationem facturum, Capitularis vero refert se ad illud Juramentum; quod jam praevie ex officio deposuerat 39: 1723 Literae talis relatoriae in autentica copia Donatario extradantur. Originale in Archivo Capituli, vel Conventus deponitur, recognosci debet per Capitulum, vel Conventum in illis Testimonialibus Relationem sub juramento factam esse 1559: 50. praeterea Mandati Statutorii totus textus inserendus est, ut et exmissionis. Si Donatio quoque inseratur, est valde bonum, quia ita probabitur Jus illis Relatoriis. Relatione peracta non coram Statuentibus; verum coram ipso Capitulo vel Conventu, aut alio quocunque loco credibili; vel Judice Regni Ordinario debet fieri condradictio.

Falsam Relationem faciens Capitularis amissione beneficiorum, stygmatis inussione, et perpetuis carceribus, Homo Regius in amissione Capitis, et bonorum convincitur 43: 1492. 222: 16. Capitulum vel Conventus, si scienter falsum Testimonium extradet, convincitur in amissione sigilli, et quilibet, qui subscripsit, in amissione beneficii, stygmatis inussione, et perpetuis carceribus.

Ex dictis apparet, quid sit Statutioni Essentiale, quod si in Statutione desit, illam nullam efficit, ita ut Statutio iterum peragi debeat. Si vero sit error tantum, accidentalis, ille intra annum penes Mandatum Correctorium corrigi potest. Qualiscunque sit error in Statutione, si vel ipsa pror-

sus omittatur, tamen Fisco ex eodem Titulo, quo bona tali Donatario contulit, ad eadem bona Actio non datur, verum alter potest ex eodem Titulo, quo prior impetratio facta est, impetrare, et si se statuerit, prior Donatio cassatur.

Si Statutioni intra 15 fatales dies a die inchoatae Statutionis numerandos contradicatur, vocatur Statutio Vulnèrata. Si non contradicatur intra 15 dies, vocatur pura. Si vero contradictio interposita vel revocetur, vel Contradictor deficiat, vel cassetur cóntradictio per Sententiam, vocatur Statutio Purifata. Hinc sequitur, quod contradictio non annihilat, sed tantum vulnerat Jus alterius, et finis illius est tantum praejudicii aversio, et Juris sustentatio, ne nempe per taciturnitatem suam Juri alterius, et praejudicio suo consensisse videatur. Contradictio nocere nunquam potest, verum prodesse potest. Potest per quemcunque etiam non requisitum interponi contra Statutionem eo magis per requisitum, aut pignoratitium possessorem, qui licet tantum intuitu summae süae investitae contradicat, tamen per id etiam proprietario prodest. Potest contradictio etiam per missiles literas ad hominem Regium, vel Capitulares datas fieri, talis Contradictor aequae per missiles ad dandam contradictionis rationem per eosdem evocatur. Si bona talia impetrentur, quae actu Fiscus possidet, tunc non obstante ulla contradictione Donatarius bonorum possessionem ingreditur, et Contradictores extra possessorium contra illum agere tenebuntur. Eadem est ratio, si quis ex possessorio impetrat. Qui intra 15 dies fateles contra-

dixit,

dixit, ille habet Jus in bonis permanendi, et se ex Possessorio defendendi, et Donatio, cui ex possessorio contradictum est, non sortitur vim privilegii, donec a contradictione depuretur.

Si autem intra 15 dies non est interposita contradictio per possessores, tunc possessor ex possessorio ejicitur, et extra possessorium constitutus Juris Processu agere debebit. Quando vero Donatarius est in possessorio bonorum, aut per Fiscum possessa bona impetravit, adeoque possessorium illorum ingredi potest, tunc contradictio intra fatales 15 dies interposita Processui ad recipiendam contradictionis rationem per Contradictores movendo occasionem dat. Olim etiam fassiones (imo etiam pignora) Statutione roborari debebant intra annum. Si vero Fassionarius occasione celebratae sibi fassionis in possessorio fuit, etiam post annum potuit Statutio peragi.

Processus ex Materia Donationis enascuntur sequentes: —

Primus. Ad dandam contradictionis rationem movetur per Donatarium extra possessorium constitutum. Actio fundatur in 30: 1ae. Math. D. 51 15, 6: 27. 46: 1563. 26: 1723. In hoc Processu semper ille probat, qui est extra possessorium, et licet Contradictor post contradictionem interpositam bona alicui impignoraverit, aut nefors citatus per Donatarium, et in Contumacia ob non comparitionem convictus, et e bonis ejectus novisset, tamen Donatarius licet in possessorium positus debebit probare, quia per novum redit res ad primordium litis; atqui tunc Contradictor erat in

possessorio. Debebit itaque Donatarius Titulum impetrationis probare v. gr.

a) Si ex Defectu impetravit, tenetur Defectum illius, ex cujus Defectu impetravit, item possessorium ejus probare, et si portionem aliquam in Possessione aliqua impetravit, tenetur impetrationem suam Possessorio Incattorum applicare. Jus Deficientis non debet probare, nisi per Contradictores demonstretur possessorium Deficientis precarium; vel pignoratitium, arendatitium, vel violentum, aut Juris-uxorei fuisse, quia tunc etiam Jus deficientis debet docere, aut si Defectus est antiquus, vel recens quidem, verum Deficiens ante Defectum jam exciderat ex possessorio; quia in hoc casu et ipse Deficiens petitorio Jus suum debuisset docere contra possessores. Sic contra sexum faemineum in bonis existentem, aut contra illum, qui a faeminis emit, Donatarius, Jus privativum masculorum deficientium debet edocere, quia hoc et ipsi mares ad exclusionem agentes debuissent, et quidem non sufficiet novam Donationem pro maribus privative elargitam producere, aut exsolutionem Quartalitii docere, verum acquisitionales originales Literae erunt producendae.

b) Si ex Nota facta est impetratio, tunc si Nota est recens, sufficit solam Notam, et Possessorium illius probare, ex cujus Nota facta est impetratio, nisi Possessorium ejus, ut sub Defectu dictum est, per Contradictores evertatur, quia tunc, ut etiam si Notorius tempore Notae, et impetrationis in possessorio non fuerit, aut Nota prorsus antiqua sit; Jus etiam Notorii producta illius Donatione

tione probari debet. Notam tunc quoque docere debet Impetrator, si Incattus gratiam a Principe nefors petiit, aut cum aliis ex eodem Titulo partem bonorum impetrantibus transegit, et aliquid illis concessit.

c) Si ex Jure Regio facta est impetratio, tunc specifice vel ad Notam, vel ad Defectum debet deduci, et Notorii, vel Deficientis possessorium, Jusque radicale ex originalibus ejusdem Familiae Donationalibus probari, genealogia ultimi Deficientis, vel Notorii ad Impetratorem necti, Jus illius fundo impetrato applicari debet, quia cum ex Jure Regio fit impetratio, aut Defectus vel Nota antiqua est, tunc dubia et valde obscura Jura quaeruntur, et praesumtio est contra Deficientem vel Notorium, quae militat pro possessore, qui a tam longo tempore possidet, propterea debet Jus illius probari, ex cujus Defectu vel Nota deducitur Jus Regium; possessorium vero ejus ideo debet probari, quia absque usu, et possessorio Jus illius evanuit, ergo si illud non demonstratur, vel illud evertatur, et probetur ab adverso, quod licet in possessorio fuerit, non vi privilegii est ingressus, tunc Titulum impetrationis illius debet probare Actor, quia ad talis hominis defectum gratis reducit Jus Regium, qui non fuit in possessorio, verum idem est, ac si ex eodem Titulo impetrasset, ex quo ille. Ergo ejus Titulum debet probare.

d) Si Titulo novae Donationis, tunc probare debet Donatarius extra possessorium existens praehabitum suum, vel suorum antenatorum pacificum possessorium, contra extraneum vero Jus Ju-

ri nefors obvertentem, et radicalitas Juris, et ejus prioritas doceri debet, uti etiam contra faeminas in possessorio existentes Jus privativum masculorum docere oportet, imo licet extra possessorium sint, tamen si aliquod vestigium Juris faeminei occurrat, Impetrator ad revelationem Literalium Instrumen torum sub juramento adstringitur. Nec sufficit unquam et contraquoscunque sive extraneos sive faeminas ad probandum Titulum Impetrationis, priorem novam Dona ionem suae Familiae factam pro ducere, verum possessorium edoceri debet, et quidem diuturnum, ad quod sufficit docere terminum, a quo ad quem, quia pro intermedio tempore praesumtio militat.

e) Si ex Titulo consensus Regii facta est impetratio, tunc fassio, vel instrumentum cui consensus superinductus est, praeterea consensus produci, Jus fatentis doceri, id est Donatio illius per Genealogiam, eidem nempe fatenti applicari, et Possessorium ejus demonstrari, et haec omnia fundo applicari debent, quia haec omnia ipse etiam fatens praestare tenetur, si ad reacquisitionem procederet, adeoque ille etiam tenetur praestare, qui illius Jura repraesentat.

Impetratore taliter Titulum impetrationis probante, et Contradictore illius probas evertere nequeunte, cassatur Contradictio, Restatutio decernitur, illaque per Judicem, et Capitularem, aut Conventualem ex eodem Capitulo, aut Conventu quo prius, penes Mandatum Judicis Regni Ordinarii Restatutorium exmittendum, in forma executionis cum refusione fructuum a die Statutionis percepte-

ceptorum Math. D. 6: 27. peragitur, imo licet Transactio vel Revocatio contradictionis intercesserit, tamen Restatutio peragi solet, non jam cum tantis solemnitatibus, nec observandi sunt illi 15 dies fatales Restitutioni non Contradictione, verum repulsione obviandum est, qua etiam proprietarius ad dandam contradictionis rationem non evocatus, uti potest, si pignoratarius illius contradixit. Donatarius licet in possessorio bonorum existens potest ad daudam contradictionis rationem agere, et tunc a proba liberatur. Contradictore Juri temporaneo inhaerente, haereditateque bonorum Donatario adjudicata, causa pro liquidatione ad Comitatum remitti potest, utpote ad Judicem pignoris. Contradictio per Ignobilem interposita nihil opitulatur, nisi Nobilitas probetur.

Secundus Processus est. Ad recipiendam rationem contradictionis. Movetur aeque coram Tabula Regia sit ut prior per illum, qui extra possessorium contradixit. Actio potest erigi, quin in ulla lege fundetur; potest tamen fundari in iisdem legibus, quibus processum ad dandam contradictionis rationem fundari diximus ex identitate rationis, cum Donatarius velut in possessorio constitutus agere recuset. Potest moveri hic Processus etiam si contradictio conditionata fuerit. In eo differt a priori Processu, quod ibi plerumque ad acquisitionem agebat Donatarios, (praeter novam Donationem, et consensum, quia consensum Impetrans repraesentat fatentem, ergo ad reacquisitionem agere debet) hic vero semper ad reacquisitionem agitur, est etiam Juris processus,

ſus, adeoque probari debet primo Jus per Donationales Originalés, tandem poſſeſſorium, (ſecus relegatur ad acquiſitoriam litem, uti etiam tunc, ſi prodeat illius poſſeſſorium, non penes privilegium fuiſſe exercitum) id eſt probari debet, quod Donatio uſu roborata ſit, et utrumque per Genealogiam ad Impetratorem deducendam Actori applicandum eſt. Ergo in eo tantum differt a Juris proceſſu per excellentiam ita dicto, quod Donatio per alterum bonis ſuperinducta inſtituto huic occaſionem dederit. Hinc is tantum poteſt ad recipiendam contradictionis rationem agere, qui intra 15 dies contradixerit, (vel ut alii volunt intra annum) qui vero poſt 15 dies contradixit, quod potuit intra 32 annos, ille Juris proceſſu agere debebit. Si faemineus ſexus contradixit v. gr. Novae Donationi hoc inſtituto ad recipiendam rationem contradictionis aequalitas, vel inaequalitas Juris diſputabitur, et revelatio Literarum ſub Juramento fieri debebit. Si intra 15 dies non contradixerunt, tunc inſtituto aequalitatis Juris agent.

Etiam ille Juris proceſſu agere debebit, qui contradictioni intra 15 dies interpoſitae renunciavit, aut cujus contradictio ſententia mediante caſſata eſt, licet novo etiam poſſit uti. Si Contradictor violenter eſt ejectus, per illum qui ſubſeqe impetravit Bona, poteſt repoſitorio proceſſu agere, et ſic ad poſſeſſorium repoſitus a proba relevabitur. Tam ad dandam, quam ad recipiendam rationem contradictionis intra tempus praeſcriptionis debet lis moveri, ſecus litis motioni praeſcribitur ita quidem, ut quo ad Donatarium extra poſſeſſorium

exi-

existentem Donatio prorsus obsolescat, contradictor vero non hoc instituto, verum Juris processu debeat agere, si identidem Jus suum contradictione sustentavit, quia ob non prosecutionem litis, evadet Statutio purisata, et eadem erit ratio, ac si non esset intra 15 dies contradictum; atqui tunc Juris processu utendum esset.

Licet vero in Regula Juris probam teneatur praestare Contradictor extra possessorium constitutus, in ipso etiam ad recipiendam rationem contradictionis moto processu; tamen saepe hoc instituto alleviari potest v. gr. si ex Defectu facta est impetratio absque specificatione seminis, tunc sufficit ipsi demonstrare, se esse faeminei sexus hominem ex familia deficientis, et hac data per ipsum ratione Donatarius, vel utrumque sexum defecisse, vel vero privativum Jus masculorum edocere debebit. Sic licet ex defectu seminis fit Impetratio facta, tamen si Contradictor semet cum deficiente connectat, non adstringitur ad probam Juris, quia Jus Juri non opponit, quia eodem Jure venit, quod Donatarius praetensive impetravit, et quod ille in dubium non revocat.

Tertius Processus est. Ad revindicationem bonorum contra contradictionem per Donatarium occupatorum. Movetur coram foro Processus successionalis. Actio fundatur in Math. 6: 22. 27. Ulad. 1: 59. 635: 91. Ad Actoratum debet probari contradictionem interpositam, verum ea non obstante bona occupata esse, praeterea Actorem tempore Statutionis in possessorio fuisse. Incattus

convin-

convincitur in communi aestimatione bonorum, in restitutione illorum, et fructuum perceptorum.

Quartus est: Ex puritate Statutionis. Movetur intra 32 annos contra possessorem bonis cedere nolentem, debet probari Statutionem rite peractam, et per possessorem non esse intra 15 dies contradictum. Haec probantur Relatoriis Statuentium. Actio fundatur in 32: 1ae. Judex est Tabula Districtualis eveniente eo quod possessor intra 15 dies non contradixit, ejicitur ex possessorio, ut extra Dominium quaerat Jus suum, et illi incumbet proba Impetrato e ad possessorium imposito, et hoc ita, si possessor non probet sibi impossibile fuisse contradicere, quia si hoc probet, manebit in possessorio. Neque habet hic processus locum contra sexum faemineum in possessorio existentem, et illi nihil nocet novae Donationi masculorum non contradixisse, nec contra illos, qui in reipublicae negotiis absunt, aut si Impetrator bona illa, in quibus se statui fecit, violenter occupaverit 35: 1543.

Quintus movetur contra Impetratorem talem, qui Intermissa per possessorem contradictione se ad possessorium posuit, verum si Actor probat se nec per se, nec per suos homines potuisse, contra dicere, et se in pacifico possessorio fuisse, Impetrator ex possessorio ejicietur, et suum Jus extra Dominium prosequetur. Actio fundatur in 46: 1563. Decurrit processus coram Tabula Regia.

Sextus est Processus Juris per Antonomasiam ita dictus. Ad hoc intelligendum sciri debet: processus alios esse mere Facti processus, ubi nihil aliud nisi de facto, et illius ad Legem applicatio-

catione agitur, alius esse Juris processus, ubi disquisitio et discussio radicalium originalium Literarum praecipue privilegialium subversatur. Species hujus Juris processus sunt plures, de quibus suis locis praecipuum locum inter illas sibi vindicat ille processus, qui per Antonomasiam, aut Excellentiam processus Juris vocatur, alias processus ex Privilegio, qui si fit contra posteriorem Donatarium, vocatur processus ex prioritate Juris radicalis. Movetur per Donatarium aut successores, vel Fassionarios illius. Donatarius vel illius successores debent producere ad Actoratum consequendum privilegium, illudque per Genealogiam sibi applicare, praeterea debet doceri usu roboratum esse privilegium, id est, non tantum Statutio, verum etiam possessorium debet probari. Si possessorium non probatur, vel illud non ex Privilegio, verum ex alio Titulo v. gr pignore profluxisse qer Incattum probetur, tunc a lite hac reaquisitoria ad acquisitoriam, id est, ut ad dandam contradictionis rationem agat, et Titulum impetrationis probet, relegatur Actor. Jure et possessorio in abstracto probatis, et sibi applicatis Actoratus stabilitur, et deinde in merito corporeitas, quantitas, et localitas (si nempe de portionibus sit impetratio debet doceri, et haec omnia possessorio partis Incattae applicari. Fassionarius fassionem producere et Jus et Possessorium Fatentis modo praededucto probare debet Quemadmodum fassione cum Clausula: nil Juris etc. de recuperandis celebrata, Fatens suo nomine litem prosequi non potest, verum Cessionarius, vel Fassiona-

rius,

rius, ita mortuo, ante litis sub actoratu Cessionarii inchoatae conclusionem fat.nte, Cessionarius amplius agere non potest 27: 1ae.

Processus Juris potest etiam erigi fundamento sententiarum adjudicatoriarum Judicum Regni Ordinariorum, aut Curiae, quae sententiae Executione firmatae, et usu, et possessorio roborata: debent esse, et Actori, ac fundo debent applicari. Actio fundatur in 13; 34. 1ae. Ulad. 1: 54. et aliis de Donatione sonantibus legibus. Fundamento vero sententiae adjudicatoriae, fundatur Actio in Lud. 1. articulo 20. 52: 2ae.

Juris Processus habet locum, si Bona, ad quae quis solidum et firmum Jus habet non scitur quali modo, et Titulo ad alienas manus devenerint, vel scitur quidem, verum per intermedii temporis possessores multis involutionibus, v. gr. fassionibus, Donationum superinductionibus sunt affecta. Idem processus habet locum in antiquis quoque pignoribus, si devolutio pignoris non possit probari, nec non in antiqua successione contra Fiscum, vel extraneum. Imo Fiscus, quoque ex Defectu vel Nota antiqua procedens, et successionem suam quaerens Juris probam praestare tenetur, id est Jus, et possessorium deficientis, vel Notorii, ut supra vidimus, docere.

CAPUT

CAPUT VI.

De Aequalitate, vel Inaequalitate Juris, inter Sexum et Sexum.

Quaedam Bona utrumque sexum concernunt, quaedam vero solum sexum masculinum. Hoc ut sciatur, attendendum: —

Primo ad Clausulam acquisitionalium Literarum quales sunt: Donatio, Fassio, Inscriptio, Donatio privata, Testamentum, Adoptio, Pignoratitiae Literae etc. 1ae: 21: §. 6. Si Clausula sonat expresse pro solis maribus, tunc bona solum sexum masculinum concernunt, nisi faeminae praescripserint, quia in talibus bonis habentur pro extraneis, et possunt praescribere, secus etiam, quod Praescriptio inter sanguinem non currat, hoc de bonis indivisis intelligendum est, quod nempe sanguis rata sua per praescriptionem fraudari non possit. Non vero de eo, quasi bona solos mares concernentia non possent per praescriptionem utrique sexui communia reddi, verum Fiscus ex Defectu masculorum auferet talia bona faeminis, nisi a dicto defectu centum annos in bonis expleverint. Si vero Clausula expresse pro utroque sexu sonet, tunc concernunt utrumque sexum, et contra faeminas nec praescriptio curret. Notandum autem, quod primus Acquisitor potest contra Clausulam acquisitionalium etiam expressam, et claram, bona regulare vel Testamento, vel aliter, id est, bona vi Clausulae solos mares concernentia potest pro utroque sexu regulare, et illa regulatio durat in Donationalibus, donec mares defecerint, tunc

Fi-

Fiscus aufert faeminis, si versa vice Bona utrumque sexum ex Clausula concernentia potest pro solis maribus regulare, et illis deficientibus non Fiscus, verum faeminae succedent. Si nulla Clausula sit in Donatione tamen censetur Princeps etiam successoribus impetratoris dare voluisse, verum solis maribus.

Si vero plures Literae super eodem bono utraque cum claris, et expressis, verum sibi contrariantibus Clausulis adsint. v. gr. Fassio sonat pro utroque sexu, consensus pro solis maribus expresso, tunc consensui velut posteriori, et dignori Instrumento standum est. Si tamen in possessorio sint faeminae, non possunt per mares vi talis consensus ejici, quia et radix adeptionis, et usus pro illis militat. Ergo intra sexum etter sexum quidem si sit quaestio, bona talia utrumque sexum concernent, verum si Fatens, et masculi Fassionarii defecerint, Fiscus faeminis controvertere poterit. Radix adeptionis hic sumitur pro origine adeptionis, id est originaria acquisitione, alias sumi solet etiam pro principa i causa, et motivo adoptionis, uti jam dicetur.

Si autem Clausula dubia sit, v. gr. haec: H a e r e d i b u s, et p o s t e r i t a t i b u s. Haec Clausula tam ante Verböczium, quam post illum dubia semper est, ad quam explicandam attendi debet 1. ad radicem adeptionis, non ad ramum, seu appendiculam. v. gr. Si bona Donatione mixta, id est partim pro pecunia, partim pro servitiis, praecipue militaribus sunt collata, tunc dubia illa Clausula solos mares indigitat, (eo magis si pro solis ser-

vitiis

vitiis sit Donatio) quia merita sunt radix adeptionis, pecunia vero est tantum appendicula. Sed tamen faeminae ex pecunia participabunt 1ae. 21. (nisi pecunia tanta data sit pro bonis, ut vix tantum valeant, quia tunc secundum comunem aestimationem exsolventur faeminae) licet illa acquisita verum per impetratorem testamento regulata non sit.

2. Attendendum ad naturam, et indolem bonorum, v. gr. si bona sint pecuniis emta, tunc dubia illa Clausula utrumque sexum denotat. Quia pecunia ex natura sua utrumque sexum sequitur, qua res mobilis 19; 102. 1ae.

3. Si plures Literae de eodem bono adsint v. gr. adest fassio cum Clausula pro utroque sexu, item consensus cum Clausula dubia, tunc haec Clausula utrumque sexum designat, et versa vice. Si tamen acquisitor pro solo sexu masculino impetrata bona regulet testamento pro utroque, consensus cum dubia Clausula testamento superinductus solos mares concernet, sic: Si Mandatum Statutorium, licet cum Clausula. Cum Nos etc. adeoque a Donatore datum Clausulam in donatione clare positam mutet, tamen hoc non attenditur, quia Mandatum non est gratiale, verum Judiciale.

4. Attendendum ad usum, si penes acquisitionales vi divisionis uterque sexus ingressus est possessorium, tunc Clausula illa utrumque sexum denotat. Sic si faemininus sexus in Usu bonorum fuit tempore emanatae cum illa Clausula novae Donationis, tunc quoque utrumque sexum significat. Si bona per Notam amissa cum dubia Clausula, vel absque ulla recuperentur, ejusdem naturae erunt,

cujus

cujus prius erant, sic in praefectionalibus quoque pro solo sexu masculino interpretanda est dubia Clausula.

5. Monent aliqui etiam interesse an faemina vel, mas fuerit impetrator? quia si faemina sola impetravit, tunc dubiam illam Clausulam utrumque sexum denotare dicunt; observato tamen eo, quod supra de praefectionalibus Bonis dictum est. Si vero mas, tunc pro meritis Castrensibus impetrata cum tali Clausula bóna solius sexus masculini, pro Civilibus vero impetrata utriusque sexus esse contendunt. Verum Verböczius 17. 18. 88. 1ae. Omnia bona praecise servitiis acquisita solius sexus masculini esse dicit. Licet itaque praeter nomen mariti; etiam uxoris nomen inseratur Donationi, id tamen nisi Clausula pro utroque sexu posita sit, filiabus non inserviet 48: 1ae eadem est ratio, si filiae nomen insertum est Donationi per Patrem impetratae, quia talis filia non tam virtute successionis, quam Donationis possidebit, quia vi 43: 1ae, bona in tot partes debent dividi, quot personae sunt in Donatione. Si faemina sola impetravit, pariter vel mariti defuncti, vel antenatorum merita, et servitia subversantur, adeoque inde non sequitur, quod bona eo ipso utrumque sexum concernant.

Secundo. Attendendum ad dispositionem primi acquisitoris.

Tertio. Si nec Clausula, nec dispositio primi acquisitoris adsit: attendendum ad indolem, et naturam bonorum, sic v. gr.

1. Cambium sequitur naturam Cambiati, id est: bonum, quod acceptum est in Cambium, erit illius

natu-

naturae, cujus erat illud, quod datum est alteri. Si tamen bonis solum sexum masculinum concernentibus in Cambium datis superaddita fuit pecunia, tunc ex pecunia foeminae per mares exsolvendae erunt.

2) Si Bona sunt praescriptione acquisita, semper ille sexus habebit, qui sub annis praescriptionis possedit.

3) Res mobiles ex natura sua utrumque sexum concernunt, exceptis utensilibus, et rebus mobilibus, meliorationibus ad bona solum masculinum concernentia pertinentibus, quae filiis cedunt prae filiabus, non item collateralibus Patris prae filiabus ejus.

4) Etiam pignora, qui habentur, pro rebus mobilibus, nisi pignus per condivisionalem fratrem aeque condivisionali fratri de Bonis solum sexum masculinum concernentibus fuit celebratum, quia sic solum masculinum concernet.

5) Utriusque sexus sunt perennaliter emta, quia pecuniam repraesentant. Nisi consensus pro solis maribus inductus est; quod si factum est, et pecuniis ementis, et consensum inducentis acquisita fuit; nec ille quidem de ea disposuit, illa solos mares concernet, secus enim aequipararentur faeminae maribus contra intentionem ementis, quia eadem pecunia bona similia emere possent. Aliter est in Bonis Donatione mixta acquisitis, quia tunc faeminae de pecunia participant, at illa non sit regulata, nec per id aequiparantur maribus, quia Privilegium non potest pecunia emi. Si vero ita est regulata, ut post defectum marium succedant in pecunia, tunc Fiscus exsolvet. Bona per fratrem a fratre emta,

et solos mares vi Donationis concernentia, nec apud emtorem erunt utriusque sexus, quia ex radice adeptionis solum sexum masculinum concernunt, ex pecunia tamen faeminae participans. Verum haec tantum ita habent locum, uti diximus, si nec ex Clausula, nec etc. qualitas bonorum resciri possit. Praeterea quod hic de consensu dictum est, in illum casum est intelligendum, quando quaestio inter Fiscum, et sexum faemineum est. Quia inter sexum et sexum vix potest consensus naturam bonorum interpretere, nisi etiam aliud accedat, v. gr. usus privativus.

6. Bona quoque in Homagium interemti Nobilis, aut Quartalitii Titulo data rae. 17. Sic. Bona in redemtionem Capitis data, et Titulo dotis Viduae data, quia sunt pignora, et quia dos faeminas concernit.

7. Transactione data bona sequuntur naturam reliquorum bonorum, quae eodem Jure transigens possidet, et quibus haec accesserunt.

Processus hinc enascuntur sequentes.

Primus Ad exclusionem sexus faeminini. Movetur per mares contra faemineum sexum qui in bona solum sexum masculinum ex radice concernentia irrepsit. Actio fundatur in 17. 18. 21. 48. rae. Vel vero si fundamento Adjudicatoriarum Judicum Regni Ordinariorum, aut Curiae sit, in 52. rae. in Juris Processu dictum. Ad actoratum consequendum debent se mares, praecipue si faeminae genealogiam ipsorum difficultent, ad primum acquisitorem deducere. Literas bona actionalia tangentes sub Juramento revelare, elenchum illarum producere, instrumenta Literalia, quae faeminae voluerint, [illegible]

municare, et quidem non folus Literarum confervator, verum omnes mares debent jurare, imo etiam faeminae, fi aliquod veftigium fit quod ad illos, vel illas Literalia devenerint. Tandem Jus Privativum mafculorum. Praeterea Poffefforium eorum privativum initio habitum, id eft; quod initio in illis bonis faeminae non divifetint, edoceri debet. Quia licet poftea diviferint, per id tamen non Juris, verum tantum fanguinis communio probatur inter fexum et fexum. Obfervandum tamen, non femper debere mares privativum originarium ufum probare, nam fi et radix adeptionis, et clara Claufula pro maribus folis militet; excutiuntur faeminae ex poffefforio bonorum, licet divifetint, nifi praefcriptio intervenerit; Ergo tunc maxime probandus eft ille privativus originarius ufus ad exclufionem, fi Claufula fit: Haeredibus et Pofteritatibus, His per mares probatis, liquidatio faeminis imponitur, et illis meliorationum aedificiorum, exftirpaturatum pretium refunditur, quarta exfolvitur. Movetur Proceffus coram Tabula Regia, quia eft Juris Proceffus; faeminae fe praefcriptione defendere poffunt, fi nempe poffefforium illarum non pignoratitio, verum divifionario Titulo inchoatum fuerit.

Secundus Proceffus eft ad tranfumpta Literarum; Movetur aeque coram Tabula Regia per faeminas Fundatur Actio in 42: 1ae; et 15: 2ae probari debet fanguinis nexus cum maribus. Actor tu ftabilito, Juramentum revelatorium per faeminas aut per Judicem elaboratum maribus imponitur et quidem fi nemo Literarum confervator fit, omnibus

maribus. Literae revelatae per Curiam examinantur, transsumuntur, et in transsumtis sub sigillo Judiciali Regis per Personalem extradantur, citra discussionem valoris extrinseci. Incattus non potest eodem Processu petere, ut Actor quoque revelet, quia hic non datur reactio. Verum alio Processu etiam mares possunt petere transsumata Literarum apud faeminas nefors existentium. Transsumta etiam ad tuitionem Jurium peti possunt, non solum ad reacquisitionem. Ante Juramenti depositionem non datur Appellata, quia non est litis decisorium, verum super nexu qualiter probato post Juramenti depositionem, ante tamen revelationem dabitur Appellata. Datur locus etiam novo quia non fuit Juramentum litis decisorium verum revelatorium. Inter ipsos etiam mares potest Processus ad transsumta dari.

Tertius Processus est; ad aequalitatem Juris, seu Successionali-Divisionalis ex Jure. Movetur per faeminas, quae exciderunt ex possessorio Bonorum, ex radice utrumque sexum concernentium; evocantur omnes mares actuales Bonorum Possessores. Probatur nexus sanguinis, et si adhuc ad transsumta non est actum, petitur Actoratu stabilito revelatio sub Juramento, tandem debent faeminae Jus commune ex originalibus aut transsumtis probare, et si id probaverint, licet adhuc non diviserint in Bonis, tamen triumphare possunt, (nisi sit Clausula dubia, tunc enim possessorem debent probare) quia inter sanguinem ad exclusionem non currit praescriptio per privativum usum inducendi, deponere debebunt meliorationum

per

per mares procuratarum pretium. Aeque decurrit. Processus hic coram Tabula Regia, fundatur Actio in iisdem legibus, in quibus ad exclusionem fundari diximus.

In Processu ad aequalitatem Juris saepe alternativa est petitio, vel enim aequalitas Juris petitur, vel illa ex acquisitionalibus non eveniente Quartalitium, sit itaque.

CAPUT V.

De Quartalitio, et Jure Capillari.

Quartalitium est quarta pars 'Jurium possessionariorum Donationalium pro solis masculis collatorum; in signum parentalis propagationis, mulieribus secularibus, ad primum acquisitorem proximis, aut illarum successoribus praestanda. Quarta non est successio; hinc cum onera veri tantum successores solvant, filiae, quibus quarta datur, non obligantur ad debita Patris solvenda. Imitantur tamen naturam successionis in eo, quod nec remotiori ante proximiorem, nec filiis, vel filiabus vivente matre datur Actoratus ad excisionem quartalitii contra fratres matris, uti nec ipsi matri vivente patre, verum post fata hujus, quia viventis nulla successio. Quarta nonnisi semel datur, et pluries data potest repeti, velut indebite solutum. Et collective sumtis faeminis nonnisi una quarta datur sive una sit filia, sive plures. Si quae ex faeminis contenta fuit rata parte ex quarta ipsi obtingente, tamen reliquae possunt ad aequalita-

litatem Juris agere, imo etiam successores earum, quae quartam ex Bonis utrumque sexum concernentibus acceptarunt, possunt ad invalidationem illius facti agere, aequalitatem Juris petere. Nec primus acquisitor Donationalium Bonorum potest ex quarta excludere puellas. Quia legis dispositioni refragari non potest Quarta non datur ex talibus Bonis, quae ita regulata sunt in Donatione, ut post defectum masculorum vel Bona, vel summa investita ad faeminas transeat. Ex Extraordinationalibus pro solo sexu masculino regulatis non datur quarta, ut nec ex Bonis Episcopali collatione acquisitis, nec ex Bonis Majoratus, Licet vero ex Donationalibus pro solo masculino regulatis quarta jam extradata sit, tamen ultimi deficientis filiae in meliorationibus Bonis talibus investitis succedunt, et per Fiscum exsolvi debent, quia talia sub regulationem Donationis non cadunt. Quarta dupliciter potest exsolvi.

1) In parata pecunia sic: conscribuntur omnia illa Bona, ex quibus quarta debet dari cum omnibus appertinentiis, v. gr. Sessionibus colonicalibus, (verum agri colonicales praeter extirpaturas per colonos factas, et possessas eo non conscribuntur) taliter conscripta Bona in quatuor partes sequestrantur et quarta pars communi aestimatione aestimatur. Pecunia illa puellis deponitur, rae 39. aliud nihil debent acceptare praeter pecuniam nisi equos rae: 101.

2) In natura, et quidem perennaliter tunc, quando puella consentiente patre, vel fratribus nupsit impossessionato homini, in hoc casu nec Fiscus pote-

rit

-it illas ejicere ex Bonis. licet pater ipsarum, vel fratres defecerint. Si vero soror talis prius deficiat quam masculi, in quarta fratres, quam Fiscum succedere probabilius videtur, ex 47: 1ae licet stricte loquendo divisio non fuerit. Aliqui dicunt puella, cui quarta data est, deficiente, puellam, quae post deficientem ad primum acquisitorem proxima est, aut illius successores succedere. Modo redemtibili vero tunc, si quis absque Haeredibus masculis deficiat, filias vero relinquat quarta pars Bonorum cum domo paterna apud ipsas manet, donec nupserint, tunc Fiscus communi aestimatione redimet 1ae 29. §. 5. etc.

Processus est ad excisionem Quartalitii. Potest, ut dixi, etiam in Processu ad aequalitatem moto peti Quartalitium, si separato Processu quaeratur, vel quaeritur coram foro pe.laneo illo nempe, qui est successionalis Processus Judex, et tunc fit ex mero usu, si nempe fratres non difficultent, quartam, et faeminae contentae sint illa, verum tantum de modo excisionis, et quantitate fit lis. Si vero fratres difficultent quartam dare, tunc disquisitio Literalium instrumentorum acquisitionalium subversatur. Quod nonnisi coram Tabula Regia fieri potest, ergo ibi movetur Processus. Actoratus quaestio est, ut se demonstrent filias primi acquisitoris, vel proximi ad primum acquisitorem, aut ex talibus filiabus condescendere, bonaque talia esse, ex quibus debeatur quarta. Actio fundatur in 29. 88, 89, 1ae si mares agant principaliter ad exclusionem, accessorie possunt etiam agere ad Excisionem Quartalitii.

Jus Capillare consistit in habitatione, intertentione, et emaritatione puellis praestanda. Ex

illis

illis Bonis datur Jus Capillare, quae faeminas quoad proprietatem non concernunt. Debet dari omnibus puellis per fratres, licet quarta alicui ex praecedentibus puellis exsolluta sit. Mortuo patre, habet locum: quia ille vitus alioquin tenebatur suas filias intertenere. Quae Bona utrumque sexum concernunt, ex illis non Jus Capillare, verum aequalis rata datur puellis. Uti Quartalitium, si adhuc non sit extradatum, ita Jus Capillare, et dotem legalem omnes debent dare, qui in Bonis succedunt, adeoque et Fiscus si ex Defectu vel Nota succedat, sic et Donatarius, cui Bona ex Defectu vel Nota collata sunt. Licet Bona Extradonationalia sint, si tamen solum sexum masculinum concernant, debet Jus Capillare ex illis dari, licet quarta non detur. Ut etiam ex illis Bonis, in quibus faeminae post Defectum marium in summa inhaerente succedent. Si Ordinem Religiosum ingressa sit puella, nec quarta, nec Jus Capillare illi competit. Si is, qui in Bonis successit, nolit Jus Capillare praestare, tunc potest moveri contra illum Processus coram Judice successionis: Actio fundatur in 1ae 29. 30. 67. doceri debet Actricem esse filiam defuncti, cui Incattus successit.

CAPUT VI.

De Jure Viduali, et Allatura, ac Parapherno.

Jus Viduale consistit in competenti habitatione, intertentione, et si nubere velint, emaritatione viduarum, item in dotis exsolutione. Haec omnia dantur ex talibus Bonis per Maritum possessis et relictis in quibus vidua non succedit, qualia sunt quoad: Descen-

ſcendentes omnia avitica mariti. Item acquiſita perennali Titulo, absque inſertione nominis uxoris, quia in aliis, utpote mobilibus acquiſitis, item quae Titulo pignoris maritus acquiſivit, aut perennaliter quidem, verum cum inſertione nominis uxoris 1ae 48 102. Vidua ab inteſtato ſuccedit marito, vel ſola, vel ſi proles adſint, cum illis dividit. Si cum prolibus dividit, tunc vocatur ſucceſſio Vidualis. Si ſola ſuccedit, tunc vocatur ſucceſſio Conjugalis. Et haec conjugalis eſt mutua inter uxorem et maritum, iſt eſt, uni conjugum ab inteſtato abſque prolibus morienti, in rebus praerecenſitis, et aliis quibusdam, ſuperſtes conjux ſuccedit 1687: 1 ... verum Vidualis ſucceſſio ſolas viduas concernit, quia viduam in rebus praerecenſitis ſuccedit marito cum prolibus ab inteſtato, verum maritus non ſuccedit uxori, ſi proles adſint. Quoad aſcendentes et collaterales avitica tantum, quoad Fiſcum Donationalia tantum, cadunt ſub ictum Juris Vidualis, reliqua ad Conjugalem ſucceſſionem ſpectant.

Alia differentia inter Jus Viduale, et ſucceſſionem Vidualem, atque Conjugalem eſt, quod ſucceſſio Vidualis, et Conjugalis eſt cum Jure proprietatis. Jus Viduale vero eſt tantum temporaneum, et conſiſtit in ſolo uſu-fructu, usque tempus viduitatis, vel vitae duraturo, niſi quod dos cum Jure proprietatis, et pleni Dominii viduae competat, et tam per viduam aliis legari, quam vero per ſucceſſores viduae etiam ab inteſtato in ſucceſſoribus mariti deſumi poteſt.

Habitatio viduae datur in reſidentia mariti, ſi proles adſunt, tunc non in ſplendiſſima, verum in alia honeſta, 1ae: 98. Suſtentatio pro caractere

mariti,

mariti, et simul quantitate Bonorum, non pro quantitate dotis, ut rae 98. §. 3. dicitur. Imo quamlibet ampla sint Bona mariti, potest illa tamdiu Titulo Juris vidualis detinere, donec ad competentiam, ex qua pro dignitate mariti vivat, Processu per successores mariti directos movendo restringatur. Si nubere velit, aeque ex Bonis mariti debet emaritari, et licet emaritata sit, tamen Bona Titulo Juris vidualis tenta non tenetur remittere, nisi dos ipsi, Allaturaque, et Parapharum deponatur, vel Titulo dotis in securitatem illius aliqua pars Bonorum in pignore apud ipsam relinquatur. Jus viduale ante mortem mariti non habet locum, (quia maritus tenetur suam uxorem alere) nisi culpa mariti divortium factum sit, quia tunc Jura vidualia vivente marito exscindi debent ob culpam itaque mariti, vel delictum illius nunquam amittit vidua Jus viduale, imo saepe nec propter suum, licet deserat maritum, et cum eo usque mortem non convivat, nisi praevie per forum competens illa derelictio pro culposa judicialiter declaretur. Propter adulterium vero amittitur Jus viduale, nisi maritus illud vel expresse, vel tacite condonaverit, id est; cum illa cohabitaverit, et illam affectu conjugali tractaverit, verbo, tunc amittitur, si ob culpam uxoris divortium adinveniatur.

Sicut successio vidualis, ita Jus viduale viduo non competit, quia maritum uxor intertenere non debet, verum maritus tenetur uxorem etiam post fata sua alere, licet vidua propria bona avitica, aut successione viduali, vel conjugali ipsam concernentia habeat.

Dos vel Dotalitium est certa summa faeminis legitime copulatis vel secundum legem, vel secun-

dum

dum contractum ex Bonis maritalibus deponi solita. Datur ob fidem cunjugalem, ergo, ob infidelitatem ita amittitur, sicut de ceteris juribus vidualibus diximus. Debet dari ut primum matrimonium ratum est. licet non sit consumatum, id est licet post copulam spiritualem ante copulam carnalem maritus mortuus sit,

Uxor, quae in Bonis mariti praeter Jus viduale, et dotem nihil habet, quod praetendat, vocatur Dotalista simplex. Si vero durante matrimonio res mobiles vel pignora, vel perennalia quidem, verum cum insertione nominis uxoris acquisivit maritus, in illis vocatur Coacquisitrix, verum in sensu stricto tantum in illis est Coacquisitrix, quae cum nomine ejus inserto sunt acquisita sive perennali, sive temporali Titulo, et medietas illorum ad illam spectat, nisi maritus qua principalis acquisitor testamentaliter de toto aliter disposuerit (quod potest praeter colonos, et Cives, omnis maritus) aut debita reliquerit, vel illa coacquisita ad aviticorum per maritum abalienatorum redintegrationem debeant converti, vel vero coacquisita durante matrimonio iterum consumta sint; quia in his casibus coacquisitio Uxorem non juvat. Si vero maritus absque testamento, absque debitis, absque Bonorum aviticorum abalienatione mortuus proles non reliquit, etiam altera medietas coacquisitorum, cum mobilibus et pignoribus ante matrimonium per maritum acquisitis uxori accrescit vi successionis conjugalis, si proles adsunt, uxor suam medietatem) saltem ex illis, quae stricte coacquisita dicuntur, utpote ex immobilibus

libus cum insertione nominis ejus acquisitis) capit Praeterea in alia medietate, ut et in mobilibus, et pignoribus non coaquisitis, verum ante matrimonium per maritum partis cum prolibus mariti dividit vi successionis vidualis, imo si proles ex alio priori matrimonio habet, illae dictam medietatem velut privative matrem ipsorum mortuam Concernentem, solae, vel vero si etiam ex secundo conjuge habeat, cum illis auferunt, in residuitate aeque, uti de matre diximus, cum prolibus secundi matrimonii, aut ex priori conjuge per defunctum susceptis divident, quod quidem de Nobilibus et libertinis tantum ab intestato, de Civibus vero, et colonis simpliter verum est.

Dos est 1. Legalis, quam lex pro Nobilium viduabus determinavit, et quidem viduae Regni Baronis 400 Floreni. Viduae Magnatis, vel Nobilis 50. Sessiones vel plures habentis 200. In Transylvania 60. in Sclavonia 100 Floreni. Primo nuptae dos integra, secundo nuptae media, tertio nuptae quarta pars, quarto nuptae octava pars dotis Legalis datur. Dotis exsolutio fit vel rebus mobilibus, vel immobilibus. Si quantitas summae Dotalitiae ex lege clara est, in rebus mobilibus sic fit exsolutio: summa Dotalitia, vel prorsus in parata pecunia, vel in parte in rebus facile vendibilibus juxta condignum, et verum illarum valorem deponi debet. In rebus immobilibus vero sic fit exsolutio: ad vires summae Dotalitiae, ubi nempe illa ex lege clara est aestimatur pars quaedam bonorum cum omnibus beneficiis, et appertinentiis communi aestimatione mediante et tanta bona quae communi aestimatione mediante tanti aestima

bun-

buntur, quantum ſumma Dotaliſtica facit, viduae in ſumma eadem impignorantur. Quod ad minoris facultatis Nobiles vero, quarum viduabus lex dotem non determinavit, ſic fit rebus mobilibus: Bona talium omnia, praeter extravillana beneficia, communi aeſtimatione aeſtimantur, et ſumma, quae ita prodit, partim in parata, partim in rebus facile vendibilibus viduae deponitur. In rebus immobilibus vero ſic: pars quaedam bonorum cum omnibus extravillanis ſumpta communi aeſtimatione aeſtimatur, et tanta bona, quorum comunis aeſtimatio priori ſummae aequivalebit, viduae in eadem ſumma in pignus relinquuntur 1ae 93. 134.

Amittitur dos, ſi mulier ſecundo nupta ad eam levandam judicialiter admonita bona vel Titulo Juris vidualis, vel Titulo dotis ipſi relicta non remittat, et oblatam dotem non levet 2ae. 24. 2. Si judicialiter admonita Literalia familiae extradare nolit. 3. Si bona familiae deſolari faciat, vel alienet, et qui emit, gratis reſtituere debebit. 4. Si mariti, vel filiorum corpora ſepelire differat, etiam judicialiter admonita, ut eo diutius in bonis graſſari poſſit. 1655. 25. 5. Ob Actum Majoris potentiae.

2. Dos eſt contractualis, ſeu ſcripta, de qua lex noſtra tacet, niſi quod in genere contractus contrahentibus legem ponere dicat; et rei inhaerens obligatio etiam ad ſucceſſores tranſit. Differentia inter dotem legalem, et ſcriptam eſt: quod legalis ſolis Nobilium, et quidem poſſeſſionatorum viduabus competat, ſcripta vero omnibus. Dos legalis competit ſoli viduae: ſcripta poteſt etiam per uxorum marito obligari, et tunc vo-

omnes, quas uxor ad maritum attulit, sive illae aviticae, adeoque viduae ex divisione cum parentibus, vel fratribus obventae, sive acquisitae, sive mobiles, sive immobiles fuerint. Sub nomine Allaturae comprehenditur etiam Parapheruum; quod significat res illas mobiles, quas nuptae occasione subarrhationis, vel nuptiarum sive maritus, sive alter quiscunque donavit 1ae. 100. Harum rerum omnium mansit mulier domina etiam durante matrimonio, nec illas aut ob divortium sua culpa interventum, aut ob ullum mariti crimen amittit, adeoque etiam mortuo marito a successoribus ejusdem repetere et secum auferre potest 100. 105: 1ae Verum si nefors ad res suas paraphernales levandas, et bona maritalia remittenda admonita non levationis et bonorum non remissionis rationem legalem non det, illas amittit 22; 2ae. Si uxor marito absque prolibus praemoriatur, res paraphernales ad maritum, aut nec illo existente ad Fiscum, 11: 1681. 26: 1715. avitica vero allaturalia ad congenerationales defunctae devolventur. Verum ut Allaturam mulier vidua e bonis mariti rehabere possit, ad id requiritur, ut realitatem Allaturae, id est, quod revera attulerit, per testes aut instrumenta probet, neque ad id probandum aut juramentum viduae, aut sola recognitio mariti sufficit, cum talis recognitio non nisi ex nimio conjugali amore in praejudicium legitimorum successorum per maritum facta esse praesumatur, 1ae. 110 nisi praeter specificam mariti tam super Allaturae realitate, quam et investitione illius recognitionem omnes circumstantiae contrarium clament. Deinde debet probari vel

Inve-

investitio in bona mariti, vel actualis illarum rerum existentia.

Si haec probentur, tunc per successores mariti, collaterales nempe illius vel Fiscum aut privignos viduae, mulieri restitui debent, etiam ex aviticis. Si vero nec investitio, nec actualis existentia probari possit, praeexistentia tamen, et deventio ad manus mariti prodeat, tunc non quidem ex aviticis, verum ex acquisitis mariti, si quae adsint, refundi debent, et non nisi tunc habebuntur pro consumptis, si nullus redintegrationis fundus ex acquisitis adsit. Haec eadem observanda sunt tunc, si maritus, vel successores illius id quaerant, quod maritus nefors in bona uxoris ad collaterales, vel filios illius devoluta investivit.

Processus sunt: —

Primus. Ad acquisitionem Juris vidualis, Dotis, Allaturae, et Parapherni. Quae omnia possunt una, eademque actione quaeri, quin et successio vidualis, aut conjugalis, de qua alias. Movetur Processus per viduam, aut si nefors illa obiverit, per illos, qui illi in Allatura, Dote, Parapherno successerunt, imo si Jus viduale, id est, intertentio ipsi non erat praestita, successores ejus etiam id quaerere possunt. Fundatur actio quoad Jus viduale in 29. 30. 67: 1ae. quoad dotem legalem aeque in 29. 36. 93. usque 98. 1ae quoad scriptam 126: 1647. quoad Allaturam, et Paraphernum 1ae. 100. 105. 110. 126 1647. judicatus est, si Bona doti legali, aut Allaturae, vel Juri viduali obnoxia in pluribus Comitatibus sint, Tabulae Districtualis: Si in uno, Vice-Comitis, vel Judlium,

ut in successionali Processu; quoad dotem scriptam vero et res Paraphernales, ut in liquido debito dicetur, pro quantitate substrati.

Si vidua per successores mariti, bonis mariti ejiciatur, potest mandato repositorio in 5: 1542. fundando intra annum uti, quia lex 98: 1ae quae ipsam in bonis mariti vult manere, ipsam ab onere Jus Viduale processu quaerendi relevavit, imo nec quoad dotem vult lex, ut illam vidua processu quaerat, quia bona Titulo Juris vidualis exscindenda, in securitatem Dotis, Paapherni, et Allaturae apud ipsam in pignore vult.

Secundus. Ad restrictionem viduae. Movetur per successores directos mariti, tunc si Bona longe plus inferant, quam ad vivendum pro charactere mariti requiritur. Fundatur actio in 98: 1ae. Decurrit processus coram eodem foro, quo successionalis, nempe vel coram Comitatensi Judice, vel coram Tabula Districtuali. Bona, quae viduae relinquentur, non erunt metienda pro magnitudine dotis, verum pro amplitudine bonorum, et caractere mariti.

Tertius. Ad invalidationem dotis scriptae excessivae. Actio fundatur in 1ae. 59. 49. 1723. 26: 1715. Movetur Processus per successores dotem obligantis conjugis sive mariti, sive uxoris coram Tabula Regia. Si non adsint acquisita, invalidatur dos talis, vel saltem ad minorem summam reducitur, quia avitica non possunt in praejudicium successorum inonerari. Hinc ad actoratum probari debet aviticitas Bonorum. Debita vita comite contracta debent successores etiam ex aviticis solvere,

verum

verum debita mortis causa contracta, qualis est dos contractualis non statim debent. Inter vivos plus potest quis in praejudicium successorum tam circa mobilia, quam immobilia disponere, verum in casum mortis circa avitica nihil. Mobilium aviticorum distractio inter vivos facta tolerari debet, non item immobilium.

Quartus. Ad amissionem dotis propter causas supra recensitas. Fundatur actio pro varietate casuum in variis legibus. Currit processus coram Judice processus principalis, v. gr. coram Judice divortii, ubi accessorie dos etiam judicatur, secus coram Judice processus successionalis.

Quintus Processus pignoris Relutorio-Admonitorius. Contra mulierem ad secunda vota transeuntem, praecedere debet admonitio cum summa integrali Dotis, ut bona Titulo Juris vidualis tenta remittat, postea erigitur actio ad bona revindicanda, et ad amissionem dotis, si rationem non det non levationis, et non remissionis bonorum. Fundatur in 98: 1ae. defluit coram Judice pignoris, id est, vel coram Judlium, vel Vice-Comite.

Sextus. Ad revindicationem bonorum per simplices Dotalistas alienis a sanguine traditorum. Movetur Processus pro situ Bonorum vel coram Judicibus Comitatensibus, vel coram Tabula Districtuali 47: 1723. Actio fundatur in legibus de successione sonantibus, quod nempe in illis bonis defuncto actor succedere debeat ex lege. Item in 61: 1618. 25: 1655. Bona supra dotem alteri obligata gratis debent per emtorem remitti. Si vero

ad vires dotis oppignoravit vidua bona, illa summa per actorem deponi debet.

CAPUT VII.

De Juribus Regalibus Minoribus.

Quemadmodum Bona privilegio, seu Donatione acquiri diximus; ita quaedam beneficia accidentalia Bonorum immobilium, quae Jura Regalia vocantur, potissimum privilegio acquiruntur, vel praescriptione retinentur, et nonnulla ex illis lege, quae privilegio, et praescriptione fortior est. Species. —

Prima Jurium Regalium est Jus nundinarum. Acquiritur privilegio. Qui Jus nundinarum habet in aliquo loco, 1) potest contradicere illi, qui in loco vicino pro eadem die privilegium nundinale impetraret 10: 2ae. verum pro diverso tempore in loco, quamlibet vicino valide impetratur Jus nundinarum. 2) Habet Jus certam vel privilegio, vel usu determinatam taxam desumendi a stationibus vendentium. 3) Dominus nundinarum pro eodem pretio habet Jus pro usibus, et necessitatibus suis praeemendi res venales 15. 75. 723. 4) Habet Jus minores excessus puniendi, etiamsi Jure gladii careat. Majores tamen delinquentes Comitatui debet resignare. 3ae: 32.

Secunda Educillatio, seu Jus educillandi, id est, in minutis mensuris vina, et alios potus vendendi acquiritur vel privilegio, vel praescriptione, vel lege. Dominis terrestribus, id est, qui

totum

totum corpus possident, omnibus competit, nisi quis illotum exclusivum usu roboratum privilegium habeat, quia tunc reliquis non competit.

Competit praeterea illis, qui corporis quidem Domini non sunt, verum Curiam privilegiatam habent cum expresso Jure educillandi, quia si Jus educilli expresse non est collatum in privilegio Curiali, sola immunitas, et a condescensionibus, et praestationibus libertas data esse censetur. Hinc curialistas potest Dominus corporis stringere ad producendum privilegium, vel praescriptionem secundum qualitatem actoris edocendam. v. gr. contra Fiscum 100. annis in bonis cameralibus, et quidem 100 illi anni, ab illo tempore numerantur, a quo Bona ad Fiscum devoluta sunt, et anni sub priori Domino terrestri expleti in nullam considerationem veniunt.

Colonis lex tribuit educillandi facultatem, ut supra vidimus. Hoc adhuc observandum, quod si Dominus diversorium publicum habeat, in illo etiam illo tempore potest educillare, cum coloni educillant. Coloni praeter vinum nihil possunt educillare. Si Dominus per colonum suum educillet, interea temporis ille colonus nihil servit, imo ab urna 4 cruciferos accipit. 550: 36. in quo articulo hoc quoque habetur, quod vina colonorum vendere volentium praeemendi Jus Dominus habeat.

Processus ex materia educilli sunt.

Primus. Actore Fisco Regio ad sublationem educilli citra privilegium exercit, actionem fundat Fiscus in prol. 10 1ae. 23. 78. 2ae: 7. quod

talia

talia Jura, quae originaliter penes Regem sunt, absque privilegio, vel praescriptione in privatum transire non possint. Movetur hic Processus coram Tabula Regia contra talem, qui licet corporis Dominus non sit, tamen educillum exercet, quia Dominis terrestribus qui totum possident sive unus sit sive plures, licet educillare 1566: 38.

Secundus movetur per Dominum terrestrem sive is privatus sit, sive Fiscus contra Curialistas absque privilegio educillantes. Fundatur actio in 1598: 35. Movetur aeque coram Tabula Regia, debet produci vel privilegium usu roboratum, et non contradictum, vel praescriptio doceri.

Tertius. Aeque per Dominum terrestrem contra talem Curialistam qui privilegium quidem habet, verum contradictum debet probari per actorem, praejudicium per posterius illud privilegium illatum, actione in 1ae 59. 60. et praecipue in 2ae 9. 10. fundata.

Quartus. Competit Domino terrestri Contra colonos tempore illegali, aut aliud, quam vinum educillantes. Decurrit coram sede Dominali. Fundatur in legibus de violentia sonantibus, de quibus alias. Item in 31: 655. coloni convincuntur in poena violentiae, id est in suis Homagiis, quia involant in Jura aliena.

Quintus. Fisco Magistratuali contra tales, qui illegalibus mensuris utuntur in educillando (mensurae vero legales tam in liquidis, quam in aridis, tam quo ad ulnas; mensuras ac pondera sunt Posonienses. 63: 1751) poena est confiscatio, vel vero si excedat res valorem 12. Flor. tunc 12. Flo-

reni

reni desumuntur, vel pro circumstantiarum ratione, etiam major poena dictatur. Actio fundatur in 659: 71. 2/3 cedit Comitatui, 1/3 vero exequenti V. Comiti.

Sextus. Compossessoribus contra illum, qui educillum suum, licet admonitus, alteri praeter compossessores exarendat. Eadem actio competit etiam vicinis. Actio fundatur in 655: 31, 659: 47. poena est eadem, quae violentiae. Imo vicini, et compossessores deposita ad manus Vice-Comitis arenda, post admonitionem via facti possunt talia educilla sibi occupare, et arendatorem extraneum ejicere.

Tertia species Jurium Regalium est Macellum seu facultas carnes, juxta minuta et legalia pondera vendendi. Domino terrestri competit etiam absque privilegio, nisi alter exclusivum privativo usu roboratum privilegium habeat. Secus acquiritur privilegio vel praescriptione. Pretium carnis Comitatus limitat, etiam pro Liberis, Regiisque Civitatibus, ut et aliorum accessoriorum v. gr. smegmatis, seu sebi.

Processus sunt —

Primus. Fisci Regii ad Cassationem macelli non privilegiati ut supra de educillo.

Secundus Privato contra talem qui recenter inducit usum macelli, ad invalidationem privilegii illius. In iisdem legibus fundatur actio, in quibus sub educillo diximus. Si vero absque privilegio inducat, praecipuae si admonitio praecessit, potest moveri violentialis processus contra illum, ante annum vero via facti turbari potest, et hoc

etiam

etiam de educillante verum est. Si vero antiquum usum habet quis macelli, licet absque privilegio, contra talem privatus non potest agere, verum Fiscus. Quia nulla lex est, in qua contra talem fundet privatus suam actionem, imo licet Fiscus agat, si tantum in legibus de Domino terrestri sonantibus fundet actionem, condescendet.

Tertius. Fisco Magistratuali coram Sedria contra illos, qui falsis ponderibus utuntur, vel limitationem Comitatus excedunt. Poena est vel confiscatio, vel 12 Floreni. Actio fundatur, uti sub educillo dictum est.

Quartus. Fisco Magistratuali contra illos, qui limitationem Comitatus non admittunt. Sive Civitas sit, sive Nobilis, sive rustici. Poena est eadem, quae violentiae nempe contra Civitatem; Nobiles 100 Floreni. Contra rusticos Homagium singillative. Defluit Processus coram Sedria, 1/3 byrsagii cedit Exequenti Vice-Comiti, 2/3 Comitatui. Quae hic dicta sunt de limitationem excedentibus vel non admittentibus valent etiam de limitatione rerum venalium, opificum, mechanicorum, quae omnia Comitatus limitat. 71: 1659.

Quarta species Jurium Regalium est Telonium, et Naulum, acquiritur privilegio, secus non potest exerceri per ullum Dominum terrestrem, licet necessarium sit vias, et aggeres reparare, et hoc expensas requirat tamen nisi a Rege concedatur, non potest vel Telonium, vel Naulum exigi. Imo licet quis pro propriis suis usibus propriis expensis vias et aggeres procuravit, et alii itinerantes ob suum commodum libenter illis

utan-

utantur, et libenter solvant, tamen quamdiu privilegium non adsit exigendi, via pro libera, et publica declaratur Privilegium Telonii, et Nauli debet publicari in illo Comitatu, in quo situm est, ut vel privatus, si cui nempe veluti in vicinia privilegiatum Telonium habenti praejudicat, vel Fiscus Magistratualis, si nempe publico, et plebi contribuenti veluti superfluum, et minus necessarium praejudicat, contradicere possit. Private praejudicat Telonium, si ab antiquiori privilegiato uno milliari non distet. Verum si valde necessarium sit, etiam in loco viciniori potest admitti. Taxa exigitur vel secundum privilegium a Comitatu ratihabitum, 715: 15. vel vero si non sit in privilegio taxa defixa, tunc Comitatus limitat. Si nec Comitatus determinatio adest, potest exigi secundum usum antiquum. Si taxa per Comitatum est defixa, tabella taxam specificans sub sigillo Comitatus penes Telonium asservari, et cum quaestoribus, et itinerantibus communicari debet. Si Teloniator est Judaeus, nemo tenetur solvere Telonium 1723: 15. imo praeterea Dominus terrestris punitur, si post admonitionem non dimiserit Judaeum. A longe (messziröl) non possunt itinerantes cogi, ut per Telonium transeant, nisi jam parte aggerum, et viarum reparatarum usi sint 625. 34. 647: 91. Telonium, et Naulum solvitur non a mercibus, verum a jumentis, et curru, 741: 28. Pedites Telonium non solvunt 723: 15. Verum Naulum solvunt ex usu, non ex lege, qui usus in hac parte legi derogavit. Qui Telonium non transeunt, v. gr. ob siccitatem, vel glaciem, ab illis sub poena vio-

len-

lentiae non poteſt Telonium exigi. 723: 15. Ob fraudulenter vel, violenter intermiſſam Telonii ſolutionem, eſt poena contrabandae, ſeu confiſcationis rerum vectarum 723: 15. Ulad. 3: 35. quam poenam incurrunt etiam illi, qui transitus non privilegiatos quaerunt. Verum res confiſcatae conſervari debent per Teloniatorem usque ad ſententiam coram ſede Dominali Domini Telonii ferendam, ſi diſtrahantur prius, incurritur poena violentiae, et damnorum refuſio. Si vero occaſione defraudationis res confiſcari non potuerunt, Dominus Telonii movet Proceſſum coram Judice laedentis ad amiſſionem rerum illarum in ſpecifico per actorem probandarum Ulad. 3: 29.

Eximuntur a Telonio omnes Nobiles, pariter et Naulo; etiamſi quaeſtum cum rebus propriis exerceant, imo etiam ſi cum rebus emtis exerceant, ut deduci poteſt ex Ulad. 3: 35. §. 6. et 15: 1723. Verum ſi in ſocietatem quaeſtus aſſumant ignobilem, et ſic illum a ſolutione vellent liberare, tunc res omnes utrique per Teloniatorem auferri poſſunt lege citata. Obſcuri Nobiles debent ſe teſtimonialibus legitimare. Ulad. 4: 42. Eximuntur Eccleſiaſtici, Scholares, et Eccleſiarum ſervitores 1458: 10. Cives Liberarum, Regiarumque Civitatum, ſi ſe paſſualibus Legitiment, et propriis occaſionibus in negotiis propriis pergant, aut res pro neceſſitatibus ſuis vehant, 1741: 28. Nobiles Praediales, coloni Primatiales 41: 1599. Quorundam oppidorum privilegiatorum incolae, aeque ut de civibus dictum eſt: eximuntur porro ad molam proficiſcentes cujuscunque ſortis homines Ulad. 1: 86. 723: 15.

15. Coloni in negotiis Dominorum Nobilium, vel Ecclesiasticorum proficiscentes, et illorum res vehentes. Ignobiles intra territorium Telonii habitantes, et ibi vias, et aggeres reparantes, 47: 1609. 723: 15. pro sponsa ducenda pergentes, et redeuntes. Math. 1: 36. Ulad. 1: 86. Pecora propria ad nundinas pellentes 723: 15. In negotio Regio, et publico proficiscentes. Omnes pedites cujuscunque status, et conditionis, et denique illi, qui Telonium transeunt, et ulterius non pergunt, verum inde redeunt, pro reditu non solvunt. Ludov I. artic. 8.

Processus sunt —

Primus. Fisci Regii coram Tabula Regia, vel Fisci Magistratualis coram Sedria ad cassationem Telonii, vel Nauli non privilegiati. Actio fundatur in 10: 2ae. 87. 88: 1492. 59: 1563. 15: 681.

Secundus. Competit Fisco Magistratuali ad sublationem Telonii sicci; et non necessarii, licet privilegiati. Coram Sedria actio fundatur in 15: 1715. 15: 1723. Telonium tale cassatur, rota dejicitur, publicatur, quod nemo teneatur solvere. Verum hoc tantum tunc, si beneficio naturae factum est Telonium siccum, quia si Dominus Telonii suis expensis effecit id, ut siccitas sit circa Telonium, manet Tolonium, et Jus exigendi.

Tertius. Fisco Magistratuali primo quidem ad poenam 100 florenorum. Secundo ad poenam 200 flor. Tertio ad amissionem loci, in quo Telonium est. In his casibus 1) si posteaquam cassatum est Telonium, tamen exigatur solutio. 2) Si quis Judaeum Teloniatorem post admonitionem servet. 3) Si ultra taxam limitatam exigat. 4) Si quis itine-

ran-

rantes e longinquo ad Telonium compellat. 5) Si quis nec ad Judicialem admonitionem reparat pontes, vias et aggeres. Prima, et secunda poena cedit Comitatensibus Judicibus nempe exequentibus. Tertia Fisco Regio. Locus amissus redimitur communi aestimatione. Actio fundatur in primo casu in 11: 1566. 29: 1655. 15: 723. In secundo casu in 15: 1630. 91: 1647. 15: 1723. In Tertio casu in 12: 1566. In quarto in 13: 1566. 1625: 34. Math. D. 1. art. 15. In casu quinto vero, Ulad. 1: 87. 1566: 12. 1723: 15.

Quartus Violentialis, 1) Contra illum, qui in tali desumit taxam, qui se immunem a taxa solvenda esse legitimaverit. Fundatur in legibus de violentia (de quibus alias) et lege, quae eximit. Item in 15: 1723. 2) Contra illum, qui res confiscatas ante sententiam distraxerit. Fundatur actio in 15: 723. 3) Contra illum, qui in cassato per Comitatum Telonio, vel Naulo, taxam exegerit. Fundatur in 625: 34. 623: 15. 4) Contra illos, qui itinerantes ad potum emendum adigunt, fundatur in 723: 15. 5) Contra illos, qui itinerantes a longe cogunt ad Telonium transeundum. Fundatur in 13: 1566. 723: 15. ubi omnes excessus Teloniatorum poena violentiae puniendi dictantur. v. gr. verberationes etc. Contra Teloniatorem defluit processus coram sede Dominali, qui si solvendo non sit, adsignatur manibus triumphantis 655: 29. Contra arendatores vero coram Vice-Comite, processus violentialis movetur etiam 6) contra talem, qui plus exigit, quam limitatum est. Ex 635: 73. et 729: 15.

Quin-

Quintus Processus competit Domino Telonii, vel arendatori ad amissionem rerum vectarum contra illos, qui defraudarunt Telonium, aut effugiendo, aut dolo, vel falsa vada, et trajectus quaerendo. Fundatur in Math. 6. 35. Ulad. 1: 88. 15: 723. Ulad. 3: 35.

Sextus Domino Telonii contra illum, qui falsa vada, id est; Telonia non privilegiata, et trajetus servat, ad amissionem loci. Fundatnr in Ulad. 1: 88.

Septimus. Domino Telonii contra illum, qui posterius privilegium praejudiciosum habet, in 2ae 9. 10. ad cassationem illius coram Tabulam Regia, praejudicat vero privilegium Telonii priori privilegiato, si intra unum milliare absque magna necessitate conferatur.

Octavus. Illi, qui in pontibus propter malam illorum conservationem damnum patitur, contra Dominum Telonii competit Processus damni. Fundatur actio in Ulad. 1: 87. 723: 15.

Nonus. Contrabandato, seu illi, cujus res confiscatae sunt, ad recuperationem illarum coram sede Domini Telonii 1723: 15.

Tricesima licet non ad Jura Regalia minora, verum ad Coronalia pertineat, adeoque inalienabilis sit: tamen his pertractari potest. Solvitur a rebus in Regnum inducendis vel educendis, juxta illarum qualitatem, et quantitatem. Administratur per Cameram, quae cum Regio annutu constituit Tricesimato es, non tamen quoscunque, v. gr. Judaeos non, vel extraneos. Verum Hungaros possessionarios 630: 15. 715: 15. Ulad. 3: 30. 681: 44. Tricesimatores ratione officii subsunt Came-

me-

merae, et ejus Judiciariae aactoritati 741: 13. 51. In aliis vero negotiis subsunt Judicibus Regni. Tricesimatores in persona insurgere non obligantur, verum insurrectionem pecunia redimunt.

A Tricesima eximuntur res, quae neque collective efficiunt valorem unius floreni Ulad. 1: 27. 3: 29. Eximuntur Nobiles, qui pro rebus pro suis necessitatibus inductis, vel eductis non tenentur Tricesimam dare, 1723: 14. verum si quaestus gratia efferant, licet res allodiales, debent solvere. 1599: 34. 1638: 49. aut si quaestus gratia inducant. Eximuntur Scholares, Sacerdotes, Monachi Ulad. 3: 35. 1548: 55. 1577: 6. Eximuntur Liberae, Regiaeque Civitates, et Montanae 1557: 16. Cumani, et Jazyges in quantum in usu essent hujus exemtionis, ut 659: 61. dicit. Nobiles Praediales, et coloni Archi-Episcopales. 559: 44. 563: 59. 599: 41. 567: 16. Domini terrestres in locis, in quibus Rex Tricesimam erigere vult, debent dare pro pecunia Jure Hypothecario fundum, uti et pro depositorio salis. Tricesima solvitur tantum semel, sive solvatur in finibus Regni, sive in meditullio idem est. Sed antequam solvatur, merces vendi non possunt sub poena confiscationis Ulad. 3: 29. 609: 17. 723: 13. Mercium prohibitarum, ut et contrabandarum Judex est Camera. 723: 13. Non licet sub specie rerum pro propriis necessitatibus inductarum alias inducere 559: 44. 599: 34. aut socium non exemptum Tricesimae subducere. Ulad. 3: 35. 625: 50.

Processus hinc sunt:

Primus. Fisco Regio ob defraudationem Tricesimae, ad amissionem rerum, quae non potuerunt

con-

confiscari. Movetur coram Judice Incatti. Fundatur in Ulad. 3: 29. 609: 17. Ulad. 3: 35.

Secundus. Propter Tricesimatoris excessus coram Vice-Comite ad poenas violentiae. Fundatur in 681: 44. et in legibus de violentia sonantibus, in cameraticis vero coram Camera conveniri debent.

Tertius. Processus ad res confiscatas rehabendas. Defluit coram Camera.

Quinta Species Jurium Regalium sunt. Decimae, quae de lege S. Stephani Libr. 11. 52. Episcopo Dioecesano competunt, vel talibus Sacerdotibus Catholicis, qui speciale privilegium super eo habent, aut praescripserunt in collatione, et exactione Decimarum. Seculares, et Ministri Protestantium, ut Curia decidit, nec praescriptione possunt acquirere Jus Decimas exigendi; quia incapaces sunt vel possidendi Decimas. Praeterea lex 723: 17. solis catholicis Sacerdotibus tribuit. Praelatus Jus decimandi habens tenetur Parocho loci Catholico sedecimam, vel ubi in usu fuit, octavam aut quartam Decimarum dare. S. Ladis. 1: 33. 723: 71. Dantur Decimae 1) ex frugibus, v. gr. Tritico, Siligine, Milio, Hordeo, Avena, Spelta. 2) ex Vino. 3) ex Agnellis, Haedis, et Apibus. Math. 1: 5. Ulad. 3: 51. 54. Si alvearia, vel apes decennarium numerum non adaequent, pro singulis datur unus denarius, seu ut hodie vocatur grossus. Ulad. 1: 54.

Eximuntur a Decimis 1) Nobiles a propriis terris allodialibus, aut exstirpatitiis, 22: 1574. 1ae 9. Alb. 28. Ulad. 1. 50. Verum a colonicalibus, et urbarialibus terris debet solvi, licet per

Nobilem colantur: ex frugibus et vinis, non item ex agnis etc. 70: 1563. dicit: quod etiam ex illis decimam solvere debeant Domini terrestres, quas terras colonis suis ademerunt, et ipsi excolunt. Verum hoc non est in in usu, vel saltem de talibus terris intelligendum est, quas absque necessitate converterunt Domini terrestres in allodiaturam. Quia 40: 1ae admittit ut in casu necessitatis Curias legales ex colonicalibus terris faciant. Imo si rusticus fugiat, et per id terra allodialis evadat, vix a tali terra debent praestari Decimae, quia 70: 1563. de solis ademptis sonat. Qui allodiales Domini alicujus terras colit, ex illis terris non solvit, cujuscunque status, et conditionis sit. Non solvitur decima a Praediis, licet olim sub Decimis fuerint. Nobiles Comitatus Symeghiensis hucdum solvunt Decimam in pecunia Abbati Montis Pannoniae. Nobilitas Scepusiensis ante paucos annos est absoluta a Decimis per Curiam Regiam. Nobiles, qui ob metum hostilem sua deseruere, non solvunt Decimas licet terras colonicales colant. 59: 1683. 2) Eximuntur Ecclesiastici, et Scholares, quo ad tales fundos, quos ex fundationibus possident. 22: 1574. 647: 96. quo ad alios non eximuntur. S. Ladis. 1: 27. 3) Excipiuntur Rutheni, Valachi ab aliquibus terris, quae non fuerunt sub Decimis; quia si alias terras colant, debent solvere. Ulad. 2: 45. Math. 3: 5. 4) Nobiles Praediales, quoad fundos Praediales Ulad. 4: 29. 4. 5) Excipiuntur messores, si rata ipsorum ex talibus frugibus obveniat, quae non sunt sub Decimis, vel si domi Decimas solvunt. 6) Eximun-

tur

tur etiam Judaei, Turcae, nisi tales terras colant, quae sub Decimis sunt. Protestantes vero, et Catholici non excipiuntur, licet nullas terras colant, verum in casu illo pecuniam Christianitatis 2 Grossos debent solvere. Ulad. 3: 52.

Jus Decimas in arendam sumendi, si Dominus Decimarum illas in arendam dare velit, competit

1. Domino Terrestri. 546: 55. 35: 1547. 655: 86.

2, In Confiniis pro usibus belli, durante bello prae Dominis terrestribus competit Fisco 715: 11. verum

3. Domini terrestres reliquis suis Bonis per hostes pulsi, in confiniis quoque in Bonis propriis praecedunt Fiscum. 574: 22.

4. Illis, qui privilegio mediante Jus praearendandi habent 647: 95. Dominus Decimarum non potest usque Festum S. Georgi alteri dare in arendam, praeterquam illi, qui Jus praearendandi habet. Si certa, ac determinata est arendae summa, illa ad semel deponi debet. Si incerta est, et Jus praearendandi habens cum Domino Decimarum convenire, non possit, per Comitatum debet determinari, aut vero nemini licebit exarendare, sed ipse Praelatus, colligat in natura 61: 1548. 1655: 89. Si Domini terrestres se usque ad Festum S. Gegorii non insinuent et non exarendent, et summam non deponant, potest cuicunque exarendari 546: 55. Si vero ante Festum S. Georgii alteri in arendam datae sunt Decimae, Dominus terrestris deposita apud Vice-Comitem post admonitum Praelatum summa, si nempe illa certa, vel per Comitatum determinata sit, potest pro se colligere decimas, et

si arendator ipsum turbet, vel impediat; erit violentus 1622: 70. Si autem sub illo praetextu data est alteri arenda, licet post Festum S. Georgii, quod convenire inter se non potuerint, gratis potest colligere Decimas Dominus terrestris. Si Dominus terrestris nolit exarendare, exarendatio colonis competit, quo Jure per nulla statuta Comitatus possunt privari.

Decimae de lege in natura competunt Praelato, et nisi expresse renunciaverit Juri in natura exigendi, semper potest in natura exigere, nisi usus constans, et a seculis vigens aliud svadeat 95: 1647. Si renunciavit vel usus solvendi semper in pecunia fuit, tunc est determinata arenda, vel non est. Si est, non potest vel augeri, vel minui, absque mutuo consensu 647: 95. 715: 97. si non est, Comitatus determinat. Si post annum 1647 facto partium est aucta, Dominus terrestris non habet actoratum, ut ad summam anno 1647 praeexistentem reducatur.

Decimae in Bonis secularium desumuntur post nonam, in Bonis Ecclesiasticis vero prius Decima, tandem Nona Ulad. 2: 44. 4: 29. Ex frugibus in manipulis desumitur, non in granis. 625: 45. Coloni Decimas inter territorium suum tenetur convehere pro certa mercede. v. gr. decimalitate decimae Ulad. 3: 51. vel uti conventum est, aut usus invaluit. 618: 45. 659: 56. In vino decimando mensuris legitimis utendum, sub poena violentiae v. gr. urna 64 mediarum. 655: 31,

Vigore 7: 1802. si ab insinuatione finitae falcationis, vel messis per colonum facta, intra 8 dies 9a

vel

vel 10a non desumatur: possunt rustici fruges suas domum portare relicta in campo Decima. Adveniente Decimatore tenetur rusticus jurare, quod Decimam rite, et competenter extradederit. Si illo juramento Decimator non contentatur, potest acervum disjicere, et si plus non inveniatur, quam revelatum est, solvit rustico unum aureum, secus rusticus equum ejus potest adimere; si plus inveutum est superfluitas confiscatur, Math. 6: 41. Ulad. 3: 51.

De Vino vid. cit. 7: 1802. Ex agnis, et haedeis ante Festum Joannis Baptistae 647: 96. Ex apibus, ante Festum S. Michaelis Ulad. 2: 39. debet desumi.

Processus ex Decimis enascitur:

Primus. Praelato Jus decimandi habenti contra illos, qui Decimam in natura dari solitam denegant, si in natura exigendi usum habuit Praelatus. Vel contra illos, qui collectionem Decimae impediunt, aut illas violenter auferunt, ad poenam dupl. Actio fundatur in 1548: 61. 1609: 17. Debet probari pacificus usus. Si pecunia denegetur, non habet locum Processus ad poenam dupli. Defluit coram Vice-Comite, vel Judice Nobilium, pro ratione valoris rerum denegatarum 55: 1729.

Secundus. Eidem in casibus dictis competit actio violentialis. Idem debet probari quod supra, et praeterea violenta ablatio.

Tertius. Illi, qui praearendandi Jus habet, aeque vel ad poenam violentiae. Coram Vice-Comite, vel ad poenam dupli, coram Judlium, vel Vice-Comite contra illos, qui collectionem Decimarum praecipiunt, aut Dominum terrestrem in

 colle-

collectione earum impediunt. Fundatur actio ad poenam quidem violentiae in 622: 70. ad poenam dupli vero in 1548: 61. 35: 1547.

Quartus. Processus violentalis. Per illum moveri potest, qui non tenetur solvere, et fuit in usu non solvendi decimam, eo non obstante ab illo extorta est, aut illegaliter, et excessive exacta est, uti etiam contra quoscunque Decimatorum excessus. Actio fundatur in 1655: 89. 715: 97. Compensantur etiam dolores corporis ob verberationem perpessi 639: 31.

Quintus. Ad desumtionem pecuniae, si arendam quis nolit solvere. Ut infra.

Sextus. Contra Praelatum ad octavam vel sedecimam Parochis competentem desumendam. Fundatur actio in S. Lad. 1: 33. 723: 71. 1557: 12. et Ulad. 3: 50. Octava, vel decimasexta semper per illum Praelatum debet praestari, qui decimas colligit. Si vero in pecunia accipiat decimas, aeque ille debet praestare, nisi expresse exclusa sit in contractu, quia tunc illi debent octavam, vel decimamsextam dare, qui decimas Praelato praestare tenentur.

Septimus. Processus Juris, quia dicti Processus sunt ex usu, praeter septimum. Verum si Praelatus non sit in usu, tunc ex Jure debet procedere. Defluit coram Tabula Regia. Ibidem movet etiam ille Juris Processum, qui virtute privilegii exemtorii, et olim usu roborati, vult se a Decimis, quas nunc praestat, liberare.

Sexta Species Jurium Regalium est Nona, et Jus Montanum. Acquisiverunt hoc Jus Domini

mini terrestres sola lege. Lud. 1: 6. Ulad. 1: 47. Nona datur:

1. Ex frugibus, exceptis hortensibus intravillanis.

2. Ex vino, nisi Jus montanum in usu sit, id est, certa praestatio semper aequalis. 31: 1655. 1715: 97.

3. Ex animalibus iisdem, ex quibus Decima. Debent Nonam solvere omnes, qui in alieno fundo possident, nisi speciale privilegium eatenus habeant et quidem usu roboratum. Ulad. Decret. 1. 49. §. 3. Si quis ex vinea non det Nonam, coram sede Dominali convenitur, ad amissionem vineae etiam Nobilis, si proxime elapso anno dedit Nonam. Si vero jam uno, alteroque anno non dedit, coram Vice-Comite debet conveniri, quia tunc agit Dominus ad redintegrationem usus habiti. Ulad. 1: 49. 1655: 48. 625: 58. Si quis vero ex agris deneget Nonam, est violentus, quia involat in Jura aliena. Hinc violentiali Processus conveniendus est, quia in amissione fundi nihil, vel parum perderet. Tempus exigendi Nonam est idem, quod de Decimis diximus. Dominus non debet optima vina pro se seligere, verum talia, qualia colono manent 31: 1655.

Primus. Domino terrestri ad amissionem Vineae Actio fundatur in Ulad. 1: 49. 655: 48. ut supra dictum.

Secundus. Violentialis contra illos, qui Nonam violenter auferunt.

Tertius. Repositorius in usum Nonam exigendi contra talem Nobilem qui jam pluries denegavit Nonam, coram Vice-Comit

Quartus. Violentialis contra Nonam exigentem, ubi non haberet Jus exigendi, vel excessive exigit, nempe contra Dominum, vel Officialem ejus erigitur per laesum, qui si Civis sit, Civitas, si colonus alterius, Dominus ejus terrestris, si ejusdem laedentis colonus sit, Fiscus Magistratualis Actoratoratum assumit pro ipso.

Quintus. Laeso contra Dominum terrestrem, Jus montanum supra usum diuturnum attollere volentem, coram Vice-Comite ad poenam violentiae. Fundatur in legibus, de quibus supra.

Sextus Processus Juris, quia dicti Processus sunt ex usu, movetur per illum, qui fundamento privilegii usu roborati vult se liberare a Nona, debet illud privilegium fundo applicari.

CAPUT VIII.

De Testamento.

Testamentum est dispositio de eo, quod quis post mortem suam cum bonis suis fieri vult. Ante mortem semper potest mutari.

Requisita, et solemnitates testamenti aliae sunt Internae, aliae Externae. Interna solemnitas Jure nostro est unica, nempe activitas testandi, quae est vel personalis, vel realis. Personalis activitas iterum est, vel Subjectiva, quae ipsum testantem concernit, vel Objectiva, quae illam personam concernit, cui quis testatur.

Ac-

Activitas testandi personalis quoad personam testantis est: ut illa nec impediatur testamentum facere. v. gr. amentes, furiosi, infantes. Nec prohibeatur v. gr. personae illegitimae aetatis, licet annos infantiae excesserint, porro notorii, infamia Juris notati, talium omnium Testamentum est ipso Jure nullum, nec indiget invalidatione, verum per forum pedaneum seponitur ad petitionem illius, qui ab intestato succedere deberet, et eo fine Successionalem coram foro pedaneo processum movit. Puellas sub tutela existentes licet legitimae aetatis sint, ex 91: 1ae. dicunt aliqui non posse testamentum facere, verum ibi dicitur, quod sibi, vel successoribus praejudiciosas translationes non possint facere, atqui successoribus praejudiciosas neque tutela liberatae poterunt valide celebrare, sibi praejudiciosas vero possunt, si placet, verum modo alias dicto revocare poterunt si placet, si non revocant, manent firmae atqui mortuae non revocabunt, quia cessat favor, quo jam non indigent, praeterea licet verum esset illas non posse fateri valide, inde non sequitur, nec testari posse, vel exemplo masculorum, qui possunt testari in ista aetate, in qua adhuc fassionem celebrare non possunt. Qui diceret diversam esse masculorum, et femellarum conditionem, et mares quidem legitimae aetatis posse testari, quia non sunt sub tutela, faeminas vero esse sub tutela, adeoque non posse testari, is effectum poneret pro causa. Non ideo possunt mares legitimae aetatis testari, quia non sunt sub tutela, verum ideo non sunt sub tutela, et ideo possunt testari, quia sunt legitimae

aeta-

aetatis. non a tutela finita, verum a legitima aetate adepta pendet facultas testandi, hinc licet adhuc faeminae sint sub tutela, si tamen legitimae sint aetatis, poterunt testari. Secus etiam multum diversa est tutela, cui subsunt faeminae in aetate legitima, a tutela, cui subsunt mares ante aetatatem legitimam, quia idem tribuit lex faeminis sub tutela existentibus, quod maribus jam tutela liberatis, v. gr. facultatem Procuratores constituendi, de rebus mobilibus, de debitis inter vivos disponendi, alienationes temporaneas imo etiam perennales (revocabiles tamen) faciendi, si haec possunt, quare non possent mortis causa alienare? cum alioquin quod sub tutela sint, donec nubant, quod item intra annum a nuptiis sua facta revocare possint, hoc in favorem ipsarum inventum est, ne sibi noceant, si nolint uti illo favore vivae, vel non indigeant mortuae, per annum a nuptiis impletum, aut per mortem convalescit actus cujus validitas antea pendebat. Activitas personalis objectiva, seu quoad personam illius, cui testamentum fit, est; ut illa sit activitate recipiendi praedita, sic v. gr. nemo potest testari illis, qui incapaces sunt possidendorum bonorum immobilium, v. gr. communitati sive Nobili sive Ignobili, Ecclesiae, Claustro, Ignobilibus nemo potest bona immobilia nobilitaria testari, verum tantum pecuniam legasse censetur, et ille, qui ab intestato succederet, potest deposita pecunia a tali Legatario reluere. Ergo talibus factum de rebus immobilibus testamentum non est, quidem ipso Jure nullum, sed nec invalidatione indiget, verum coram foro pedaneo reluuntur Bona.

Ac-

Activitas testandi realis consistit in eo, ut non tantum sint res, quas testatur illi, propriae, verum etiam ut habeat liberam in illis disponendi facultatem. Si quis de rebus alienis disponat, est testamentum ipso Jure nullum, v. gr. quoad portiones fratrum indivisorum. Si vero quis de propriis quidem bonis, et propria portione disponat, tamen si non habuerit liberam disponendi facultatem, erit testamentum Invalidabile, non erit ipso Jure nullum.

Testatorem non habuisse liberam disponendi facultatem, semper ille potest controvertere, qui ab intestato ex lege succedere debuisset: nempe descendentes, saepe vero ascendentes, aut si illi non adsint, collaterales, vel Fiscus, vel denique Dominus terrestris, et saepe etiam conjux superstes Descendentes, imo et ascendentes possunt controvertere 1) cum quis de aviticis sive mobilibus, sive immobilibus fecit testamentum aut 2) de acquisitis quidem, verum testans avitica abalienavit, aut illis onera induxit 49: 1723. Collaterales vero tunc possunt controvertere 1) cum quis de talibus aviticis disposuit, in quibus collaterales condivisionales mutuam successionem cum testante habuerunt, aut quae testanti, vel illius majoribus, seu antenatis divisione tenus obtigerant. 2) Cum quis de talibus acquisitis disposuit, quae ex fructibus bonorum indivisorum acquisivit, quia talia licet acquisita naturam aviticorum habent 723. 47. 3) quando quis de acquisitis suis disposuit quidem, verum avitica abalienavit, aut illis onera, idest debita induxit, quia nemo censetur eosque acquisi-

tor

tor esse, donec avitica per ipsum alienata, vel inonerata redintegret, vel depure*. Verum hoc nonnisi de illis intelligendum, qui pecuniam, quam pro bonis venditis perceperunt, non in familiae utilitatem erogarunt, quia si in utilitatem familiae facta est venditio, et praeterea talis vendens bona acquirat, potest de illis disponere. Extra dictos duos casus potest quis liberrime disponere quoad Familiam suam de acquisitis. Et haec omnia hactenus dicta tam de Nobilibus, quam Libertinis, Civibus et colonis vera sunt hoc addito, quod maritus Nobilis, et Libertinus potest testari de omnibus cum conjuge coacquisitis, verum Civis, vel colonus tantum de medietate potest, alia medietas est uxoris.

Fiscus vero tunc controvertit testantem non habuisse liberam dispositionem, cum bona fuerunt Donationalia, et Familia vel defecit, vel Notam incurrit, ergo ante Defectum vel Notam, non potest Fiscus auferre illi, cui testamento, vel qualitercunque data sunt Bona. Ergo respectu Fisci, libere disponit quilibet:

1) De Extradonationalibus etiam ultimus Deficiens.

2) Donationalia ultimus Deficiens non potest testari absque consensu Regio, nisi Donationi inserta sit Clausula: Tibi, Tuisque Haeredibus, Legatariis, Cessionariis etc. Verum ille, qui non est ultimus Deficiens, potest Donationalia quoad Fiscum testari, et Legatarius usque Defectum fatentis possidere poterit.

3) In Donationibus mixtis etiam ultimus Deficiens de summa investita libere potest testari.

4)

4) Licet Donatio sit pura, tamen de meliorationibus, aedificiis, aliisque, investitionibus etiam ultimus Deficiens libere potest testari. Praelati ex fundatione Regia Bona possidentes, nisi testandi facultatem a Regia Majestate impetrent, tantum de una tertia acquisitorum suorum possunt testari, 1/3 cedit Ecclesiae, 1/3 pauperibus, ergo si de omnibus acquisitis disponant, ex defectu activitatis, et solemnitatis internae per Fiscum invalidatur ipsorum testamentum.

Dominus terrestris potest controvertere colonum suum ultimum Deficientem non habuisse liberam disponendi facultatem si ille 1) De immobilibus aviticis disponat 3ae. 30. 2) Si de immobilibus acquisitis ultra medietam disponat. Ergo de rebus mobilibus sive aviticis, sive acquisitis potest disponere ultimus Deficiens colonus. Imo potest etiam de immobilium acquisitorum medietate, si v. gr. vineam plantavit in fundo Dominali, vel exstirpaturam fecit, tunc medietatem vineae vel agri exstirpati potest testari, et ille cui legavit, eodem Jure poterit possidere, quo legans possedit, id est erga Nonam, et praestationes. Vel vero Dominus terrestris; ad quem alioquin fundi proprietas pertinet, ipsum ex melioratione, vel investitura exsolvet. Verum si vinea, vel exstirpatura avitica fuerit, non potest testari. In il is rebus de quibus testari potest colonus, potest, etiam filio suo illegitimae aetatis haeredem substituere, ut si in illegitima aetate moriatur filius haeres substitutus succedat, verum si in aetate legitima moriatur, evanescit haeredis substitutio, quia jam ille filius se-

cun-

eundum regulas supra dictas potuit testamentum facere, si non fecit, in omnibus Dominus succedet.

Hactenus de solemnitate interna, seu de activitate testandi. Jam sequuntur, solemnitates externae, quae sunt multiplices, prout ipsa testamenta.

Testamentum enim aliud est solemne, id est, quod praeter et supra probas ad probandum testamentum necessarias, quasdam ceremonias, et solemnitates requirit. Aliud privilegiatum, ad quod nullae solemnitates necessariae sunt, verum tantum hoc requiritur, ut probari possit revera illam fuisse testatoris voluntatem, adeoque sufficiunt duo testes, vel vero scriptura solius testatoris, licet nomen suum non subscripserit. 715: 27. Casus in quibus privilegiatum est testamentum sunt.

1. Si sit ad pias causas, aut pro Fisco, ut aliqui dicunt, aut publico.

2. In castris occasione periculi bellici.

3. Si sit de solis liberis, et quatenus est de illis, jam quoad alias personas non subsisteret, nisi omnes solemnitates haberet.

4. Tempore pestis, ubi illa grassatur. In omnibus reliquis casibus Solemne testamentum requiritur, quod vel est Publicum, vel Privatum. Publicum testamentum fit coram Capitulo, Conventu, vel exmissis ex Capitulo, vel Conventu, coram Judicibus Regni Ordinariis, eorumque Protonotariis. Coram Cancellaria Viennae, vel exmissis ejus, coram Comitatu, vel ejusdem exmissis, Judlium et Jurassore, vel pro Civibus quorum testamenta ordinarie publica sunt, coram ex-

missis-

missis ex Magistratu. Publica testamenta sic fiunt: vel dictat testator, vel jam descriptum porrigit, et coram se perlectum viva voce approbat, et declarat suam esse voluntatem (si non perlegatur, vel ignota testatori lingua concinnatum eidem non explicetur, non valet) tandem fertur ad locum autenticum, unde v. gr. exmissi sunt, ponitur ad Archivum post mortem testatoris ad petitionem illius, cujus interest, expediendum.

Privatum testamentum fit coram personis privatis, vel publicis quidem, sed non qua talibus, et non exmissis. Cives etiam possunt in casu necessitatis privata testamenta facere, cum illis solemnitatibus, quibus Nobiles, vel libertini. Privatum testamentum vel est scriptum, quod dum fit, in scripturam redigitur, vel jam redactum, testibus per ipsum testatorem praesentatur, sive sit clausum, id est ut non sciant testes, quid contineat, et tantum inscribant illi, sibi ita praesentatum esse per testatorem qua testamentum. Sive apertum, id est: ut etiam testes sciant, quid contineat in specifico.

Requisita scripti testamenti solemnis sunt: 1) Quinque testes idonei, (non ergo septem uti ante annum 1715) non debent esse interessati, quia pro se nemo potest testimonium perhibere 23: 41. Si viri possunt haberi, praeferendi sunt faeminis. Qui in aliis negotiis testificari non possunt, nec in testamento possunt esse, testes, hine domestici, id est Dominicae potestati subjecti, aut alii familiares adhiberi non possunt. 2) Omnes testes ad semel praesentes esse debent, testamentumque uno con-

contextu, et continuo actu debet absolvi, id est solemnisari. 3) Debent esse vocati, et requisiti non tales, qui se obtrudunt. 4) Nobilitari, vel aequipollenti praerogativa gaudentes, et honestae conditionis v. gr. Officiales Dominales etc. 5) Debet adesse subscriptio testatoris, vel si nesciat, vel non possit scribere, sextus testis loco ejus subscribere debet. 6) Omnium testium subscriptio requiritur, et sigillum. Verum loco testis, qui scribere nescit, potest alter subscribere, modo crucem ipse formet, ut et sigillum alterius etiam potest apprimi. Si apertum est testamentum, praelegi debet coram testatore, et explicari, si nefors id, quod dictavit lingua ipsi ignota sit in stylum redactum, quod de fassionibus dicit 687: 17. 7. dies, locus, annus, mensis rite apponi debent, rasio et cancellatio abesse, praecipue in substantialibus. Denique omnis fraus abesse, debet, quia si vel in unum §. fraus irrepat, totum corruit. Abesse debet etiam vis, et coactio, quia absentia doli, metus etc. in testamentis est de forma, et de essentia, Licet vero propter defectum solemnitatis internae, v. gr. quoad avitica ruat testamentum, quoad acquisita tamen stare debet.

Privatum testamentum solemne est adhuc Nuncupativum. Quod verbis tantum per testatorem profertur, nec occasione testamenti in scripturam redigitur, licet post ex serius per ipsos testes describi possit. Solemnitates eaedem adesse debent praeter scripturam, quae de testamento scripto diximus. Nisi quod, si nefors, res intuitu testamenti ad Processum deveniat, jurare debebunt hi testes, secus ac in scripto.

Co-

Colóni testamenta sua valide faciunt coram duobus juratis loci, et etiam duabus aliis personis fide dignis, vel prout usus cujuslibet loci antiquus est, 3ae: 36.

Si extra Regnum sit quis constitutus, potest ita facere testamentum de rebus suis in Hungaria existentibus, prout ibi moris est, ubi moratur. Testimonialibus ejusdem loci probari debebit, rite esse consvetudinem loci observatam. 276: 24. Si Judex Regni Hungariae ordinarius, aut ejus Proto-Notarius reperiatur in loco illo extraneo, potest coram illo celebrari, quia non est jurisdictio contentiosa verum voluntaria, quae etiam extra fines territorii, et jurisdictionis competit.

De testamentis observandum adhuc:

1. Quod Nobilis possessionatus semper potest de Bonis civilibus cum aliis Bonis suis extra territorium etiam civitatis testamentum condere. 1655: 46. verum impossessionati, et suspecti Nobiles, de Bonis suis civilibus, hoc extra casum necessitatis non possunt facere, verum eorum Exmissis ex Magistratu.

2. Si Legatarius testanti praemoriatur successores ex ejus testamento nihil possunt praetendere, (nisi inserti sint testamento) et redit successio ab intestato, vocaturque testamentum destitutum, uti etiam tunc, si Legatarius non acceptet rem legatam.

3. Si Legatario in casum Defectus ejus alter est substitutus, bona evadunt fidei commissa, et absque onere, et alienatione debent transire ad substitutum, ita ut emptor, vel hypotecarius gratis debet restituere substituto.

4.

4. Si sit ruptum testamentum, id est: si mutavit suam voluntatem, licet posterius testamentum ex dedefectu aliquo corruat, tamen prius testamentum non reviviscet.

5. Si res legata pereat, vo atur testamentum irritum, si in specie legata res pereat, nihil acquirit Legatarius, verum si in genere est res legata. v. gr. unam vaccam ex suo armento legavit, tunc etiamsi omnes vaccae pereant, et una remaneat, tamen Legatario debet dari.

6. Inofficiosum testamentum, seu cum quis prolibus suis nihil relinquit, apud nos non datur, quia apud nos de omnibus acquisitis potest testari quilibet, si tamen proles nondum sunt educatae, et prorsus non suppetant media educandi, tunc aliqua pars pro educatione exscindi potest, licet lex de hoc quoque taceat, quia tantum hoc dicit: quod parentes naturaliter prolibus acquirunt, hoc naturaliter id significat: nisi aliter disposuerint, acquisita patrum naturaliter prolibus manent. Quia si vita comite potest acquisitor res suas illi dare, cui vult vi 57: 1ae quare non posset testamento? cum et in morbo sit dubius vitae terminus. Ergo 57: 1ae inclusive, non exclusive intelligendus est. Praeterea correlatorum eadem est ratio, atqui 5: 1ae ita dicit patrem de acquisitis disponere posse, uti filium, filius vero potest, et hoc nemo negat, cum alioquin 5: 51. 1ae clare dicant illum posse disponere, jam vero si Pater propterea non posset filium simpliciter excludere ex acquisitis, quod vi 53: 1ae filio acquirere teneatur, inde sequeretur, quod nec filius possit patrem ex acquisitis excludere,

at-

atqui poteſt. Ergo etiam de patre non obligativo, verum ſvaſorio modo, et naturaliter tantum, id eſt, ab inteſtato intelligi debet nec obſtat quod extra caſum coactae diviſionis ſubſterni debeant acquiſita diviſioni, 55: 1ae, quia hoc etiam ſvaſorio tantum modo dicitur, verum licet obligativo modo diceretur, inde tamen non ſequeretur, nec ante diviſionem licere acquiſita aliis legare, imo ex 43: 1aé contrarium prodit. Praeterea cum 5: 1ae parentes, et filios fratribus in hac materia aequiparet, fratres vero indiviſi nonniſi ex fructibus bonorum aviticorum acquiſita teneantur ſubſternere, etiam pater vel ſtrictiſſime ſumendo nonniſi illa tenebitur ſubſternere verum cum pater indiviſus non habeat ſimultaneum dominium cum filio, quale habent fratres inter quos communium Bonorum etiam fructus communes ſunt, adeoque diſpar ſit ratio patris quoad filium, quam fratris quoad fratrem, cum alioquin diſpoſitio 61: 1ae circa faſſiones per patrem de indiviſorum filiorum portionibus factas hodie jam in uſu non ſit, pater nec fructus aviticorum ſupſternere debet. Denique ſi obligativo modo loqueretur 53: 1ae, vix admiſiſſet patri vel in caſibus coactae diviſionis acquiſita ſua diviſioni ſubtrahere, ſi ibi admiſit, etiam in aliis caſibus admiſit pro arbitrio patris, quia etiam praeter illos caſus legales poteſt pater cauſas habere, ut cum filio ita male contentus ſit, extraneum prae filio magis ſe diligere debere putet, etiamſi in aliis caſibus coactam diviſionem fieri non poſſe concederetur.

7. Perſonae a Tutela liberatae non ſtatim poſſunt de rebus ſuis inter vivos valide diſponere, ut

ſupra diximis. Verum diſpoſitionem mortis cauſa, id eſt: teſtámentum valide faciunt, niſi collateralibus, vel Fiſco, ut ſupra vidimus, praejudicet.

8. Uxor coloni, vel civis de medietate coacquiſitorum etiam vivo marito diſponere poteſt, et maritus ejus aeque de medietate tantum viva uxore. 3ae 29. Nobilis de toto, poteſt, uxor illius nec de medietate poteſt vivo marito Niſi Bona uxoris fuerint radix acquiſitionis, et maritus ante matrimonium nihil habuit, et uxoris nomen acquiſitionalibus inſertum ſit. De liberis tacet lex, verum cum ſucceſſionem illorum ita regulavit, uti Nobilium, cenſetur etiam diſpoſitionem ipſorum ita regulaſſe. Si mulier ſeu qua vidua, ſeu qua tutrix Bonis mariti immaneat, et tam ex illis, quam ex propriis Bonis acquiſitiones faciat, nonniſi de medietate poterit diſponere, alia medietas utpote ex Bonis mariti aviticis proveniens ad maſſam Bonorum maritalium adjungitur.

9. In defectu fundi apud haeredem etiam Legatarii tenentur ad debita legantis a proportione legatae rei concurre. 81: 1ae 105: 1647. Succeſſio vadit cum onere.

10. Si quis totam ſuam ſubſtantiam uni vel pluribus in genere relinquat, etiam illa, quae poſt teſtamentum acquiſivit, illos concernent. Si vero Legatariis ſpecificas et determinatas ſummas, vel res reliquit, licet totam, quam tunc habuit; ſubſtantiam legatis exhauſerit, tamen ſi quid poſt teſtamentum acquiret, id ad Legatarios non pertinebit, verum in iis ſucceſſio ab inteſtato locum habebit.

Proceſſus ex materia teſtamentorum ſunt:

Pri-

Primus. Ad invalidationem testamenti ex Defectu solemnitatis internae. Quoad testamenta Nobilium, et liberorum defluit coram Tabula Regia. Quoad testamenta civium vero coram Magistratu civico; quoad testamenta colonorum coram sede Dominali. Ob alienationem Bonorum nobilitarium immobilium fundatur in 59: 60. 61. 1ae. Ob aliorum vero Bonorum aviticorum sive mobilium, sive immobilium in 49: 1723. Probari debet praejudicium; et laesio magna pro quantitate Bonorum (quia praetor minima non curat) eum in finem probari debet Bona avitica fuisse. Hoc probabitur per divisionales, vel per testes. Movetur hic Processus per fratres, vel filios, quos successio ab intestato respicit, nisi facto successive testamentum approbaverint v. gr. secundum illud diviserint, et ratas suas acceptaverint absque contradictione, et reservata. 69: 1ae 72: 1ae. In Processu hoc ante actoratum stabilitum debet Incattus testamentum producere, quia inde edocebit actor laesionem.

Secundus. Ad invalidationem ex defectu solemnitatis externae, aut ex circumventione et dolo. Quoad civium testamenta, defluit coram Magistratu civico, quoad colonorum testamenta, coram sede Dominali 25: 2ae quoad Nobilium, et liberorum vero S. sede Dioecesana 27: 1715. 15. 1647. 31: 1648.

Tertius. Ad implementum testamenti. Movetur potissimum per fratres, cum nempe pater accomodationem fecit inter filios, et aliqui illi stare nolunt. Defluit coram Tabula Districtuali 715: 28.

Et licet avitica etiam involuta sint, et improportionate divisa, tamen Tabula Districtualis adjudicat implementum secundum literam, quia illi non competit invalidandi facultas, sed qui laesum se putat, agat foro Tabulari, imo si talis sententia apelletur, Tabula Regia tamen illo instituto non invalidabit, quia quando apellatum Processum revidit, non excedit, primae instantiae fori Activitatem. Sic: Dos excessiva potest invalidari foro, et instituto Tabulari, tamen sententiam per forum Pedaneum ad desumtionem illius latam potest approbare Tabula Regia, et illo instituto non invalidat. Sic Decisio Curialis licet contraria hoc dicat, quod implementum testamenti de acquisitis dispopentis tantum ita adjudicatur, si Bona avitica alienata prius redintegrentur, quod quidem cum priori sententia conciliare posse videtur, ex eo quod redintegrationis Judex sit Pedaneum forum, non item invalidationis.

Quartus. Ad desumtionem rerum legatarum. Movetur per Legatarios contra haeredem, vel si ille non adsit, contra testamenti Executorem. Actio fundatur in 126: 647. Defluit coram Judice successionis, id est: coram Judlium, vel Vice-Comite, aut Tabula Districtuali.

Quintus. Executor testamenti testamento constitutus potest movere Processum contra illos, qui res defuncti detinent, pro ratione Bonorum coram Judice Processus Successionalis Imo potest etiam contra, haeredem ad revelationem Literalium instrumentorum, ex quibus scire possit, quae Bona sunt avitica, quae acquisita.

Sex-

Sextus. Si testamentum est nullum ex causis supra dictis. v. gr. Frater unus portiones fratrum indivisorum alienavit etc. Processus successionalis movetur, et vi 52: 2ae accessorie testamentum seponi petitur, et seponetur, si prius principalis petitio doceatur, et tandem, nullitas testamenti prodeat. Si clarus sit defectus solemnitatis externae, aut dolus in testamento clare appareat, etiam potest successionali Processu accessorie seponi, vel in implementali exceptio nullitatis obverti, et sepositio urgeri.

Si ex testamento aliquae particularitates emaneant, potest suppleri Codicillo, qui est testamentum minus solemne. Est vel scriptus, vel nuncupativus, ad utrumque tres testes sufficiunt, 715: 27. verum si sit scriptus, et testator scripturae ignarus sit, quartus requiritur. Ceterum eadem observanda sunt, quae de testamento. Codicilli possunt esse etiam plures.

CAPUT IX.

Successio ab Intestato.

Habet locum tunc, si testamentum non est factum, vel factum quidem est, sed non rite, adeoque ob defectum solemnitatis seu externae, seu internae redit casus intestati.

Primo Descendentibus competit, de quibus observandum:

1. Descendentes legitimi, et natureles (quo etiam legitimati referuntur) si fuerint carnales simul, et

et uterini, id est: eodem patre, et eadem matre nati, in omnibus Bonis maternis, et paternis aequaliter succedunt, sive sint ante mortem patris nati, sive posthumi, imo conceptae proles etiam semper eadem Jura habent, quae natae, ubi de favore ipsarum agitur, si ab humatione viri intra 10. menses natae sunt 60. 2ae.

2. Si Bona solum sexum masculinum concernant, in illis faeminae non succedunt.

3. Si proles sint carnales tantum, id est: eodem patre, sed diversa matre genitae, vel uterinae tantum, id est: eadem matre, sed diverso patre genitae, tunc maternis cedunt materna, paterna paternis.

4. Descendentes primi gradus succedunt in capita, id est, in tot partes dividuntur Bona, quod personae sunt. Descendentes ulteriorum graduum succedunt in stirpes, id est: si ex tribus fratribus unus praemortuus reliquit tres proles; hae tres proles unam portionem accipiunt, quam nempe stirps ipsarum accepisset. Pater literas acquisitionales super Bonis cum prima uxore Jure uxoreo acquisitis factas, si in praejudicium prolium primi matrimonii mutet; tamen secundum acquisitionales illas fit successio, quin et inter patrem et filios divisio in iisdem Bonis et fructibus eorum 659: 36.

Proles per Principem legitimatae in illis succedunt, in quibus Fiscus succederet. Si legitimae, et naturales adsint, in aviticis non succedunt, in acquisitis vero succedunt, si vivus pater curavit illas legitimari, quia per id voluntatem suam satis

de-

declaravit. Atqui in acquisitis secundum voluntatem ejus succeditur.

Proles Legitimae tantum, id est adoptivae, si consensus Regius adsit, in omnibus excludunt Fiscum. Verum si proles legitimae, et naturales adsint, in aviticis non succedunt adoptivae. In acquisitis autem possunt succedere ex ratione prius dicta. Parentibus suis legitimis, et naturalibus non obstante per alterum facta adoptione succedunt.

Proles Naturales tantum patri non succedunt 62. sae. ab intestato, matri vero videntur succedere in in illis, de quibus disponere potuisset.

Colonorum filiae tempore mortis patris nondum emaritatae, in omnibus remansis bonis aequaliter dividunt cum filiis in capita. Si vero ante mortem patris emaritatae sunt, rata ex mobilibus aviticis ex integro debuit ipsis extradari, si non est extradata, illam etiam post mortem patris potuerunt praetendere, ex mobilibus vero per patrem acquisitis nonnisi honestam, et condecentem emaritationem possunt praetendere, et si emaritatae sunt, post mortem patris ex acquisitis mobilibus nihil possunt a fratribus praetendere. 29. 3ae.

Secundo. Ascendentibus, si non adsunt descendentes, ascendentes succedunt ab intestato, et quidem in aviticis illa linea, per quam, et a qua bona ad defunctum devoluta sunt, v. gr. in paternis pater, vel illo non existente avus, vel avia paterni; in maternis mater, vel avus vel avia materni. Si ascendentes non adsunt, collaterales. Si nec illi adsunt, Fiscus.

2. In adquisitis si et pater, et mater adsint, uterque succedunt in capita. Si una tantum adsit persona in proximo gradu. v. gr. Solus pater, vel sola mater totum illa una persona capit, licet in ulteriori, id est secundo gradu adsint avus, vel avia, vel paterni, vel materni.

3. Si in primo gradu nemo adsit, id est nec pater nec mater, Ascendentes secundi gradus succedunt in lineas, id est medietas pertinebit ad lineam patris, alia medietas ad lineam matris, licet in alterutra linea tantum una persona sit, v. gr. avus paternus solus, si avia paterna non adsit; capit medietatem, aliam medietatem vero avus, et avia materni. Acquisita donationalia ad ascendentes non spectant. Parentatio, et filiatio est correlata, et mutua, ergo et successio, ergo illis descendentibus, quos diximus succedere parentibus suis, etiam ascendentes succedunt, nisi quod pater adoptans idest legitimus tantum, non succedat filio suo legitimo tantum, in aviticis illis non, quia pertinent ad successionem patris ejus legitimi, et naturalis, aut collateralium vel Fisci, in acquisitis non, quia ex 53: 1ae in illis quoque pater legitimus, et naturalis succedet, quia naturalis relatio non cessat per adoptionem nisi adoptio fuerit perfecta, et post adoptionem acquisiverit. Porro per id, quod quis alterum adoptat, non sibi, verum illi quaerit, et procurat beneficium.

Tertio. Collateralibus, in defectu nempe descendentium, et ascendentium. Fundamentum successionis collateralium in aviticis, est sanguinis propago, et mutua fraternalis divisio-

ſio, id eſt, quod illa bona, in quibus ſuccedere volunt collaterales illi lineae, quae defecit in diviſione cum ſuperſtitibus collateralibus, aut illorum antenatis peracta, obvenerunt. 47: 1ae. In acquiſitis vero, hoc eſt fundamentum illius collateralis ſucceſſionis, quod tunc acquiſita ſunt per defunctum, cum adhuc avitica non erant diviſa 43: 1ae. 1723: 47. ſive ingreſſa ſint diviſionem ſubſecutam, ſive non. Hic obſervandum 1) Quod in illis bonis ſive mobilia ſive immobilia ſint, in quibus ſemel diviſio fraternalis interceſſit, uni ex condividentibus, licet poſt mille annos deficienti alter condividens, vel illius ſucceſſores ſuccedant, et quidem illi, qui proximi fuerant ad deficientem, v. gr. dividunt duo fratres, poſtea unus deficit, ſuperſtes frater, vel ſi bona utrumque ſexum concernant, etiam ſoror ſuccedet, ſi uterque deficiant, tunc illi ſuccedent qui condeſcendunt ab illo, cum quo pater ipſorum in iisdem bonis diviſit. Si et illi defecerint, tunc illius poſteri ſuccedent, cum quo avus ipſorum in iisdem bonis diviſit, et ſic porro, donec ad primam diviſionem deveniatur, ſi nec ibi quisquam adſit, tunc Fiſcus ſuccedet. Si frater condividens deficit, poſſunt collaterales ſuperſtites bona talia mutuae ſucceſſioni obnoxia via facti occupare, ſi nempe illa vacua deprehendant, ſecus proceſſu mediante, de quo infra.

Succeſſio collateralium nonniſi in illis bonis eſt quoad, avitica, in quibus diviſio fraternalis interceſſit, ergo ubi diviſio fraternalis non adfuit, ibi non eſt collateralis ſucceſſio v. gr. duo Donatarii, vel plures impetrant unum corpus, dividunt, unus deficit, non reliqui ſuccedent, verum

Fiſcus. Si ſic plures quis adoptaverit, vel praefecerit, ſibi invicem non ſuccedent, quia non virtute ſanguinis, verum virtute Donationis poſſident. Sic ſi Legatarii ſecundum teſtamentum dividant, omnes ſunt acquiſitores, et ſibi invicem non ſuccedent licet ſangvinis nexum habeant, quia non qua fratres, et non vi ſangvinis diviſerunt, verum qua Legatarii, et vi teſtamenti. Sic acquirit quis 10. Seſſiones, uni filiorum legat duas, alteri quatuor, tertio unam, quarto tres. Tunc omnes quatuor ſunt acquiſitores; et ſi quis ex illis quatuor deficiat, reliqui non ſuccedent, verum Fiſcus; quia non fraternalis diviſio fuit. Sic acquirit quis decem mille florenos, teſtamento diſponit inter tres filios ſic: ut uni dentur mille floreni, reliqui novem dividantur in tres aequales portiones, tunc ille unus in mille florenis erit acquiſitor, et de illis poterit diſponere, et in illis non ſuccedent, reliqui duo fratres, verum quoad 3 mille florenos ſibi invicem mutuo ſuccedent ex defectu, et illi 3 mille Floreni erunt avitica pecunia, in illis fuit mutua fraternalis diviſio, adeoque etiam ſucceſſio locum habebit. Hinc tantum in illis bonis eſt mutua ſucceſſio, in quibus vel ab inteſtato, adeoque aequaliter ſucceſſerunt fratres, vel vero penes teſtamentum quatenus illud naturalem, et legalem ſucceſſionem ab inteſtato non mutavit, quia in quantum illam mutavit, in tantum non eſt fraternalis diviſio, et non evadunt bona avitica, niſi teſtamento aliter ordinatum fuerit, ſed hoc ex ſtricto Jure, favorabilius tamen eſt, et aequius in dictis caſibus pro fratribus judicare, quia vix fuit illa intentio

talis

talis acquisitoris, et inaequaliter legantis, ut post defectum unius reliqui excludantur ab intestato.

Hactenus de successione collateralium in aviticis, quae nempe a communibus defuncti, et superstitum collateralium antenatis promanarunt. Praeterea succedunt fratres colaterales sibi invicem in talibus acquisitis.

1. Quae unus fratrum ex fructibus bonorum indivisorum aviticorum acquisivit, qui talis occasione divisionis aviticorum divisioni substernere debuit, adeoque id quod ipsi tunc ex illis obtigit, ob mutuam fraternalem divisionem mutuae successioni obnoxium factum est, ut alia avitica, 723: 47.

2. In talibus, quae unus fratrum non quidem ex fructibus bonorum aviticorum, sed tamen in statu indiviso qualicunque modo, et a quocunque acquisivit, licet nomina fratrum, vel sororum (si nempe bona, in quibus indivisus fuit, utrumque sexum concernebant) non inseruerit acquisitionalibus, et licet illa non substraverit divisioni, uti nec tenebatur substernere 45: 1723. 43: 1ae. §5. tamen in talibus ab intestato praecedent Fiscum fratres.

3. In acquisitis vero post divisionem collaterales non succedunt, nisi nomina illorum acquisitionalibus inserta sint. 1ae: 50. Aliqui dicunt etiam post divisionem ex fructibus bonorum aviticorum acquisita fratres concernere ex 43: 1ae. 47. 1723. Sed hoc in citatis legibus non habetur, ergo vel Fisco, vel uxori competit in illis successio, prout dicetur. Si tamen acquisita illa meliorando, aut aedificando investivit frater aviticis, tunc satis declaravit suam voluntatem, atque accessorium sequetur

suum

suum principale. Si vero pignora avitica reluendo investivit pecuniam acquisitam, illa viduae deponi debebit.

Ecclesiastici praeter Praelatos possunt testamenta condere de omnibus suis acquisitis. Si non condiderint, 1/3 cedit Ecclesiae, cui serviverunt, 1/3 pauperibus, 1/3 vero collateralibus usque decimum gradum, si nullus collateralis intra decimum gradum adsit, Fisco. Ecclesiasticorum ad fundum studiorum aplicatorum aeque eadem est ratio, nisi quod 1/3 fundo studiorum, una tertia vero pauperibus studiosis cedat. Successio ab intestato est —

Quarto. Vidualis, quae praeter Jus viduale competit viduae tali, quae remansit cum prolibus. Haec Successio competit viduae Titulo proprietatis, et est tantum ab intestato, quia maritus potuisset suam uxorem successione viduali testamento suo privare, Jus viduale, quod supra descripsimus, competit viduae Titulo temporaneo donec nempe vivit, vel nupserit, et illud Jus nec testamento potuit viduae auferri, sed tantum regulari.

Si quis in statu indiviso cum fratribus, vel sororibus suis mortuus est, relicta vidua et prolibus, tunc tam avitica, quam etiam in statu indivisio ex fructibus bonorum acquisita ita dividuntur, ac si omnes fratres viverunt, et quod fratri mortuo obtigisset inter proles ejus, et viduam divididitur, non ex fructibus bonorum aviticorum, per mortuum acquisita vero non dividuntur, sed manent prolibus, et viduae defuncti. Si vero in statu jam diviso moriatur quis relicta vidua, et prolibus, collaterales nihil accipiunt, sed totum manet viduae et prolibus. Nam —

1. Avitica tam mobilia, quam immobilia solis prolibus manent, ut etiam immobilia perennali Titulo per maritum, absque insertione nominis uxoris acquisita 102: rae imo nec in pecunia talibus bonis investita licet, coacquisita participabit vidua, quia in illa pecunia successio illius pendebat a marito, jam eo ipso, quod talibus bonis investivit, uxorem ex ea exclusisse censeri potest. Quae quidem ratio; tunc etiam militat, si proles non adsint, et maritus mixta Donatione absque nomine conjugis inserto acquisita bona relinquens ab intestato decedat; tamen Fisco in pecunia investita uxor praeferenda videtur.

2. Cum insertione nominis perennaliter acquisita vero in medietate cedunt soli viduae ab opposito sensu 102: rae 48: rae in alia vero medietate dividit cum prolibus in capita, quia Decisio Curialis medietatem solis prolibus uterinis, aliam vero medietatem tam illis, quam per coacquisitorem maritum ex priori uxore susceptis communiter addixit.

3. Pignora per maritum quandocunque acquisita aeque dividet cum prolibus in capita 102: rae. Si vero cum insertione nominis ejus acquisita sunt, medietatem illorum capit, ut supra.

4. Potiores mariti vestes equos, et currum, quibus maritus vehebatur, annulum sponsalem sola vidua; libros vero, et arma, annulum signatorium, apparatus sonipedum solae proles exclusa vidua auferunt.

5. In reliquis mobilibus quandocunque per maritum acquisitis dividit vidua cum prolibus in capita,

pita, hoc notato, quod equi gregales, seu equatium (Ménes) tantum ita dividitur, si mariti acquisitum sit, et quinquagenarium numerum non attingant quia si 50 vel plures sint, solis prolibus cedunt 99. 101: 1ae.

6. Si ante mortem mariti filii ejus fuerunt a patre divisi, et filiae emaritatae, illi et illae cum vidua in mobilibus non divident. 99: 1ae. sed totum erit viduae, nempe mobilia acquisita. Successio vidualis marito non competit, uti nec Jus viduale.

Omnia hic recensita Jura ad viduam Titulo proprietatis transeunt, sive sit noverca, sive mater, et erit in illis acquisitrix, proles illius ab intestato succedent in illis, aut si proles non relinquat, aus maritus, v. parentes si nec proles, nec maritus, nec parentes adsit, Fiscus. Ad colaterales mariti, aut privignos viduae non devolventur, quia non est mutua fraternalis divisio, aut sanguinis communio, imo licet cum propriis prolibus dividat (quod potest si vult) tamen proles illius non eam ob causam succedent in illis, quasi divisionem ingressa essent, verum quia mater ab intestato decessit, nec fuit divisio in sensu legis, verum tantum sensu grammaticali, quia divisio in sensu legali est tantum inter sanguinem, atqui hic vidua non virtute sanguinis divisit, verum virtute legis, quia non est haeres propagativa, verum tantum legalis. Ergo nec mutua successio est inter talem viduam, illos, cum quibus divisit. Verum inter fratres, vel sorores, quae cum vidua ita diviserunt, erit mutua successio, et bona apud ipsos divisionem Fraternalem facta sunt avitica.

Etiam

Etiam colonorum viduabus debet dari Jus viduale; si bona suppetant, per illos, qui colono in aviticis ejus successerunt sive filii, sive fratres, sive Dominus terrestris sit, uti etiam dos contractualis, (quia dotem legalem non habent ignobilium viduae) verum dos illa praeferenter ex acquisitis exolvi debet, si illa adsint.

Successio vidualis vero illarum ita pergit: coacquisitorum medietas semper spectat ad viduam, et illa nec testamento mariti potest fraudari, in aliis vero, idest ante matrimonium acquisitis, uti et in alia medietate coacquisitorum, dividit cum privignis, vel prolibus, et haec ideo, quia generales leges Regni etiam ad colonos et cives extenduntur, in quantum ad illos applicari possunt, nisi expresse contrarium de illis disponatur.

Successio ab inteſtato eſt.

Quinto. Conjugalis, quae habet locum in defectu prolium. Mutua est inter conjuges, id est: tam maritus uxori, quam uxor marito succedit 11: 1687. et quidem uxor praeterea Jure viduali retinere potest Bana maritalia, in quibus non succedit. Conjugalis successio est.

1. In Bonis defuncti, vel defunctae conjugis acquisitis mobilibus 11: 1687. si vero ascendentes, vel collaterales defuncti, vel defunctae non adsint, etiam in aviticis mobilibus 98: 1ae. (imo et immobilibus extraordinariis, quae pecuniam tantum repraesentant) suppellex levioris valoris, licet avitica, vel aviticis pecuniis emta, conjugi manet, licet adsint collaterales.

2.

2. In acquisitis pignoratitiis sive ante, sive durante conjugio sint acquisita 1ae: 102. Verum inscriptionalia pro fidelibus servitiis, licet temporanea, nec non temporaneo Jure per Fiscum collata, v. gr. contractu Camerali etiam ante evolutionem annorum debet vidua exoluta remittere, si maritus proles non relinquat, quia non sunt formalia pignora, in qualibus ad tempus evolutionis conditionum, mutua inter conjuges successio est.

3. In perennali Titulo cum nomine conjugis superstitis inserto acquisitis, quia decedentis rata accrescit superstiti. 38: 1ae. imo, licet nomen conjugis superstitis non sit insertum, tamen conjux succedit prae Fisco, et collateralibus, quia quod nomen non sit insertum, hoc in gratiam prolium est, quod vero nefors Bona ante divisionem essent acquisita, hoc collaterales non contra conjugem, verum contra Fiscum juvat. Talia extradonationalia, velut mobilibus aequiparanda, Tabula Regia conjugi, Septemviralis vero parenti adjudicavit. Conjugalis successio etiam est cum Jure proprietatis, et in talibus conjux superstes acquisitor fit, nec devolvuntur Bona talia ad collaterales conjugis illius, cui successum est, verum ad illius conjugis successores, cui successit, vel si illi non adsint, ad Fiscum.

Conjugalis Successio etiam inter colonos locum habet, et rata morientis superstiti conjugi accrescit 1ae. 29. ex coacquisitis, imo etiam ante matrimonium acquisita in superstitem conjugem, avi-

avitica vero vel ad collaterales defuncti, vel si illi non adsint, pariter ad conjugem devolventur.

Successio conjugalis, et vidualis etiam ita locum habet, si alteruter conjugum, statim post copulam spiritualem moriatur. Quia est matrimonium ratum, licet non sit consumatum. Verum antequam copulati sint conjuges, non habet locum, res tamen per sponsum pro subarhatione, aut causa futurarum nuptiarum datae non possunt per sponsum a parentibus defunctae ante copulam sponsae repeti. 100.

Successio ab Intestato est:

Sexto. Fisci Regii, quia in genere illum concernit successio, ubicunque legalis alter successor secundum hactenus recensita non adest xae: 10. In specie vero:

1. In Donationalibus ille succedit deficiente, vel notam incurrente Donatario, et ubicunque reperiat Fiscus Bona talia, potest illa auferre, nisi consensus Regius alienationi superinductus sit. 26: 1715. et quidem Bona Donatione mediante utrumque sexum concernentia, post exstinctum sexum quoque faemineum ad Fiscum redibunt.

2. In Extradonationalibus aviticis praecedit conjux Fiscum, eo magis in perennaliter licet absque insertione nominis superstitis conjugis acquisitis.

3. Fratres tantum in post divisionem acquisitis praecedit Fiscus.

4. Ecclesiastico beneficato, in Ecclesiasticis, vel literariis applicato succedit in una tertia, si nemo intra decimum gradum ex consanguineis se insinuet.

5. De fassionibus cum, vel sine Clausula; nullus Jus etc. dictum supra in capite de Donatione.

6. Libertinis in sua libertate permanentibus in omnibus succedit, prae Domino, etiam in illis, quae fundo Dominali investita relinqunt, seu avitica, seu acquisita, verum fundus est semper Domini terrestris. Colonis non succedit Fiscus, ut nec civibus, quia illis semper Dominus terrestris, his vero ex defectu Civitatas succedit, ex nota Fiscus 715: 62. 679. 16. Imo etiam Nobilibus semet JurisdictioniDominali ita uti L. 1. Cap. 6. de Libertinis dictum erat, subjicientibus tam ex defectu, quam ex nota Dominus terrestris succedit, eo magis ignobilibus, aut dubiae Nobilitatis hominibus in fundo Dominali, et sub Jurisdictione Dominali, licet in Oppido privilegiato existentibus. Ignobili in oppidis privilegiatis nulli Domino terrestri subjectis v. gr. Hajdonicalibus, vel Cumanicalibus habitanti in omnibus rebus communitas, Nobili vero in fundis quidem, et solo infixis aeque communitas, in rebus vero mobilibus Fiscus Regius succedit.

7. Dicitur passim: quod Fiscus in virtualibus non succedat, alii hoc sic volunt dicere, quod Fiscus tantum in corpore Bonorum deficientis, vel notorii, non vero in Jura illius succedat, alii idem sic dicunt: quod tantum in illis succedat Fiscus ex Defectu, vel nota, quae deficiens, vel notorius actu possedit tempore defectus, vel notae. Et haec omnia ita dicuntur, ac si prorsus idem significarent, cum tamen longe a se invicem diversa sint, deducuntur

tur vero ex Titulo 27, 1ae qui dicit quod: „Si „actor ante litem terminatam moriatur, bona „illa intuitu quorum litigabat, nec Princeps sibi „vindicare, nec alteri conferre potest, quia tan„tum in illis est Princeps illius succeſſor, quae „poſſedit, aut poſſidere potuit (quia non est pro„gagativus haeres) non vero in illis, quae Juri „suo nondum appropriavit, nisi illa apud alterum „Titulo reluibili sint; talia potest Fiscus vel „sibi vindicare, vel alteri conferre.“ Ut haec quantum fieri potest inelligantur; notanda sunt sequentia.

Quod Fiscus in virtualibus non succedat, est certum. Virtualia Jura vocantur illa, quae post mortem alterius ad aliquem devolventur: Sic filius virtualia Jura habet in bonis patris, vel matris. Sic frater divisus virtualem ſucceſſionem habet in bonis alterius fratris, cum quo divisit. Hinc si filius indivisus notam incurrat, vel moriatur, non potest Fiscus ratam illius a parte petere, verum post mortem patris reliquis illius filiis manebit totum. Imo licet divisus moriatur, tamen rata illius ad patrem, vel matrem devolvetur. Si vero notam incurrat, Fiscus aufert, verum jam tunc non virtualem ſucceſſionem habuit, quia actu poſſedit illa bona, quae ipsi divisione mediante obtigerant. In illis habuit virtualitatem, quae apud patrem vel matrem manserant. Sic si frater sive divisus, sive indivisus moriatur, in virtualitate illius Fiscus non succedet, quia illa est apud fratres nec in actualitate, id est, quod jam divisus habuit, quia illa ad fratres devolventur, ut supra dictum. Si indivisus notam in-

currat, illius portionem exscindit Fiscus, et aufert, aeque ita ac si divisus notam incurrisset. Quia licet indivisus fuit, tamen Dominium jam habuit simultaneum, sed virtualitatem illius non aufert, quia illa a defectu reliquorum fratrum pendebat, et uno ex illis postea deficiente, totum superstiti manet. Et haec de virtualitate stricte sumta, relate vero ad id, quod actu non possedit, sed ut possideat, non pendebat ab aliquo defectu, verum tantum a lite, observandum, quod licet notorius frater ad novam divisionem agere potuisset, vel actu egisset. Sed litem non terminasset, tamen ex nota illius Fiscus non potest a fratribus illius quidquam petere, et dicere, quod notorio non extradederint totam suam ratam, verum contentus esse debebit eo, quod actu apud notorium reperit. Quia non est propagativus haeres. Praeterea jam alibi diximus, quod nec ex nota, nec ex defectu succedat Fiscus Donatario, qui liti acquisitoriae, quales sunt ad dandam rationem contradictionis, et ex puritate statutionis immortuus defecit, et possessorium bonorum non est ingressus, (verum talia bona ex anteriori defectu, vel nota possunt iterum impetrari. Vel vero, quod mihi probabilius videtur, ex illius defectu, qui se statuit, licet possessorium non adivit, verum tunc etiam Titulus impetrationis illius prioris Donatarii debebit per posteriorem Donatarium probari) non succedit inquam Fiscus tali liti acquisitoriae immorienti, prout nec in Implementalibus, vel poenalibus quia tales praetensiones praecise pertinent ad Jura sanguinis, Fiscus vero, non est propagativus haeres. Hic itaque verum est

Fi-

Fiscum non in Jura, verum tantum in corpus bonorum actualium succedere. Talia bona autem, quae deficientis, vel notorii antenati firmo Donatario Jure ingressi possederunt, et successive qualitercunque per illos ab alienata sunt, licet notorius, vel deficiens non possederit actu, tamen Fiscus successionali Processu ex defectu vel nota sibi vindicare, vel alteri conferre poterit, et hoc quidem in defectu Donatarii simpliciter verum est, verum in nota observandum, quod si collaterales, vel filii notorii ante notam nati adsint, intalibus praetensionibus notorii non Fiscus, verum illi succedent. Quae bona autem praecise ex solius notorii rata sunt impignorata, Fiscus vel ex integro, vel vero, si proles innocentes habeat notorius, in parte sibi vindicabit. Si vero ex indivisis bonis sit pignus celebratum, tunc poterit Fiscus ratam notorii auferre, si pignus ad aliorum fratrum manus ante notam non rediverit. In extradonationalibus cum Clausula Nil Juris, occasione notae, vel defectus actu non possessis succedit Fiscus, si illa temporaneo titulo sunt abalienata. Salvo tamen Jure alterius in iisdem permanente.

Si fratres ad recipiendam rationem contradictionis agant contra sororem se praefici curantem, et liti immoriantur, potest Fiscus illis ex defectu ipsorum succedere, vel alteri conferre. Si deficiens vel notorius liti immortuus firmum Jus ad bona litigiosa non habuit, potest tamen Fiscus Jus Regium, si quod aliter inesset, quaerere, aut illud alteri conferre. Et haec ad intelligendum illum titulum dicta sunto.

De

De omnibus hactenus recensitis successionibus observandum in genere Quod successio cum onere vadat 82: 1ae 105: 1647. Id est qui succedit in bonis, succedit in onere, qualia onera sunt v. gr. Jus viduale, Dos, Jus Capillare, et Jus, ae que alienum. Sed in onere nonnisi ad vires successionis succeditur. In specie de Fisco notandum, quod si ex defectu masculorum faeminae in pecunia investita succedant, et mares debita reliquerunt, atque ultimus deficiens acquisita reliquit, ex illis debet prius (ut semper) onus depurari, si illa non adsunt, ex summa illa depurantur, quam faeminis Fiscus praestare deberet, si nec illa sufficiat, Fiscus onus tolerare, et ex suo solvere debet, non tamen ultra valorem bonorum.

Cum proles cum vidua, vel Parentes, aut Fratres, et Fiscus, cum conjuge, vel Fratres aut parentes, aut conjux cum Fisco, (v. gr. Donationalia acquisita sint) succedunt: tunc licet aviticа immobilia sint specialiter obligata pro debitis defuncti, tamen illa non possunt in executionem summi, nisi in illa sit investita summa levata: Si vero acquisita quaedam immobilia sunt specialiter obligata, illa debent summi in executionem. Si nulla est specialis hypotheca, tunc illa debent, in quae summa levata investita est. Si id non possit doceri, tunc licet ex lege pro debitis primo quoque immobilia deberent exequi, tamen favorabilius videtur, primo ex acquisitis mobilibus, tandem ex aviticis mobilibus, mox ex acquisitis immobilibus demum ex aviticis depurare.

Pro-

Processus ex materia Successionis enascitur:

Primo successionalis. Eo differt a divisionali Processu, quod divisionalis, vel successionali-divisionali, fit inter illos, qui sanguinis et Juris communionem habentes in bonis actioni substratis dividere debent, contra talem vero si sit, qui vel prorsus non habet Jus ad bona liti substrata, vel habet quidem, sed non virtute sanguinis, verum legis, (v. gr. noverca, vel mater, et privigni) vel est quidem sanguis, verum remotior, quam ut ex successione participet, contra talem inquam vocatur mere successionalis. Actio fundatur per descendentes in 40. 41. 42. 53: 1ae. 62: 2ae. Per Ascendentes in 1ae: 53. Per viduam in 1ae: 98. 99. 101. 48. 102. Per conjugem in 48: 98. 99. 101. 102. et praecipue per maritum in 11: 1687. 26: 1715. Si collateralis quaerat successionem sui deficientis collateralis, fundat in 47; 67: 1ae et hoc quoad avitica. Quoad bona vero ex fructibus bonorum indivisorum acquisita in 47: 1773. uti etiam quoad talia, quae non ex fructibus quidem aviticorum, sed tamen ante divisionem acquisivit dificiens. Quae in carentia prolium, et ab intestato, non Fiscum, verum collaterales concernunt. Processus hic ordinarie decurrit coram Foro Pedaneo, nempe quoad successionem Nobilium, (vel libertinorum) usque ad vires, et valorem 200 florenorum coram Judice Nobilium, a 200 usque 3000 vel coram Judlium, vel coram Vice-Comite supra 3000 coram Vice-Comite. Si vero bona in pluribus Comitatibus jaceant, coram Tabula Districtuali. Si in pluribus districtibus jaceant, tunc

co-

coram illius Districtus Tabula, ubi caput, aut potioritas bonorum, vel residentia defuncti fuit. Quoad successionem civilem coram Magistratu, quoad successionem inter colonos vero coram sede Dominali.

Ad actoratum debet probari jus succedendi, v. gr. quod sit pater, vel filius, vel uxor, etc. vel vero condivisionalis. Meritum est in quantitate qualitate successionis, et quoad extraneos in nullitate tituli, quo Incattus possidet, probanda. Saepe juramentum Revelatorium habet locum quoad bona mobilia, quae facile occultari possunt per illum, qui bona apprehendit, vel in bonis mansit. Si pater impetatur per filios, vel filias suas quoad res mobiles ipsos, vel ipsas concernentes, pater non corporale juramentum deponere solet, verum tantum ad fidem christianam asseverat, et revelat.

Successionalis Processus, si sit successio recens, appellatur semper extra Dominium, si vero sit antiqua, appellatur intra Dominium 28 : 1729. Ergo supponit lex antiquae successionis Processum etiam coram foro Pedaneo moveri posse.

Antiqua successio vocatur illa 67 : in qua ubi actor et ille, quem collateralem suum et condivisionalem esse praetendit, et cujus successionem quaerit; solo tantum nomine fratres esse videntur, ob antiquitatem temporis, quo divisio inter ipsos intercessisse, praetenditur. Verum licet divisio non ita pridem intercesserit, atque brevi post peractam divisionem defectus alterutrius condividentis evenerit, tamen post 32 annos a defectu evolutos, antiqua successio evadet. Antiquae successionis Processus vel est contra sanguinem, vel est contra extraneum

neum

nem a sanguine, aut Fiscum. Si est contra sanguinem, id est talem condivisionalem; qui bona a communi antenato devoluta, et adhuc nunquam divisa, vel divisa quidem, verum ex defectu unius condividentis iterum divisioni obnoxia detinet, et non vult dividere, contra talem inquam potest coram foro Pedaneo moveri, (nisi aliae involutiones super bonis evenerint quae discussionem Tabularem requirunt) quia contra sanguinem nemo tenetur Jus probare, et radicales acquisitionales literas producere, verum tantum id probare, quod bona a communi antenato ad Incattum devenerint, vel talia sint, in quibus deficientis actoris, et Incatti antenati diviserunt. Hoc vero potest coram foro Pedaneo discuti. Ergo 28: 1729. cum innuat antiquae successionis Processum coram foro Pedaneo moveri posse, talem intelligit, qui contra sanguinem movetur, et disponit: Quod si nexus sanguinis ob antiquitatem temporis dubius sit, intra Dominum appellatur. Verum si bona ex tali antiqua successione actorem concernentia apud Fiscum, vel extraneum sint, tunc quemadmodum ille, ex cujus defectu actor quaerit Juris Processus posset revindicare, ita ille qui deficientem suum in illis bonis condivisionalem fuisse dicit, aeque Juris Processu debet agere, cum ille titulum actionis seu acquisitionis suae in successione mera ponat, adeoque illum titulum, quo modernus possessor bona tenere praesumitur, evitare velit, dignum est, ut Juris probam praestet, (vel adminus Nullitatem Tituli probet) Juris enim proba omnes reliquos bonorum revindicandorum titulos in se complectitur, et sic antiquae successionis Pro-

cessus

cessus contra extraneum semper est Tabularis, et Juris edoctio requiritur. Tales successiones, etiam 67: 1ae ita tractari vult, ut casus defectus, jam vero in antiquo defectu Jus deficientis probari debet. Interim licet contra sanguinem Jus non debeat probari, tamen etiam contra illum antique successionis Processus coram Tabula Regia moveri solet, pariter ac contra extraneum successonalis ex Jure, de quo statim egimus, et in utroque Processu vi 52: 2ae involutiones in bonis interventae accessorie rescindi petuntur.

Secundus Processus est violentialis, movetur per illum, quem successio concernit contra talem, qui via facti occupata bona absque titulo detinet, qui alioquin vi 68: 1ae intra annum via facti potuisset ejici. Actio fundatur in 655: 56. §. 4.

Tertius Fisci, qui si successio, et defectus recens, et manifestus est, via facti succedit. Si antiquus est defectus, tunc via Juris, et quidem si 32 annos superavit defectus, vel tempus amissi per, deficientem possessori, Jus quoque deficientis debet probare (quia etiam fratres ut vidimus, in antiqua successione Jus debent probare) contra faeminas vero Jus privativum masculorum debet probare, et quidem proprio marte, nec potest illas in possessorio existentes ad producenda, et revelenda familiae literalia stringere. Verum fors in manifesto defectu, si faeminae nonnisi occasione defectus marium posuerunt se ad possessorium, potest Fiscus illas ad revelanda literalia cogere. Actionem fundat in 1ae 10. 715: 25. Si vero recens quidem est defectus, verum dubius,

bius, id est vel sexus faemineus, vel fratres praetensivi collaterales controvertunt Successionem Fisci, tunc ille movet Processum, qui est extra possessorium contra illum, qui se ad possessorium posuit. Fiscus ex 1ae. 10. 1715: 25. Collaterales vero ex 47, 67: 1ae. coram foro successionalis Processus. Sive vero sit Fiscus actor, sive Incattus, tamen congenerationales praetensi debent communionem Juris, et sanguinis probare cum deficiente. Qui in hoc Processu succubuit, potest coram Tabula Regia intra annum a defectu agere sive Fiscus, sive collaterales, et ibi iterum congenerationales debebunt Jus suum privilegiale docere, et qui ibi triumphaverit, illi adjudicabuntur bona cum fructibus intermedio litis tempore perceptis. Haec fusius describuntur in citato 25: 1715. quae tamen lex non observatur, cum Fiscus ex qualicunque, et cujuscunque sive Nobilis, sive libertini, sive civis defectu coram Tabula Regia agat, ut etiam collaterales contra ipsum; praeterea fratribus condivisionalitatem cum deficiente probantibus, non illis verum Fisco imponitur successionem suam Juris Processu quaerendi necessitas.

Quartus. Persona Religionem possidendorum bonorum capacem ingressa potest coram Judice successionis, id est vel coram Comitatensi Judice, vel Districtuali Tabula ad decimalitatem ratae ex aviticis immobilibus ipsum concernentis exscindendam procedere, fundando actionem in 71: 1715. ex acquisitis immobilibus nihil acquirit.

In Processu successionali expensae non currunt, id est per Incattum succumbentem non refun-

funduntur actoreae expensae, verum fructus refunduntur, si actor, et Incattus condivisionales sint, communique massae dividendae adjiciuntur, nisi sit antiqua successio, aut diversis obstaculis irretita, quia ibi habuit Incattus causam litigandi. Si successionalis Processus fit simul divisionalis, id est inter condividentes, tunc etiam expensae ex communi massa solvuntur, et per omnes aequaliter tolerari debent. Si tamen Incattus contumax fuerit, actoreas expensas refundere tenebitur. Si vero aedificia magna studio bona inonerandi, et sanguinem condivisionalem bonis arcendi posuerit, illa facile amittere potest.

CAPUT X.

De Fidei Commisso.

Omne id quod in successione ab intesto remansit, aequaliter dividitur, nisi sit fidei commissum. Fidei commissa in sensu lato sunt omnia avitica, quia non possunt alienari, nisi necessitas, vel rationabilitas svadeat. Verum hic agitur de fidei commisso in sensu stricto, id est de bonis talibus, quae primus acquisitor ita regulavit, ut absque divisione, alienatione, et inoneratione ad posteros masculos transmittantur. Qui hoc instituit, debet vere acquisitor esse in illis bonis, id est debet esse extra casum dilapidationis, vel alienationis bonorum aviticorum, quia tamdiu non est acquisitor, donec illa redintegret. Instituti solet fidei commissum vel in ipsa Donatione, qua

bona

bona conferuntur, vel faſſione, qua bona quis-emit, vel teſtamento. Primus acquiſitor etiam absque conſenſu Regio poteſt ita regulare bona, ut ſemper unus poſſideat, et non dividantur, et absque alienatione, et inoneratione ad poſteros tranſeant, (imo etiam teſtator poteſt Legatariis ſuis alios ſubſtituere, ad quos poſt mortem Legatarii ſine alienatione, et inoneratione bona tranſeant) verum tamen ſi faſſione, vel teſtamento inſtituatur illa regulatio, conſenſus, et confirmatio Principis neceſſaria eſt quidem, ſed quid operetur, non ſatis conſtat. Ut omne privilegium, ſic etiam confirmatio haec Salvo Jure, et aere alieno antea contracto debet fieri, adeoque in Comitatu, ubi ſita ſunt bona, imo et in aliis debet publicari tale Privilegium, ut Creditores vel alii quicunque contradicere poſſint, et ſuis Juribus invigilare, adeoque debita illius, qui tale fidei comiſſum regulat debent prius exolvi, vel alter ſufficiens fundus adeſſe debet illis exſolvendis. Finis fidei commiſſorum eſt conſervatio ſplendoris Familiae, hinc ex natura ſua ſolos mares concernunt talia bona, quia Familia in illis conſervatur. Imo nec quartalitium datur ex talibus bonis, Jus viduale tamen adjudicavit Curia in Majoratu Szirmaiano absque conſenſu Regio inſtituto, eo quod in teſtamento non fuerit expreſſe ſublatum. Fidei commiſſa etiam ex rebus mobilibus poſſunt inſtitui. Qui bona fidei commiſſa vi talis Regulationis poſſidet, ille non eſt illorum Dominus, ſed tantum uſu fructuarius, et tantum proventus pertinent ad ipſum. Hinc propter debita poſt inſtitutum fidei comiſſum contracta, aut propter ullos exceſſus

Ma-

alio quocunque titulo ad se pertraxerit, accessorialiter vi 52: 2ae reponetur illa alienatio per praedecessorem celebrata, et bona gratis delebunt remitti. Si tamen certum sit in utilitatem ipsorum bonorum esse investitam pecuniam: tunc refundi debebit, quod etiam de Ecclesiae bonis est intelligendum ex quasi contractu; quia nec Ecclesia potest cum damno alterius locupletari. Si vero non in Ecclesiae utilitates est conversum pretium bonorum, bona quidem Ecclesiae simpliciter debent restitui, verum emtor habet regressum ad venditorem.

CAPUT XI.

De Fratribus indivisis eorumque lucro, et Damno.

Olim quid quid unus fratrum indivisus qualitercunque acquisivit, id debuit communi divisioni substernere, nisi aviticis renunciare maluerit. 33; 44: 1ae hoc per 54: 655. ad solos carnales, et uterinos simul restrictum est. Secundum recentiorem legem vero 47: 1723. nonnisi ex fructibus bonorum indivisorum acquisita tenetur substernere, alio modo parta potest pro se retinere, nec tenetur aviticis renunciare) Jus succedendi tamen ex defectu reliquis fratribus in iisdem prae Fisco competit. De alienatione bonorum indivisorum notandum —

1. Quod facta per unum fratrum de bonis indivisis fassio, quoad portiones reliquorum non consentientium est ipso Jure nulla, et simplici succes-

si-

ſionali Proceſſu coram foro Pedaneo ſeponitur. Et illae portiones ſine pecunia reſtitui debent, 47: 1723. nec indiget invalidatione ut 61: 1ae. dicit. Verum ante 47: 1723. factae de aliorum portionibus faſſiones indigent, licet aeque gratis debeant remitti bona.

2. Propria vero alienantis portio, ſi ſit pignus, vel faſſio quidem, verum ſub privatis ſigillis celebrata, ſive ſola alienantis portio, absque praemonitione ſit alienata, ſive reliquorum quoque portiones, cum vel ſine praemiſſa praemonitione, aeque coram foro Pedaneo per indiviſos fratres depoſita, inveſtita tota ſumma ad inſtar pignoris revindicatur. Si vero alienatio illa de indiviſis ſit ſub ſigillo autentico, ad portionem fratris alienantis revindicandam foro Tabulari opus erit, et inhaerens onus refundi debet emtori, neque jam communi aeſtimatione mediante revindicatur, ut fuit 61: 1ae revindicatio vero vivo quidem fratre ſolam ſuam portionem alienante ex non facta praemonitione, illo vero absque prolibus mortuo ex praejudicio erit, ſi nempe alienantio non fuerit rationabilis, vel neceſſaria, vel pro fidelibus ſervitiis.

Proceſſus ſunt; —

primus, Ad revindicationem communium indiviſorum (quoad ratam non conſentientium fratrum) actio fundatur in 47: 1723. coram ſucceſſionis Judice, id eſt Judlium, vel Vice-Comite, vel Tabula Diſtrictuali. Probatur nullitas tituli Competit actio fratribus indiviſi alienantis, aut eorum ſucceſſoribus Juris, et ſanguinis communionem cum eo foventibus, ergo illis qui non habent

cum alienante nexum sanguinis, et Juris ex dicta lege actio non competit. v. gr. Condonatariis indivisis, vel Collegatariis, vel Fisco etc.

Secundus. Ad revindicationem propriae alienantis portionis ex praelatione, et quidem tunc, si alienatio sit sub privatis sigillis. Movetur aeque per illos, qui tempore alienationis indivisi fuerunt, cum abalienante. Fundatur aeque in eadem lege. Imitatur naturam pignoris, et portio alienantis pro pecunia restitui debet. Quidam dicunt, sine revindicationis indivisorum nonnisi tunc recurrendum esse ad forum Tabulare, si alienans frater suam solam portionem alienavit perennaliter sub sigillo autentico. Si vero indivisorum etiam portiones alienavit, quantumvis sub sigillo autentico, tamen quoad omnia illa bona foro Pedaneo agi posse asseverant. Verum cum lex dicit propriarum quoque portionum penes sassiones autenticas fiendas distractiones foro Tabulari resciendendas esse, refert se ad 61: 1ae, qui titulus non de sola fatentis portione verum de tali fassione, qua etiam indivisorum portiones sive peremali, sive temporaneo titulo alienatae sunt, sonat, et utriusque generis translationum rescissionem eodem modo fieri ordinat, quae quidem quoad temporaneas translationes per 47. 1723. ad forum Pedaneum relegata est, ergo triplicem Peocessum, et tres Judices ordinavit citatus 47: 1723. circa bona indivisa, nempe quatenus translatio est pignus, pignoris Judicem, quatenus est translatio perennalis, Judicem Tabularem, et quidem in utroque casu nullam distinctionem facit,

an

an sola alienantis, vel etiam reliquorum portiones sint alienatae, quatenus vero est translatio ipso Jure nulla, nempe quoad portiones non consentientium, Judicem et processum successionis, nihil tamen obstat, quominus moto in casu perennalis translationis Tabulari quoad ratam fatentis Processu, accessorie quoad ratas reliquorum fassio, seponatur, imo etiam tunc, cum pignoris Processu quaeritur alienantis rata, potest sepositio quoad reliquorum ratam peti, quia illam sepositionem, cum principaliter tantum id petitur, Judici successionalis Processus detulit lex, atqui coram Judice pignoris etiam successionales Processus solent defluere, Tabulae Regiae vero etiam invalidatio competit, ergo eo magis sepositio. Hinc nonnisi in uno illo casu movemus Processum coram Judice successionis, cum portiones non consentientium volumus revindicare, portionem vero transferentis in salvo relinquimus.

Observandum adhuc, quod si pignus a communi antenato sit celebratum; et postea unus ex illius successoribus auctiones levet, annos obliget, vel prorsus fateatur sub privatis sigillis. Reliqui, vel saltem unus etiam fratrum, pignoris Processum in legibus de pignore sonantibus instituendo ratam suam directo successionis Jure, ratam alterius vero Jure praelationis, fundando actionem suam etiam in 47. 1723. acquiret coram eodem foro Pedaneo, coram quo nempe pignus in uno Comitatu existens revindicare vult, quia sunt bona indivisa, aeque ita debet fundari actio, coram Tabula Regia, si illa bona in pluribus Comitatibus sita sint. Si vero per quosdam fratres perennales

in quibus faeminae usum non probant, non tenentur mares hoc foro producere. Si vero bona defuncti patris acquisita sint, et mares negent esse utriusque sexus, non dividat, verum faeminas ad aequalitatem Tabulari foro quaerendam releget. Quia Judex Pedaneus nonnisi ex usu solo potest judicare, et quamvis literae bona dividenda tangentes, et de quibus nulla controversia est, in divisionali Processu saepe producantur sub juramento; hoc nonnisi eo fine fit, ut hoc resciatur, quae bona sunt pignoratitia, quae perennalia, ut sic justa divisio fieri possit, non vero ut de valore literarum judicetur.

Secundus. Ad desumtionem vinculi coram Tabula Districtuali vel Judice Debiti, actio fundatur in Math. 6: 17. Ulad. 1: 38. 28: 1715. 34: 1723. Contra illum, qui via facti turbat divisionem, quia via Juris potest impune, licet vinculum adjectum sit.

CAPUT XIII.

De Rectificatione Divisionis, et Nova Divisione.

Rectificatio divisionis habet locum; si in divisionem accidentales aliqui errores, vel defectus irrepserunt, et portio unius, vel in ipsa divisione cum defectu extradata est, vel post divisionem sine culpa Domini, Processu, aut injuria temporum diminuta est. v. gr. Si agri, vel vineae minores, aut deteriores sunt unii datae, quam reliquis, aut dete-

deteriori loco, v. gr. ubi terra violentia fluvii diminuitur, aut particula aliqua judicialiter ob infirmatem Juris est ablata. Si tota portio fratris unius periit, vel in ipsa divisione substantialiter laesus est, nova divisio habet locum. Substantialis defectus est, et novae divisioni occasionem dat, v. gr., si uni mera pignora, alteri mera perennalia data sunt, vel ubi mera mobilia, alteri immobilia, uni multo plura, aut multo praestantiora bona data sunt, alteri longe minora, et longe deteriora.

Tam ad rectificationem, quam ad novam divisionem semel licet agere ob errorem, vel defectum accidentalem, aut substantialem in Divisione interventum, et quidem a tempore divisionis intra 32 annos (tales, qui a praescriptione non sunt exempti) debet lis moveri, secus praescribent reliqui fratres litis motioni, et actioni, nec juvat contradixisse ante 32 annorum efluxum. Si vero post divisionem evenit diminutio, aut substantialis mutatio, tunc a tempore illius diminutionis, aut substantialis mutationis debet ad rectificationem, vel novam divisionem agi intra 32 annos. Contra pupillum ab illo tempore, quo patre, si bona materna fuerunt, matre orbatus est, non numerantur anni usque 16. aetatis annum in praescriptionem.

Processus sunt:

Primus: Ad rectificationem divisionis: Actio fundatur in 36: 1729. Movetur coram illo Judice, qui fuit Judex in ipsa divisione, vel debuisset esse. Si nondum fuit divisio, non habet locum rectificatio. Potest tamen actio partim ad

re-

rectificationem jam divisorum, partim ad divisionem adhuc indivisorum institui. Quia utrumque est ejusdem fori, et ad eundem finem tendit Evocantur omnes condividentes. Actoratus quaestio est edoctio erroris vel defectus accidentalis. Uti divisionalis Processus, ita et rectificatorius soli sanguini competit, illis nempe, qui virtute communionis Juris, et sanguinis diviserunt. In rectificatione manet prior localitas portionum, nec substantia divisionis mutatur, verum tantum id, quod uni Portioni deest, bonificatur, et suppletur. Si actor pro particula sibi ademta, v. gr. per proprietarium nefors reluta, pecuniam recepit, eam reliquis proportionate restituere debet.

Secundus. Ad novam divisionem. Actio fundatur in 45; 46. 1ae 36: 1729. Est Processus Tabularis, quia invalidatio prioris divisionis subversatur, et de novo alia divisio instituitur. Eo fine omnes condividentes, et bona primae divisionis possidentes evocantur, sive Jure Quartalitii, aut Jure viduali, sive titulo dotis sint in bonis. Tota massa immobilium coadunari, et commassari debet, secus non poterit nova divisio fieri. Hinc non habebit actoratum ad novam divisionem, qui aliquid ex rata sua alienavit. Omnia mobilia sub juramento revelantur, quae nempe cuique tempore divisionis obtigerunt, quae si non fuerint, res servando servabiles, verum consumptae, vel distractae sint, secundum valorem tempore executionis eruendum consumenti imputabuntur. Literalia quoque omnia aeque sub juramento revelantur, ut natura, et indoles bonorum, an nempe perennaliter, vel pigno-

pignoratitio titulo possideantur? resciri possit. Quod quis à tempore divisionis percepit ex bonis, eidem manet, verum quemadmodum si quas meliorationes fecerit, illae eidem bonificandae erunt (v. gr. si aedificia posuerit) ita si quis deterioravit bona, id ipsi subtrahetur, et imputábitur.

Si divisio adhuc nulla fuit, non poterit ad novam divisionem agi. v. gr. Si sexus faemineus pecuniam acceptet pro bonis immobilibus, deinde ad novam divisionem agat, condescendit institutum, quia tales faeminae contra factum proprium nonnisi ex dolo fraude poterunt agere, successores vero earum agere poterunt primo ad invalidationem illius facti, deinde ad aequalitatem Juris, aut principaliter ad aequalitatem Juris, accessorie ad invalidationem illius per antenatos initi contractus, vel si usum praehabitum probare possunt, ad divisionem primam, quia cum pecuniam acceptarunt id magis fuit emtio, et venditio, quam divisio. Sic si ad divisionem, vel ad aequalitatem Juris agendo transegerunt, non possunt ad novam divisionem agere, quia nulla fuit in illis bonis divisio, verum ad invalidationem transactionis. Sic licet divisio in aliquibus bonis fuerit, aliqua vero vel ut solos mares concernentia illis relicta sunt, tunc ad aequalitatem Juris agendum est, vel ad simplicem divisionem, quae eadem actione non potest peti, qua nova divisio, quia non est ejusdem Judicatus. Si divisio conformiter testamento per acquisitorem condito facta est, non poterit ad novam divisionem agi. Si penes novam Donationem ingressae sunt faeminae bona per divisionem, ad exclusionem agendum est.

Re-

Rerum mere mobilium quantumvis multarum, et pretiosarum, aut fructuum ante divisionem perceptorum causa, non ad novam divisionem, verum ad rectificationem agendum est. Quae praeter divisionem, id est, ante vel post illam per fratres invicem cessa sunt, non sunt objectum rectificationis, vel novae divisionis, verum alterius instituti.

Actoratus quaestio in nova divisione est condivisionalitatis, et substantialis seu essentialis laesionis edoctio. Meritum est Formula juramenti revelatorii, deinde conscriptio, liquidatio, (nempe quod quis melioravit, vel consumit, aut deterioravit, quia illa bonificari, haec subtrahi, et imputari debent, cum localitas in portionibus non maneat) portiones per Judicem elaborantur, et pereundem, (non forte) cuique adsignantur.

Inter extraneos a sanguine non est nova divisio, v. gr. Condonatarios, Collegatarios. Illi si quid diviserunt ad invalidationem debent agere, vel ad sepositionem, aut si actus sit Judicarius, via novi, vel ad correctionem executionis, ut et Privigni contra Novercam, aut versa vice. Quia inter illos nec divisio fuit, verum tantum accommodatio.

Nova divisione tam in Judiciali quam in amicabili divisione interventi defectus possunt emendari. 655: 54. 34: 1729.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Proportione Usus Communium Beneficiorum.

Inter plures compossessores facile enascitur confusio in usu communium beneficiorum, et proventuum, ita ut qui minus intravillani possidet, plus ex talibus beneficiis percipiat, quam qui plus possidet. Propterea regulatio usus necessaria est. Illa regulatio usus beneficiorum communium fit a proportione intravillani possessorii, id est compossessori, qui plures sessiones possidet in intravillano, plus datur ex beneficiis Communibus. Sessiones illae debent esse antiquae, et appertinentiis provisae, quia fundi cespitales, id est, quod quis ex communi cespite occupavit, et impopulavit, connumerationem intravillanorum non ingrediuntur, imo tales fundi proportioni subjicientur, quia ad omnes compossessores pertinent. Compossessores debent esse legitimi, id est, insimultaneo manifesto, et pacifico usu actualiter existentes, sive pignoratarii, sive arendatores sint, imo licet quis infirmo jure sit in possessorio, tamen hoc instituto non potest ejici, verum illi rata ex omnibus beneficiis communibus a proportione intravillani extradari debet, pariter si quis non sit in possessorio id est nihil actu possideat ex intravillano, hoc instituto se reponere non potest, quia in hoc Processu solus usus attenditur, ergo si cui plus ex Privilegio competeret in intravillano, quam habet, id Juris Processu quaerat, aut successionali, vel divisionali curet

ret suam quottalitatem in intravillano exscindi, quia proportio non secundum id fit, quantum quis deberet habere in intravillano, sed quantum habeat actu; hinc intravillana non dividuntur hoc instituto, nec illorum divisio simul cum proportione peti potest, ut antiquiores Decisiones habent. Imo nec id, quod quis ex extravillano, aut beneficiis aliis hactenus privative possedit, est objectum Proportionis secundum antiqua Curiae Praejudicia, verum tantum id, quod in simul omnes usuarunt, quia non id quaeritur in proportione, ut beneficia omnia communia reddantur, verum id, ut in illis, quae jam communia sunt, et promiscue usuantur proportionatus usus inducatur. Ergo contra talem, qui privative quid possidet in territorio, alio Processu utendum esset. Verum non desunt et antiqua exempla recentiora vero pleraque ita se habent, ut totum territorium a proportione intravillani dividatur, et sua cuique rata ex commassato toto territorio extradetur. Talia vero, quae dividi non possunt v. gr. Educilla, Macella, Piscatura etc. quoad proventus regulantur, et proventus proportionate dividuntur. Silva vel dividitur si major sit, vel proventus tantum ejus dividitur, et quot quis setigeros glandinare possit, determinatur. Quoad pascuum numerus pecorum determinatur, quot quis in territorio intertenere possit. Curiae ad sessiones, pro idea in eodem Comitatu observari solita, plures vel pauciores reducuntur. Sic v. gr. si una Curia pro duabus sessionibus accipiatur, tantundem beneficii et ap-

per-

pertinentiarum illi adjicitur, quam duabus sessionibus. Si quis tamen in eo quod ex communi terreno antea occupavit, et privative possedit, aedificia, et meliorationes ponat, hoc ipsi relinquitur, verum ex fundo communi tantundem reliquis exscinditur, vel si non suppetat terrenum ad tales particulas excindendas, illud etiam, quod privative possedit, dividitur, et ex meliorationibus exsolvitur.

Cum haec omnia approportionari debeant intravillano cujusque possessorio; eo fine resciri debet praevie quot sessiones vere tales continet Possessio, vel oppidum, et quantum si constitutivum illarum, id est quanta sit una sessio? Si haec non possint resciri, nec proportio poterit fieri, ut Decisio habet. Quia incertum est id, quod pro mensura proportionis deberet sumi; et cui appertinentiae approportionari deberent. Si sessionum numerus et constitutivum scitur, et probatur, hoc deberet respici; quantum quis actu ex illis possidet? Intravillanum vero ita deberet manere, uti actu est, quia divisio illius non pertinet ad proportionale institutum, verum invalescit modus ille, ut hoc elaboretur, quot sessiones unam lineam, vel unam familiam concernant? et ita etiam intravillanum dividitur, imo si etiam nihil de sessionibus constet, tamen intravillanum secundum quottalitatem familiarum, et linearum dividitur (praecipue si omnes compossessores ex eodem Jure possideant, licet aliqui extranei titulo fassionis, vel pignoris ingressi adsint) et adhuc nunquam realis divisio peracta est, verum quilibet Jus successionis habens quantum voluit, occupavit. Reliqua vero beneficia, ut et totum extra-

vil-

villanum non antiquo intravillano possessorio, verum quottalitati approportionatur.

In praediis proportio secundum quottalitatem et competentiam inducitur, quia ibi alioquin intravillanum cum extravillano plerumque confusum est.

Processus proportionalis defluit coram Vice-Comite. Actio fundatur in 69: 1715. Quilibet compossessor potest se inactorare, plerumque tamen movet potior compossessor. Si actor deserat causam, potest quilibet alter continuare, licet antea Incattus fuit, quia vertitur sub communi actoratu. Hinc etiam reconventio in hoc, uti etiam in divisionali, et metali locum habet, id est suam praetensionem velut ex eodem fonte promanantem poterit Incattus actori controvertere. Probari debet improportionatus usus. Si res ad executionem deveniat, expensae solvuntur ex communi massa Citari debet omnis compossessor. Ad Sedriam appellatur intra Dominium, inde ad Tabulam Regiam, extra Dominium.

CAPUT XV.

De Metis.

Cum per Donationes, aut divisiones majora corpora in plura minora discerpta fuissent, haec metis ditingui ceperunt, id est certis signis vel naturalibus, vel factitiis, quibus bona immobilia ab aliis bonis immobilibus secernuntur. Metae sunt

vel

vel Capitales, quae plerumque sunt angulares, vel vero Intercalares, quae latera territoriorum custodiunt. Linea, quae ab uno signo metali ad aliud duci, vel concipi potest, vocatur Ductus metalis.

Ad contentiones metales praecavendas inventa est 1) Reambulatio metarum, id est metarum inspectio, et exstantium, vel apparentium signorum, si necesse sit, renovatio sine ulla alia mutatione. 2) Rectificatio metarum, quae fit non tantum cum antiquorum signorum renovatione, verum etiam novorum erectione, et avulsarum particularum reapplicatione.

Positae per V. Comitem interimaliter metae observari debent sub fiscali Actione, et paena violentiae. 23: 1802. Praeter Donationes, et Privilegia cum metarum designatione emanata, etiam ex reambulatione, et rectificatione enatae Literae metales validae sunt: 1) Penes amicam conventionem vel per modum concordiae, et fassionis inter partes interessatas facta, 86: 1ae aut in forma transactionis jam lite praevigente. 2) Ad mandatum Judicis Regni Ordinarii per hominem ad id denominatum, et Capitularem, aut Conventualem personam in forma Statutionis per eosdem peractae, et Capitulo relatae 86: 1ae 21: 2ae. 3) Per Vice-Comites ex usu vel ad utriusque vel saltem ad alterutrius partis requisitionem peractae, 20: 1635. ut etiam omnes mediante legitima executione post Processum confectae. Occasione vero metalium literarum confectarum adesse debebant vicini, commetanei, et partes interessatae, et

eorum nomina debebant inferi Literis metalibus, et usus subsequi debuit.

Particulae ab aliquo corpore avulsae non obstante praescriptionis cujuscunque allegatione, vigore metalium Literalium legitime confectarum ad illud corpus, a quo avulsae sunt, reapplicari debent 85: iae. Verum qui fundamento metalium antiquarum corpus intra metas per divisiones aut quocunque modo enatum, et metis distinctum vult sibi appropriare, contra illum obverti potest praescriptio.

Processus metalis vel est ex Usu, vel ex Jure.

Ex usu vel est inter duos Comitatus, aut Districtus, vel vero inter duas unius ejusdemque Comitatus possessiones. Processus metalis inter duos Comitatus, aut Districtus vel est de exercitio Jurisdictionis, vel vero inter privatos, qui in conterminio duorum Comitatuum possident, de plaga aliqua quaeritur, an ad possessionem in hoc, vel illo Comitatu sitam, pertineat? Ex usu vertitur coram Palatino, aut Delegato per illum Judice, 19: 1635. 40: 1715. Si Palatinus sit interessatus, a Rege petitur Delegatus Judex. A Delegatis appellatur ad Palatinum, vel si ille non adsit, ad septem Viratum. Si ratione Jurisdictionis exercendae est inter duos Comitatus, vel Districtus, probari debet usus Jurisdictionis exercitae. Nec est locus in illo Processu amicabili compositioni, vel transactioni, qua de Jurisdictio-

na

ne publica transigere non licet, ut nec de ulla re, quae publicum tangit. Si privatus movet contra privatum in alio Comitatu possidentem, coram foro Palatinali, vel Delegato in omnibus ita procedendum est, prout coram Vice-Comite procedi solet tunc, quando inter possessiones ejusdem Comitatus est metalis Processus, debent citari omnes loci alterius compossessores. Actio fundatur in 20: 1635. 84. 85: Iae. probari debet usus pacificus publicus, manifestus, et antiquus, idque vel Literis, vel humano testimonio. Literae metales licet ad solum usum docendum in hoc Processu producantur, non vero in probam Juris, tamen serio examinanda sunt per Judicem Iae. 85. Valent Literae metales licet signa in illis descripta in terreno non exstent, modo localitas illorum ex Literis metalibus clare prodeat. Testes hic plures requiruntur, quam in aliis Processibus, nec autenticantur morte. Possessionum, inter quas lis est, incolae ad testimonium perhibendum non admittuntur, imo nec commetanei, seu vicini, si praesumi possit fundate, illis aliquid commodi, vel incommodi ex controversia hac enasci posse. Testes in facie loci controversi debent adjurari, vel saltem autenticari, ut singula oculariter remonstrare possint. Mappa etiam in facie loci per Judicem autenticata conferri debet cum fassionibus testium. Plures testes seniores, extranei, fortiorem rationem scientiae dantes, praevalent paucioribus, etc. Et talem rationem scientiae non dantibus. Usus antiquus praevalet recenti, praecipue si illi antiquo usui signa metalia ex-

exſtantia ſuffragentur. Agricultura, id eſt aratura ſeminatura, et collectio frugum praevalet falcationi faeni, faeniſecium paſcuationi, paſcuatio lignationi, etc. Uſus pacificus publicus continuus praevalet impedito, occulto, interrupto, etc. privativus ſimultaneo. Si quis antiquum privativum etc. Uſum docet, ille totam plagam controverſam lucratur. Si in aequilibrio probarum ſint partes, plaga controverſa in hoc Proceſſu ex uſu bifariam dividitur. Saepe vero pro qualitate, et extenſione uſus probati uni plus, alteri minus datur. Appellatur hic Proceſſus a Vice-Comite extra Dominium. Moveri poteſt etiam quoad talem particulam, quam alter totam pacifice poſſidet, modo antiquus uſus actoris prodeat. Uterque eſt actor tam qui movet Proceſſum, quam contra quem motus eſt, et habet locum reconventio, id eſt, poteſt Incattus proprium ſibi ductum, et quidem talem facere, ut ſi illum probet, etiam ex eo actor adhuc amittat in cujus uſu modo eſt. Metalis Proceſſus poteſt ex uſu moveri etiam per Hipothecarium, id eſt Pignoratarium, per Proprietarium vero moveri poteſt tam ex uſu, quam ex Jure, ſive ſit Proprietarius ille in Poſſeſſorio, ſive pignoratarius illius. Si in plaga aliqua antiquae controverſiae metales vigeant, tantiſper neutra partium poteſt Proceſſu queruloſo, id eſt violentiali agere, donec metalis controverſia decidatur. In metali Proceſſu appellato, licet per procedentem Judicem mappa ſit autenticata, tamen pro oculata exire ſolet Protonotarius.

Ex

Ex Jure metalis Processus movetur coram Tabula Regia, sive sit controversia inter duos Comitatus, sive vero inter duas ejusdem Comitatus possessiones. Produci debet ad actoratum Donatio, vel privilegium, cum expressa metarum designatione emanatum, Statutione, vel reambulatione roboratum, non contradictum, vel saltem a contradictione depuratum, et in usum deductum. Nec sufficiunt ad Jus probandum metales, vel mandatum reambulatorium cum clausula Dicitur Nobis, nisi penes tales metales, et vigore illarum quis in usu fuisse doceatur 86: iae. Ceterum reambulatoriae Capitularium, et Conventualium ad mandatum Judicis Regni ordinarii peractae privilegiis aequiparantur in metalibus. Potest erigi etiam fundamento sententiae Judicum Regni ordinariorum, et Curiae. Actio fundatur, ut supra de Juris Processu dictum. Quia tantum in eo differt ab illo Juris Processu, quod ibi corpus integrum, vel portio possessionaria quaeratur, in metali vero Juris Processu particulae avulsae, et ad aliud corpus applicatae quaerantur, hinc metali Processui non potest includi totum corpus, nisi sit Processus ex usu, et aliquod terrenum, quod olim distinctum corpus fuit, verum jam ab immemoriali tempore per utramque partem promiscue et non in qualitate distincti corporis usurpatam sit, quia sic poterit tale corpus ductui includi, nec obstat metationi ex usu, verum pars quae se laesam putat, Juris Processum ad illud corpus sibi vindicandum instituere poterit.

Juris

Juris Processus metalis instituitur, si ex usu quis non possit triumphare, vel bisariatio plagae controversae adinventa est, quae tantum in Processu ex usu habet locum. Meritum in hoc Juris Processu etiam est elucubratio quantitatis. Judex exmittitur, ut signa in privilegio denominata oculet, an existent? et mappam, quae genuina esse negatur autenticet.

CAPUT XVI.

De Jure Fisci ex Crimine laesae Majestatis, et Nota infidelitatis.

Praeter successionem, quam Fiscus in Donationalibus ex Defectu, in aliis vero ex defectu simul, et ab intestato habet, succedit Fiscus Nobilibus, Libertinis in sua libertate persistentibus, et civibus ex Crimine laesae Majestatis, et nota infidelitatis.

1. Crimen laesae Majestatis est delictum, quo quispiam Regni Hungariae civis laesionem personalem legitimi Regis, aut Regni perturbationem intendit, vel saltem per conniventiam, dum potest, non impedit. S. Steph. L. 2. Cap. 51. 1ae 14. 7: 1715. Vocatur alio nomine apud nos Perduellio, et rei hujus criminis vocantur Perduelles. Facile incurritur hoc delictum etiam scriptis, factis, verbis seditionem concitantibus, licet effectus non sequatur.

Nota

Nota infidelitatis est delictum cujusrei in art. 9. 1723. recensentur sequentes. 1) Semet contra statum publicum Regis, et Regni erigentes, et opponentes. 2) Judices, locaque credibilia, et fidedignitates sub autenticis sigillis falsas literas conficientes. 3) Cusores falsarum monetarum (vel unius cruciferi) aut falsis monetis scienter, ac publice in quantitate circiter 50 fl. utentes. 4) Qui inducunt, vel conducunt homines ad spoliandum internum Regni statum. 5) Publici haeretici, damnatae scilicet haeresi adhaerentes. 6) Qui castra finitima Regni, partesque eidem adnexas malitiose amittunt, vel hostibus tradunt. 7) Administratores armorum, vel rerum bellicarum, et tempore belli etiam victualium Turcis, et allis infidelibus, Regni scilicet hostibus. 8) Turbatores, detentores, spoliatores illorum, qui Turcicam religionem deferendo ad hoc Regnum confugiunt. 9) Tricesimatores, et alii in educendo e Regno auro, et argento conflato consentientes aut aurum, et argentum ejusmodi clam efferentes.

Processus tam ob crimen, quam ob notam defluit coram Tabula Regia, et inde ad Septemviratum appellatur 56: 1791. Ob crimen laesae Majestatis, ut etiam ob notam, potest etiam indirecte Processus moveri per impetratorem ad dandam contradictionis rationem, ut diximus, potest etiam directe per Fiscum Regium, de quo nunc agimus, et hic Processus ob crimen post 1715 ante 1791 judicabatur vel per Regem ipsum cum Consiliariis Hungaris, vel per Delegatos ejus. Nota vero

coram

coram Tabula Regia, antiquioribus vero temporibus utrumque per Diaetam judicabatur. Actionem fundat Fiscus Regius in legibus supra citatis. Perduellis ante citationem capitur, et bona illius, praecipue si manifestum sit scelus, sequestrantur ante sententiam, et alicui administranda committuntur. 1715: 7. 1723: 5. Verum notorius non capitur, sed in statu libertatis se defendit. Accusatorem debet Fiscus manifestare, si sciatur quis sit, ut eo magis possit se I. defendere. Fidejussio in hoc Processu locum non habet, ut nec in aliis capitalibus criminibus. Si quis temere deferat aliquem, facile poena Talionis, vel saltem arbitraria pro ratione circumstantiarum leviori, vel graviori poena adficitur. 26: 41: 1741. aliud est, si is probam in se non assumsit, nec factum affirmaverit, verum tantum se quid sinistri de aliquo observasse, vel audivisse, simpliciter retulerit. Quoad crimen laesae Majestatis anno 1715. statutum est, ut etiam prolium innocentium portiones amittat Perduellis. Verum anno 1791. ad eandem cum nota poenam reductum est, quae est amissio capitis saepe cum exasperatione, v. gr. si delictum consumavit etc. deinde amissio bonorum omnium aviticorum, acquisitorum mobilium, immobilium, propriorum quoad ratam suam, quia prolium innocentium portiones etiam ex bonis patris salvae manent; uti etiam bona illarum materna, id est bona uxoris notorii salva manent, quia illa non fuerunt bona notorii, salvae manent etiam fratrum innocentium indivisorum portiones. Salva manet Dos, Allatura, Jus viduale, Successio vidualis vel conjugalis incoacquisitis, Para-

raferum, et si bona solius sexus masculini erant, salvum est Jus Capillare, Quartalitium, vel Jus pecuniarium puellarum, quia alioquin, si bona utrumque sexum concernunt, ratas suas accipiunt filiae innocentes. Salvum est etiam Jus, aesque alienum, quod nefors in bonis notorii esset, vel ille alicui deberet.

Quod Fiscus nec ex crimine, vel nota succedat in virtualibus, qualiter id debeat intelligi, vidimus supra.

Per notam, et crimen filum successionis rumpitur, id est filii quidem ante notam, vel crimen, id est sententiam convictivam nati, adeoque illi, quibus Fiscus suas portiones extradedit, succedent sibi invicem mutuo, ut et collateralibus patris, verum ipse notorius, vel filii ejus post convictionem nati non succedent filiis ante notam natis, vel collateralibus aliis, id est fratribus notorii, et aliis remotioribus. Imo si nefors notorius gratiam vitae, et bonorum impetraret, tamen in illis bonis, per gratiam recuperatis collaterales illius virtualitatem amplius non habent, nec filii ante notam nati, et vel ante notam, vel occasione notae, aut criminis per Fiscum divisi, in illis recuperatis succedent, nisi nomina illorum expresse inserantur Donationi, verum filii post notam, aut crimen sive ante, sive post gratiam nati succedent, licet nomina ipsorum specifice non inserantur, nec in aliis qualitercunque post gratiam acquirendis bonis succedunt proles ante convictionem natae quia per convictionem nexus civilis quoad successionem bonorum penitus rumpitur

pitur. In casibus Perduellionis ante 1791. enati, succedunt omnes proles sive ante convictionem natae, et indivisae, sive post convictionem natae patri, et in bonis recuperatis, et aliter acquisitis, quia in illis casibus non extradedit Fiscus prolibus indivisis ratas suas, verum si quae occasione criminis jam divisae fuerunt, illae non succedunt; inter collaterales autem patris, et has proles tempore criminis divisas mutua erit successio, non item inter collaterales, et perduellem, aut proles ejus tempore convictionis indivisas; haec omnia deducuntur ex iae 16. 20. 49. 56. 7; 9. 1715. Bona per gratiam recuperata ejusdem naturae, et indolis erunt quoad aequalitatem, vel inaequalitatem Juris, ac fuerunt ante amissionem, nisi expresse in grationali privilegio, quo de novo collata sunt, mutentur.

CAPUT XVII.

De Praescriptione.

Modus acquirendi civilis fit adhuc per Praescriptionem, seu per continuationem possessionis per tempus lege definitum.

Lex civilis nostra, quae praescriptionem introduxit, excepit aliquas res a praescriptione, v. gr. 1) Pignus, quod post quamlibet multos annos relui potest, quia pignoratarius non nomine suo, verum nomine oppignorantis possidet. Literis tamen antiquis pignoratariis praescribitur, i. e. ille, qui

vigore

vigore talium Literarum bona in pignus debuisset, accipere, vel fors accepit, verum modo non est in possessorio, nihil acquirit, nisi probet suos antenatos, vel ipsum, violenter de bonis ejectum esse, si hoc probet, pecunia illi renumerari debet, secus non; quia saepe sit, quod reluit bona proprietarius et deponit summam pignoratario, literae vero pignoratitiae, penes quas possidebat, manent apud eundem pignoratarium, et remisso bono, tantum quietantiam dat proprietario, quod ab illo exsolutus sit, illa saepe potest deperdi; ne itaque penes illas antiquas literas pecunia bis desumatur, propterea inducta est contra illas literas praescriptio. Secus etiam tam implementali quam violentiali liti, prout etiam pecuniariae praetensioni praescribitur 32. annis. Pignus sapit etiam fassio sub privatis sigillis celebrata, adeoque non obstante praescriptione potest per successores fatentis relui, verum defectum autentici sigilli nonnisi successores fatentis poterunt controvertere, et tantum contra illos non potest talis fassionarius praescribere. Fisco, aut alteri extraneo potest fassionarius talis praescriptionem obvertere. 2) Non est praescriptio inter fratres, et si bona sint utriusque sexus, inter sorores ratione divisionis ineundae, id est bona divisioni obnoxia, post quamlibet multos annos debent dividi. 78: §. 5. Imo etiam fratres jam divisi, vel sorores jam divisae, si quid ex portione, quae alteri divisione mediante obtigit, ad se post divisionem pertrahant, non quidem ratione proprietatis, verum ratione usus fructus praescribunt, et bona talia ex defectu cum reliquis bonis ad illum debebunt redire, qui bona illa praescriptione amisit rae

46. §. 6. In aliis v. gr. in debitis, in actibus potentiarius praescribunt sibi invicem fratres, quia quoad talia, sunt extranei. 3) Excipitur a praescriptione dos legalis (contractualis ita consideratur, ac alia debita) item Quartalitium, Jus viduale, et capillare, quae per bonorum possessores semper debent praestari 78: 1ae. 4) Excipiuntur metae, quia particulae avulsae semper debent reapplicari, 85: 1ae. 5) Actus meri arbitrii ex civili, et naturali libertate fluentes.

Excepit lex etiam aliquas personas a praescriptione v. gr. 1) illos, qui in captivitate hostili sunt. 1ae 56: 79. 2) illos, qui ex filiali amore amore patres in captivitate existentes eo sequuntur. 3) Minorennes usque 16. aetatis annum 729. 36. 37. quae lex licet tantum in debitis dicat expresse non currere praescriptionem contra minorennes, tamen cum sit lex favorabilis, etiam ad alios casus extenditur.

Requisitum praescriptionis est possessio per tempus Lege definitum continuata. 1) Quoad possessionem notandum, quod possessio in genere est detentio sub viribus Physicis, estque vel Naturalis, vel Civilis vel Mixta. Possessio naturalis est detentio rei sub manibus et viribus Physicis, sed non qua suae, et non cum animo sibi habendi, v. gr. Precarium, vel Commodatum. Possessio civilis est, si quis animum, et voluntatem suam rem sibi habendi habet, licet alter sub viribus suis Physicis rem eandem detineat, v. gr. qui Precario dat, vel commodat. Mixta est, qua rem et sub Physicis

cis viribus, et cum animo mihi habendi detineo. Ad inchoandam praescriptionem talis possessio mixta requiritur, ad contitinuandam vero sola civilis sufficit. v. gr. fundum, quem occupavi, vel emi perennaliter, possideo duobus annis, oppignoro, continuatur praescriptio, et post 32 annos praescripsi, licet fuerit irrationabilis fassio. Naturalis vero sola nec ad inchoandam, nec ad continuandam praescriptionem sufficit, quia fit alieno nomine. Hinc cum possessio requiratur ad praescriptionem, sequitur quod res, quae possideri non possunt, nec praescribi possint, v. gr. res universales, aër, etc. quod item; qui non suo nomine possidet, v. gr. Tutor, Curator, Provisor, Depositarius, Commodatarius, non possit praescribere, et denique, qui incapaces sunt possidendi aliquam rem, eam non possint praescribere, v. gr. Religiosi, Ignobilis bona Nobilitaria, Seculares, Jura Spiritualia, vel Jus decimas exigendi, privatus licet Nobilis bona Coronalia, quia nomine suo possidere non possunt.

Possessio dicitur in rebus corporeis, in rebus autem incorporeis vocatur quasi possessio, consistit in unius exercitio, et alterius patientia.

2. Possessio debet esse continua non interrupta: Interruptio est dupplex, via Facti si fit Interruptio, vocatur Naturalis, si per actum Judicialem fit, vocatur Interruptio Civilis, v. gr. per Contradictionem, Protestationem coram loco autentiō cum specificatione nominis, et rei factam,

In-

Inhibitionem, admonitionem medio judicialis personae peractam, aut litis motionem, id est citationem. In debitis etiam per admonitionem amicam tollitur praescriptio. Via facti rumpitur praescriptio tamdiu, donec judicialiter vindicetur, et per Judicem pro illegitimo actu declaretur.

3. Continuatio possessorii debet esse per tempus lege definitum, v. gr. contra Jura Fisci 100 anni, contra bona Ecclesiastica 40, contra Nobilitaria, nec non in actibus potentiariis, aliisque personalibus, et delictis non criminalibus, item quoad debita, quorumcumque hominum, et inter quoscunque, nec non quoad continuationem litis derelictae, quoad litis motionem in casibus alias dictis; ad quos pertinent Processus acquisitorii et ex Jure ad rem enati. 32 anni etiam contra Fiscum, et pro Fisco contra privatum, requiruntur, sic etiam novo triginta duobus annis praescribitur, quoad fundos civiles vero unus annus, et dies quoad haereditates colonorum aeque annus, et dies requiritur, 78. 79: 1ae, 14, 15: 3ae. Si Judex Civitatis contradictionem intra annum, et diem ad rumpendam praescriptionem interpositam protocollo inserere noluerit, potest quoad fundos civiles etiam coram Judice Regni ordinario contradictio interponi.

Praescriptio ad revindicandum non valet, sed tantum ad defendendum, et inventa est in favorem possessorum. Praescribi possunt etiam res mobiles, quia lex non eximit. In rebus immobilibus executione adsignatis non praescribitur, quia est pignus Judiciale. Excipe fundos Civiles.

Plu-

Plurium diverso Jure venientium successivum possessorium non nocet proprietario, et contra illum non operatur praescriptio, v. gr. impetrat quis mea bona, possidet 16 annis, deficit ex defectu ejus impetrat alter, possidet 16 annis, tamen mihi non est praescriptum, fassionarius tamen praescriptionem per fatentem inchoatam videtur continuare posse., praecipue si fassio absque clausula Nil Juris etc. fuerit.

Si quis medio possessorii sui tempore titulum possessori sui mutet. v. gr. violenter occupavit, possidet 20 annis, tunc emit idem bonum a vero Domino, post 12 annos non poterit invalidatoriae actioni praescriptionem obvertere. Praescriptio est exceptio peremtoria, id est perimit praetensionem actoris in perpetuum, tamen si quis praescriptionem allegatam non probet, penes revocationem Procuratoris, et prohibitam, potest ad aliam defensam transire. Fiscus privatis non praescribit, quoad Jus in re, verum litis motioni, et continuationi praescribit, ut privati. Fisco Jus cum defectu enascitur, ergo licet quis deficienti praescripserit, tamen adhuc Fiscus intra 100 annos potest illi auferre. Si ultimus deficiens ex familia, quae praescripsit, ab intestato moriatur, bona redeunt ad illum, qui praescriptione mediante amiserat, et hoc videtur probabilius, quam quod aliqui Fiscum in talibus succedere dicant. Quia Fiscus nec suam, nec aliorum praescriptionem potest allegare. aut illa se defendere, quia illa in favorem privatorum inventa est. Nec haberet Fiscus bona talia conferendi titulum. Ergo quemad-

admodum nullum incommodum vult ex eo habere, quod privato deficienti praescriptum sit, verum eo non obstante bona deficientis sibi vindicat; ita neque commodum debet habere ex praescriptione privatorum. Nec obstat, quod sic nullum discrimen esset inter fratres sibi invicem praescribentes, et extraneos, quia illud discrimen tamen erit, quod frater non poterit disponere de bonis praescriptione acquisitis, verum ad illum fratrem redibunt, qui praescriptione amisit, ab extraneo bona praescriptione mediante acquisita vero poterit ultimus deficiens testari, aut in vivis abalienare. A praescriptione eximuntur anni quidam, quales sunt; anni belli Zapolyaiani, 1542: 22. Anni belli Botskajani 1622: 58. Georgio Rakotziani 1649: 93. Tököliani 1681: 29. Francisco Rakotziani 1715: 70.

Praescriptio dat Dominium, et Jus rem retinendi etiam pro foro interno, et Divino, quia est modus acquirendi civilis, sicuti Donatio etc. jam vero rem suam potest quis retinere etiam pro foro interno. Aliqui dicunt ad praescriptionem requiri justum titulum, et bonam fidem, et quidem Jure civili Romano saltem ad incipiendam, Jure Canonico vero, et ad explendam praescriptionem requiritur bona fides, verum Jure nostro nec ad incipiendam, eo minus ad continuandam requiritur bona fides, nec justus titulus, uti ex legibus aperte prodit. v. gr. Ex 1ae 24; 25. ubi dicitur Jus Regium in bonis malae fidei possessoris latere, et tamen vi 78: 1ae praescribi. Sic in debitis, actibus Potentariariis etc. Quod vero lex praescriptionem

nem admittens sit justa, apparet inde, quia Respublica vi Dominii eminentis, quo gaudet in bonis privatorum potest fine Reipublicae exigente, bona uni auferre, et alteri dare, si id finis Civitatis, id est bonum publicum exposcit, atqui absque praescriptione lites essent immortales, dominia incerta, hoc vero nocet Reipublicae, quia non excolerent res suas privati, si bonis suis etiam post multos annos privari possent. Si vero bona fides ad praescriptionem requireretur, hoc etiam multis litibus, et quaestionibus ansam praeberet, imo saepe impossibilis proba requireretur, quia vel actor deberet probare Incattum non habuisse bonam fidem, id est scivisse rem alienam esse, vel Incattus deberet probare bonam fidem, id est quod nesciverit rem esse alienam. Ergo ita debuit lex civilis praescriptionem ordinare, ut ad illam bona fides non requiratur, quia ita erit utilis Reipublicae, jam vero tantum ob utilitatem Reipublicae potest Respublica Jure suo eminenti uti.

Praeterea si, uti dicunt, bona fide licet praescribere, licebit etiam mala fide, et si mala fide, non est licita praescriptio, nec bona fide erit licita, quia etiam in bonae fidei praescriptione fundamentum praescriptionis non est bona fides, sed lex civilis, id est non propterea praescripsit, quod bonam fidem habuit, et possedit, verum quia lex vult, quia sola bona fides non sufficit ad praescriptionem absque lege civili, etiam si longissimum possessorium adsit, quia secus etiam lege naturali daretur praescriptio (quod nec concipi potest, cum Lege naturali nullius superior sit, qui annorum nu-

merum determinet, quorum determinatus numerus ad praescriptionem essentialiter requiritur) lex civilis vero, ut supra vidimus, debuit admittere, et re ipsa admisit, ut mala fide praescribatur, nec favet per id malae fidei hominibus, imo illos ante completum terminum praescriptionis punit, ut jam saepe vidimus, et videbimus.

Processus relate ad Praescriptionem sunt: 1) In quibus nec Liti nec Juri praescribitur. v. gr. Pignoris Metalis, Divisionalis, Proportionalis etc. 2) In quibus Juri praescribitur verum Liti non, v. gr. Processus Reacquisitorii, ut sunt, Processus Juris, Debiti, Invalidatorii ex Praejudicio etc. 3) In quibus et Liti et Juri praescribitur, v. gr. Acquisitorii, ut sunt: Ex non facta praemonitione, ad dandam rationem Contradictionis, ex puritate Statutionis, Implementales, Poenales Dantur etiam 4) In quibus Liti tantum praescribitur, v. gr. ad recipien dam rat. contrad. etc. 5) In quibus jam Liti, jam Juri, jam neutri praescribitur v. gr. Ad renovationem Sententiae, pro natura processus primaevi.

Hactenus de Jure in re, quo res est alicui obnoxia absque respectu ad personam. Jam de Jure ad rem, quod est magis in personam, et enascitur ex obligatione alterius, obligatio vero illa vel ex facto licito, v. gr. ex contractu, vel ex facto illicito (sive dolo, sive culpa patrato) id est ex delicto, quod vel est publicum, quo publica securitas turbatur; vel privatum, quo privatus laeditur, vel mixtum, quo et publicum et privatus laeditur adeoque dupplici actione vindicatur, privata et publica, quarum neutra alteram tollit,

v. gr: licet privatus laesus cum fure accordet, tamen publica actio supermanet, dupplici tamen Processu non opus est, si publica actio jam mota est, quia prodeunte in illo Processu delicto, privatus laesus indemnisatur, (si fieri potest,) absque ulteriori Processu. Utrumque delictum seu sit publicum, seu privatum, est adhuc vel Civile, vel Criminale. Per decursum operis vidimus jam plures species delicti Publici Civilis, ob quae nempe publicum assumit actoratum vel medio Fisci Regii, vel Magistratualis, in materiis tamen mere civilibus, v. gr. contra privilegio abutentes, contra illegale interusurium exigentes, contra limitationem Comitatus excedentes etc. Delicti publici criminalis exemplum potest esse perduellio, et nota, blasphemia etc. Delictum privatum criminale est simul etiam publicum, adeoque semper mixtum. Hic percensebimus aliquas species delictorum civilium praecipue privatorum, quae publica actione non vindicantur. Vel laeditur quis in persona, vel in rebus, aut Juribus suis, et eatenus est vel personale vel reale delictum. Vel patratur illud delictum facto, et iterum vocatur reale, vel verbis, et vocatur verbale, quo etiam delictum scripto patratum refertur, v. gr. dehonestatio sive sit verbo, sive scripto, est idem. Jus ad rem est vel personale, vel reale, ex illo enascitur actio Personalis, quae ad successores non transit, et cum persona exstinguitur, nisi liti sit inclusa. Ex reali vero actio realis, quae ad successores quoque transit. Omni Juri correlata est obligatio, quae aeque est vel rea-

lis, quae ad successores transit, quia successio vadit cum onere, atqui illa obligatio rei inhaeret. Vel personalis, quae cum persona exstinguitur, nisi successores facto patris, vel illius, cui successerunt, etiam post admonitionem Judiciariam inhaereant, aut tempore mortis jam sit liti inclusa, id est, si jam lis fuit contestata. Obligatio potest adhuc esse mixta, quae partim ad successores transit, partim cum persona exstinguitur, v. gr. Si quis mihi infert violentiam, postea moritur; ad poenam violentiae contra illius successores facto patris non inhaerentes non possum procedere, verum possum ad repositionem, et damni refusionem absque praevia admonitione, post admonitionem vero, et non subsecutam restitutionem etiam ad violentiam. Nunc primo agemus de obligationibus ex contractu.

CAPUT XVIII.

De Contractibus in Genere.

Contractus est consensus duarum, vel plurium personarum in unum: Personae illae debent esse, quae nec impediantur consentire, v. gr. stulti, furiosi, nec prohibeantur, ut de minorennibus supra vidimus, ex III: 1ae. contractus debet esse de re physice, et moraliter possibili, id est, quae nec viribus Physicis, nec legibus repugnat. Consensus est libera declaratio voluntatis. Consensus ille vel est absolutus vel conditionatus, hinc etiam contractus est talis. Vel est adhuc consensus verus, qui expresse, vel tacite declaratur, vel est

prae-

praesumptus, qui non declaratur; sed tamen praesumitur. Consensus praesumtus fluit ex his principiis: nemo praesumitur locupletari velle cum damno alterius. Quisque praesumitur velle, quod sibi utile, et necessarium est. Qui vult antecedens, debet velle etiam consequens. Qui vult finem debet velle media necessaria. Consensus verus sive expressus, sive tacitus parit contractum verum. Ex praesumto consensu oritur quasi contractus, et aeque obligat sicuti contractus verus.

Contractus sunt adhuc alii unilaterales, seu gratuiti, cum nempe tantum una pars obligatur. Qui contractus licet non tantum Jure naturali, verum etiam Jure civili vi generalium Regni legum de contractibus sonantium obligent, et servari debeant, quin tamen ex rationabilibus valde caussis revocari, et invalidari possint, vix dubitare licet. Alii contractus sunt bilaterales, seu onerosi, quibus utraque pars ad aliquid praestandum obligatur, hi, ad haec quatuor capita referuntur: do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias, prout nempe quis rem pro re, rem pro opera, operam pro re, operam pro opera promittit. Horum contractuum valde multae possunt esse species, quaedam cum frequentius occurrant, habent certa nomina, et vocantur contractus nominati, quaedam vero licet occurrant, nullum speciale nomen habent, et vocantur contractus innominati. Contractus adhuc vel sunt reales, id est, qui ante rem traditam non ineuntur, tales sunt contractus mutui, Commodati, Depositi, etc. Alii sunt contractus Consensuales, qui solo consensu

ſenſu perficiuntur v. gr. Emtio, Cambium, Locatio, Conductio etc.

Licet autem contractus, aut obligatio intra fines pacti tantum nudi ſubſiſtat, tamen non tantum obligationem naturalem, verum etiam civilem actionem poſt ſe trahere poteſt, cum in genere lex, contractus contrahentibus legem ponere dicat: eo magis vero, ſi pactum eſt veſtitum, nomenque tale et titulum habet, cui leges adſiſtunt, aut aperte non refragantur, nec poteſt impedimentum legis aut naturalis aequitatis oſtendi, quin imo neſors vinculo, juramento, aut aliis pacta confirmandi modis affectum eſt, aut ſaltem in ipſo actu contrahendi ſolemnitates, et circumſtantiae ad valorem pactis conciliandum, et ad conſenſum ſerio declarandum aptae interceſſerunt.

Contractus habet aliquid, quod illi eſt eſſentiale, aliud naturale aliud accidentale. Sic eſſentiale eſt in emptione, et venditione pecunia; in faſſione perennali ſigillum autenticum, quia ſecus alter contractus eſſet non emptio, et non faſſio perennalis. Naturale, id eſt in contractu quod contractui ex natura ineſt, et ſubintelligitur, verum expreſſa conventione poteſt tolli. v: gr. evictico in contractibus oneroſis. Accidentale, quod contractui nec ex eſſentia nec ex natura ineſt, verum per expreſſam conventionem poteſt adjici, v. gr. quod determinata ſpecie ſolvat emtor, vel mercipotum det, tale eſt etiam pactum de retro vendendo etc. ſic Cautio, Fidejuſſio etc.

Conſenſui maxime officit:

Primo.

Primo. Vis et Metus. a) Si vis, et metus sit levis, contractum non vitiat, quia potuisset superari. b) Licet sit gravis, si tamen sit ab intrinseco, id est ex animo ipsius contrahentis, et ab imaginatione illius, aut ab extrinseco quidem, verum a causa non libera v. gr. metu fulminis, aut exundationis. aut bovis cornupetae, et feri etc. non vitiat contractum. c) Si metus vel vis ab extrinseco, et a causa libera, v. gr. a homine proficiscatur, et juste incussus est metus id est a tali, qui habuit Jus me um incutiendi, debet servari contractus d) Si injuste incussus est, et quidem a tertio, debet servari contractus illi, cum quo inivi, verum habebo regressum contra illum, qui injuste incussit, et tunc disquirendum erit, an serio, et ita fortiter incusserit, ut ego terrefieri potuerim. e) Si ab eodem est metus injuste incussus, quocum contraxi, et vis metusque fuerint irresistibiles, et tales qui me perplexum reddere potuerint, est contractus ipso Jure nullus, et seponibilis, si non fuerint vis, et metus ita comparati, ut me perplexum reddere potuerint, est contractus foro Tabulari invalidabilis.

Secundo. Officit consensui dolus, seu circumventio data opera adhibita. a) Dolus, si substantiam rei attingat, vel qualitatem quidem, sed talem, a qua vel contractus expresse suspendit consensum, vel usus suspendere solet, vel lex facit contractum ipso Jure nullum, et seponibilem, quia deest consensus. b) Dolus quoque talis, qui dat causam contractui, et sine quo non fuisset contractus celebratus, facit contractum ipso

Jure

Jure nullum, quia est substantialis. c) Dolus vero incidens, id est, si fuisset contractus celebratus etiam absque dolo, verum aliter quam cum dolo, non facit contractum ipso Jure nullum, verum pro prudenti Judicis arbitrio saepe invalidabilem, si nempe laesio gravis subversetur. d) Dolus accidentalis si laesio sit major, facit invalidàbilem, sed saepe nec invalidabilem, quia praetor minima non curat, ergo contractus stare, verum damnum, si quod est, refundi debet. Si dolus veniat a tertio, contra illum ad indemnitatem, contra contrahentem vero ad invalidationem agi potest. Ergo propter dolum, qui a tertio, et non a contrahentibus venit, non est contractus seponibilis, verum invalidabilis.

Tertio. Officit consensui error, qui nempe absque dolo intervenit, ex mera cognitionis ab objecto discrepantia, qui si versetur circa speciem contractus, v. gr. unus contrahentium vult pignus celebrare, alter fassionem perennalem putat; est contractus nullus, quia non est censensus. b) Circa substantiam objecti, aeque facit contractum nullum. c) Circa quantitatem objecti, si in potiori parte sit error, aeque est contractus nullus, praecipue si aliter non possit error reparari, quia si leniora remedia adsunt, Judex non debet seponere. Cum quis per aversionem contrahit, etiamsi circa potioritatem, et ultra dimidium versetur error, tamen contractus est validus, quia est contractus Aleatorius. d) Licet circa qualitatem objecti versetur error, aeque est nullus contractus, si a qualitate illa expresse suspen-

sus

fus fuit consensus, vel usus, aut lex, vel natura rei suspendere solet, secus est tantum invalidabilis, (cum sit accidentalis error) saepe nec invalidabilis, prout damnum majus, vel minus est.

Aliqui dicunt quod etiam ob laesionem ultra dimidium (si v. gr. pro re aliqua nec tantillum solutum est, quantum medietas rei valeret) rescindatur contractus ex aequitate ob enormen laesionem, si mature reclamatum, et coram loco autentico contradictum est. In genere observandum, contra tales quoscunque nocivos contractus opportune interponendam esse contradictionem, et revocationem; nam taciturnitate, et usu reali adhuc magis consensisse, et factum confirmasse videbimus. 62; 72 1 iae.

Caeterum de damno ex contractibus enato observandum; quod damnum dolo causatum nocet doloso. Damnum casuale nemo tenetur praestare, nisi quis casum in se assumserit Culpa est defectus diligentiae. Culpa lata est defectus diligentiae minimae. Levis est omissio diligentiae mediocris, Levissima est omissio deligentiae maximae. Qui solus sentit commodum ex contractu, ille omnem culpam praestare tenetur, v. gr. Commodatarius, nisi quis illi rem suam utendam obtrusit, quia sic levissimam non tenetur. Qui solus sentit incommodum, ille latam praestare tenetur, v. gr. Depositarius, aliam non, nisi se sponte obtruserit. Si uterque sentiant, et commodum, et incommodum, tunc invicem culpam latam, et levem praestant.

Circa interpretationem contractuum obscurorum regulae interpretationis in initio operis datae, in

in quantum ad contractus applicari possunt, observari debent, praeter illas notandae sunt sequentes: in obscuris, et ambiguis vero similius est sequendum, aut id quod consvetudo svadet. In dubio benignior interpretatio est sequenda. Obscuri contractus contra illum interpretandi, qui ansam dedit obscuritati. In venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est etc.

Processus ex contractibus in genere. 1. Ad implementum contractus movetur per illum, qui quod ex contractu debebat, jam praestitit, vel Judicialiter obtulit, coram Tabula Districtuali, nisi in contractu alter Judex determinatus est. Actio fundatur in Math. 6: 17. Ulad. 38: 1. 34: 1723. Probari debet realitas contractus, convincitur I. in implemento, si id impossibile sit, in damno. Expensae in hoc Processu non currunt. Si de eodem substrato posterior alteri celebratus contractus adsit, accessorie seponi petitur ille posterior contractus.

2. Ad invalidationem coram Tabula Regia ex dolo, vi, metu, et fraude ut diximus. Fundatur actio in Math. 3: 26. 1536: 59. 1552: 17. 1687: 13. 1715: 53. contra factum proprium, ut etiam contra factum proprium in aetate legitima quidem, sed imperfecta, si aetas lege determinata non adfuerit, et revocatio ante aetatem illam intercesserit ex 111: 2ae. Verum si talis ante litem inchoatam, vel finitam moriatur, filius illius, vel successor, illam litem continuare non poterit, verum in praejudicio debebit aliam actionem fundare.

An illo, qui ex dolo etc. potuisset ad invalidationem agere, moriente, haeredes illius possint agere aeque ex dolo? aliqui negant ex eo, quod

dolus fuerit personale quid, et cum persona decepti exstinctus sit, et quod licet revocaverit, revocatio tamen cum persona illius exstincta sit. Aliqui adfirmant ex eo, quod ubi bona subversantur, haeres cum eo, cujus est haeres, una persona civiliter fit, quemadmodum propter non praemonitum patrem potest filius agere ad invalidationem, quia non acquirit novum Jus, nisi quod in ipsum a patre transderivatum est. Verum si bona avitica et immobilia fuerunt, praestat ex praejudicio agere, vel ex non facta praemonitione, secus nullam videntur actionem habere successores nisi fors nullitas plane manifesta sit. De hoc Processu adhuc observandum, quod etiam propter dolum etc. substantialem, et nullitatem contractus importantem praestat semper foro Tabulari ad invalidationem agere, nisi accessorie coram foro Pedaneo sepositio commode peti possit.

3. Ad sepositionem coram foro Pedaneo, nempe successionalis Processus Judice aeque ex dolo, vel fraude, metu etc. fundatur in iisdem legibus, in quibus invalidatorius. Haec sepositio accessorie petitur in Processu principaliter ad rehabendam aliquam rem sua via moto v. gr. successionali Processu, vel tantum ad restitutionem in integrum et accessorie ad sepositionem contractus, qui repositioni, vel restitutioni obstaret. Casus praeter dolum, et fraudem etc. in quibus seponitur contractus sunt: 1) Contractus pupilli in aetate illegitima, ex 111: 1ae. 126: 1ae, actione Tutoris. 2) Contractus, et alienatio Tutoris, si non fuerit utilis, actione pupilli jam legitimae aetatis ex 68: 1715.

32: 659. 24: 1687. 3) Alienatio quoad portiones fratrum indivisorum. 47: 1723. 4) Si contractus lingua contrahenti ignota concinnatus eidem vernacula non est explicatus. 13: 687. 5. Si vidua ultra dotem bona oppignoraverit etc.

4. Ad desumptionem vinculi, de quo Processu jam alias diximus. Nunc id in genere observandum, quod vinculum Juris viam non potest praecludere, ubi lex illam admittit, v. gr. invalidatoriae actioni sive per contrahentem ob defectum aetatis perfectae, sive per successores ob praejudicium movendae, non potest obsistere. Nec liberat ab Implemento nisi expresse ita conventum sit. Si vinculum absque Implemento quaeratur, potest moveri Processus coram Judice vel Debiti vel Implementi, prout etiam quoad pecunias ex alio, praeter mutuum, Contractu resultantes. Res aliae ex Contractu Debitae Instituto et Judice Implementali quaeruntur.

5. Processus damni coram Judice liquidi debiti, cujus naturam imitatur. Actio fundatur in 22: 3ae appellatur extra Dominium.

Evictionalis Fundamento 74: 1ae, in litem qua unus contrahentium conventus est, alterum pro evictione praestanda citat. In omnibus his Processibus et Liti et Juri praescribitur.

CAPUT

CAPUT XIX.

De Cambio.

Hactenus egimus de contractibus in genere, jam de iisdem in specie.

Cambium in sensu Juris nostri est contractus, quo fundus immobilis pro alio fundo immobili permutatur. Fundamentum cambii est commodior possessio, hinc valide possum cambiare etiam avitica. Imo etiam majora, et fructuosiora bona pro minoribus, si commoditas svadeat, valide dari possunt. Licet vero multo fructuosiora dederit quis, et longe majora, sed incerta, multis involutionibus obnoxia, lite revindicanda, et pro incertis illis certa bona, licet longe minora, accepit, tamen non possunt invalidare successores, quia fatiga alterius compensant inaegualitatem. In cambio licet quis avitica cambiet, tamen non requiritur praemonitio, quia non est alienatio, quia tantum recipitur, quantum datur, saltem moraliter, si non physice. Si tamen fratres, aeque talia bona possunt et volunt dare, quam extraneus, tunc illi habent praelationem si admonuerint cambiare volentem, quia tunc cessat ratio 70: rae, quia idem possunt praestare fratres, quod extraneus, ergo debent bona penes familiam manere. Cambium redolet naturam Cambiati, id est acceptum bonum naturam dati habebit. Si utraque pars mera bona det, vocatur cambium purum, si alteruter pecuniam superaddat, vocatur mixtum. Si bonis solum sexum masculinum concernentibus superaddatur pecunia

avi-

avitica, ex illa debent faeminae excontentari. Si vero pecunia cambiantis acquisita fuit, ab intestato in illa pecunia non succedent puellae. Cambium aliud est adhuc perennale, aliud temporale, quod imitatur naturam pignoris. Licet autem sit perennale, tamen nôn est de essentia illius, ut coram loco autentico celebretur, quia nôn est alienatio. Ergo sigillum autenticum quoad cambium non est quidem de esse, verum de bene esse. Si ex cambio perennali exmissa est clausula; Nil Juris etc. tunc uno deficiente ad alium devolvitur, sed ille superstes id, quod in cambium accepit. Fisco cedere debet, illud vero, quod dedit, rehabebit. Si consensus non est superinductus, deficiente uno cambiante, si ille Donatarius fuit, Fiscus superstiti cambianti aufert id, quod deficiens ipsi dedit, restituit vero id, quod superstes deficienti dederat; si vero consensus est superinductus, tunc contentus esse debebit Fiscus eo, quod deficienti datum est. Cambium de bonis indivisis per unum celebratum, quoad portionem cambiantis stat, quia quod ille accepit ex defectu illius, ad reliquos fratres devolvetur, quoad portiones vero reliquorum invalidatur. Cambium aliud est sincerum, id est, si revera bona fide cambium celebretur. Aliud est fraudulentum, quo sub specie cambii fassio, vel pignus latet id est, revera vendidit, non cambiavit, et vel solam pecuniam, vel bona etiam sed supra medietatem, et in potiori parte pecuniam accepit, quia sic erit ve ditio, quia a potiori fit denominatio. Sincerum cambium non potest invalidari, verum fraudulentum potest, nisi successores id facto suo

rati

rati habuerunt, id est pecuniam, vel bona accepta absque reclamatione Juridica in utilitatem suam converterunt, illis usi sunt. Collaterales vero fraudulento tali cambio contradicere, et Jura sua sustentare debent. Imo licet cambium sincere celebratum sit, tamen potest invalidari per successores, qui contradixerunt, si mere pignoratitia pro haereditariis accepta sunt (quia tunc idem est, ac si pecunia tantum accepta esset) vel aliquod onus bonis acceptis inhaeret, de quo cambianti non constabat, Licet autem 71 : iae de solis fratribus agat, tamen non est deneganda actio filiis ad invalidationem fraudulenti cambii, imo de fratribus nonnisi tunc intelligendus est 71 : iae, si descendentes cambiantis non adsunt, quia tunc enascitur illorum successio.

Fidei commissa, qualia sunt bona Majoratus, vel Ecclesiae, nec cambiari possunt, quia solus Dominus potest cambiare, atqui Majoresco non est Dominus, verum tantum usu fructuarius, ut nec Praelatus bonorum Ecclesiae.

Processus ex materia cambii 1) Ad implementum, 2) Ad invalidationem ex dolo, et fraude potest movere ille qui cambiavit. 3) Ad invalidationem fraudulenti cambii movent successores. Fundatur actio in 71: iae. Qui suo facto approbavit cambium, non potest invalidationem illius petere. Actoratus est bonorum aviticitas. Meritum est edoctio ejus, quod simulatum sit cambium, vel quod fassio lateat sub cambio, quae nisi fuerit necessaria, vel rationabilis, invalidabitur.

CAPUT

CAPUT XX.

De Emptione, et Venditone, et Fassione perennali.

Emptio, et venditio est contractus, quo res aliqua pro pecunia in alterum transfertur. Res debet esse, quae vendi potest, et est in commercio, et praestari potest physice, et mora iter.

Emptio, et venditio est coneractus, qui in regula solo consensu perficitur, et tantum ad effectum producendum requiritur traditio rei. Nec scriptura est de essentia (nisi sit fassio perennalis) sed tantum fit probae causa.

Si res in genere vendita est. v. gr. una ovis ex grege, vel unúm vas ex cellario, et ante traditionem pereat, nocet venditori, quia adhuc ille est Dominus, sic si pecunia ante numerationem et traditionem pereat, nocet emptori, quia pecunia est res in genere, quod plures species in se continet, jam vero rei in genere promissae non simus Domini ante traditionem, ergo emptor mansit Dominus pecuniae, res vero perit Domino. Si res in specie est vendita sub conditione aliqua, vel ut prius in scriptum redigatur contractus, deberet quidem stricto jure contractus, et conditio impleri, si nempe implementum ejus ab arbitrio partium contrahentium pendet, verum secundum consvetudinem, potest quaelibet pars adhuc recedere a contractu, nisi quod emptor a contractu resiliens arham perdat, venditor arham induplo restituat, et si interea res pereat, donec conditio impleatur, vel in scriptum redigatur contractus,

licet

licet conditiones has implere in facultate partium esset, perit venditori, uti etiam tunc, si res vendita numero, mensura, vel pondere constet, et ante numerationem, etc. pereat, quia adhuc aliquid restabat ad agendum, non fuit perfectus contractus. Si autem res in specie, et determinata absque conditione sit vendita, et dictae circumstantiae vel non adsint, vel jam superatae sint, et ante traditionem casu pereat res, Jure naturali nocet emptori, quia ante traditionem factus est Dominus talis rei, nec potest talis res jam alteri vendi Jure naturali, ergo si comodum, et fructus nefors ex re enascentes vult, debet velle etiam incommodum, et periculum. Verum cum usuroboratio ad valorem contractuum plurimum efficiat, et experientia docet illum, cui posterius est res vendita, sed prius tradita, non semper ejici ex Dominio rei, ut aequum in tali casu judicium ferri possit, ad omnes circumstantias attendendum, et si culpa, vel mora alterutri imputari possit, etiam damnum ille tolerare debebit, si neutri possit imputari, Jure stricto ementis erit damnum, quia res perit Domino.

Emptio, et venditio Jurium possessionariorum titulo perennali solenniter facta vocatur fassio perennalis. Requiritur. 1) Ut fiat coram loco, vel persona autentica sub sigillo majori, secus licet stylus perennalitatem sapiat, erit pignus, et quidem licet tantum ad externam formam requiratur sigillum autenticum, hoc formae vitium non supplet lapsus temporis, cum tamen alias non solum

extrinsecum, sed etiam intrinsecum vitium praescriptione, extingui, et emendari soleat (sic errores in Statutione commissi lapsu temporis emendantur, emptor rei furto ablatae, praescribit, etc. sic si fassio ob quamcunque causam per legem pro nulla declaretur, tamen praescriptione firma evadit, et denique quamvis ad id, ut inter fassionem sub privatis sigillis celebratam, atque sub autentico sigillo factam aliqua distinctio adsit, (quae in isto casu si fassioni sub privatis sigillis factae praescriberetur, nulla futura dici posset) sufficere videatur id, quod fassio sub privatis sigillis celebrata ante 32 annos, nullo respectu habito ad rationabilitatem, et necessitatem illius, velut formale pignus tractari, et bona simplici relutorio Processu readquiri possint: cum tamen lex anni 13: 47: 1723. tales fassiones pro hypotheca declaret, in illa vero non currat praescriptio, neque in tali fassione currere decisum est, licet pignus formale non sit, nec sit intentio contrahentium, ut titulo reluibili transferantur bona, ut in pignore, nec detur actio ipsi fatenti contra fassionarium, ut oppignoranti contra pignoratarium, verum successoribus illius, vel si bona indivisa fuerunt, fratribus. Quemadmodum autem temporis lapsus, ita nec ullus rationabilitatis, vel necessitatis casus potest supplere defectum autentici sigilli. Nec de acquisitis facta sub privatis sigillis fassio sapit perennalitatem, licet ipse venditor acquisitor inferat in contractum, quod pro tali velit haberi, ac si sub autentico sigillo fuisset celebrata.

Re-

Requiritur. 2. Ut fatens in persona adsit coram loco, vel persona autentica, vel saltem plenipotentiarius illius; in hoc casu debet fassionalibus literis inseri plenipotentia, quam produxit. Si fassio non coram loco autentico, verum coram exmissis ejusdem celebretur, debet exmissio per Capitulum vel Conventum in expeditione fassionalium recognosci, item quod revelatio sub juramento peracta sit per exmissos, quia absque exmissione Capitulares, vel Conventuales sunt tantum privati homines.

3. Requiritur praemonitio erga commterestatos Juris, et sanguinis communionem in bonis habentes. v. gr. 1) Filii, et filiae jam in patria potestate non existentes, verum per divisionem, vel emaritationem emancipatae praemonendae sunt. 2) Ascendentes. 3) Collaterales juxta proximitatem gradus. Si in uno gradu plures sint, pendet ordo admonendi ab arbitrio admoneri curantis, et contra in eodem gradu stantem ex non facta praemonitione non datur actio. Admonitio debet esse Judicialis, id est per personam Judicialem, potest fieri per Juratum Tabulae Regiae, aut per Jurassorem solum, ut Decisio Cur. Si multi essent praemonendi, sufficit in generali congregatione Comitatus publicare voluntatem, et conditiones vendendi, quae candide semper cum praemonitione insinuandae sunt. Vicini si praeemere volunt, habent Jus praeemtionis post sanguinem prae extraneo, sed ipsi debent praemonere fateri volentem cum summa integrali, sic faeminae quoque in bonis solius sexus Masculini habent Jus praemonendi, et praeemendi, sed praemoneri non debent, quia sunt

extranei. 12e 60. Si ex praemonitis nemo se pro emptore insinuet, vel insinuet quidem, verum pro pecunia deponenda non compareat, ab admonente extranei debent testimoniales super peracta admonitione, et bona vendi possunt.

Fassio alia est necessaria, quae fit in casu extremae necessitatis, et ita fortis est, ut invalidari non possit, verum si casus necessitatis in fassione non est specificatus, debet a fassionario specificari, et probari. Alia est fassio simplex, quando nulla necessitas, imo nec utilitas fassionis adest, verum tantum ex malitia, et propter gulam, vel luxum abalienantur. Alia est rationabilis, quae vel ex necessitate licet non extrema, vel saltem ob utilitatem familiae fit. v. gr. si pecunia illa utiliora bona familiae fuerunt redempta, si quarta, dos, parafernum, allatura aliter non potuit exsolvi, si utilia aedificia exstructa sunt, v. gr. molendina etc. aut bona alia insigniter meliorata sunt, v. gr. cambium utile celebratum, et sic pecunia superaddita, vel ob sumptus Insurrectionis aut Processuum necessariorum sunt bona vendita, vel bona quidem magna, verum incerta, et involutionibus obnoxia apud alios haerentia sunt vendita, et pauciora, verum certiora sunt procurata etc. Simplex fassio semper invalidatur, verum investita summa tota emptori refunditur, imo etiam rationabilis, si non fuerint solidae rationes alienandi, invalidatur et tota summa per I. liquidata eidem per actorem una cum meliorationum pretio refunditur. Et quidem cum hodiernis temporibus fassio vivo fatente

quoad

quoad portionem propriam, cujus Dominus fuit, invalidari non possit, et tota summa investita deponi debeat liquitanti fassionario, nec praeterea aut homagium alienantis, aut quidquam, ut Jure antiquo deponi soleat, hinc quod hodiedum in literis fassionalibus onera filiorum, filiarum, fratrum assumuntur, est de stilo antiquo, nec unquam alium effectum hodie producit, sive in genere, sive nominatim sit assumptio.

b. Processus ex materia fassionum.

1. Ad invalidationem ex praejudicio. Movetur coram Tabula Regia post mortem fatentis, quia viventis nulla successio, ergo occasione mortis enascitur praejudicium ex impedita successione Movetur autem per illum, quem successio concerneret, v. gr. in absentia descendentium, etiam per collaterales, prius non, quia tunc est praejudicium collateralibus, si nulli descendentes Jus successionis in bonis illis habentes adsint, verum interea contradictione debuerunt collaterales Jura sua sustentare, nempe existentibus directis fatentis successoribus. Actio fundatur in 58 : 59: 1ae actoratus quaestio est connexio cum fatente, et Juris et sanguinis cum eo communio, et eductio aviticitatis, (haec probantur per divisionales, vel testes) quia tantum ex aviticorum alienatione potest praejudicium enasci. Meritum est an fassio fuerit necessaria, vel rationabilis? est ergo in regula mere facti Processus, nec debet actor Jus suum radicale in regula probare, quia alioquin Jus actoris Incattus non negat, quia Juri illius, et fassioni inhaeret, et rationabilitate ejus se defendit. Si recedat a Jure faten-

tis,

tis, et distincto Juri inhaereat, v. gr. Juri Regio, quod nefors consensu superinducto accessorie illi collatum est, id debebit probare, si non probabit, punietur, ut supra diximus, nec poterit amplius rationabilitate fassionis se defendere, quia diverso Juri inhaerendo illam pro nulla declaravit, nec Statutio pura juvat fassionarium contra fatentis successores, verum sola rationabilitas fassionis. Potest tamen fassionarius obvertere, quod familia fatens temporaneo tantum Jure bona illa possederit, quod si probet, vel saltem talia documenta adferat, ut merito Judex dubitare possit de soliditate Juris actoreí, tunc nisi firmum, et solidum Jus actor edocuerit, fassio stabilitur, quia praejudicium in Juribus fluxis, temporaneis v. gr. contractu, Camerali acquisitis (quia 59c. iae de solis Donationalibus stricte loquendo intelligi debet: licet exempla etiam in contrarium adsint) aut obscuris, ir[illegible]alibus, vel ex origine quidem sua firmis, verum per facta fatentis familiae ante fassionem actionalem interventa v. gr. transactiones, fassiones, et alias involutiones rescissis, et debilitatis non potest enasci, ut nec in talibus, quae fatens actu non possedit, verum longa lite revindicare debuisset. Cum tantum Jus translatum est, et pro incertis aliquid certi acceptum est, fassio sapit transactionem, et quamvis ob defectum rationabilitatis invalidetur, tamen nihil actori adjudicatur, verum reponuntur bona ad statum antefassionalem, ut remoto obstaculo fassionis, actor eadem exquirere possit. Si non Juri Regio, verum tertii alicujus Juri inhaereat fassionarius a fassione resiliens, et diversum possessorii titulum producat,

quam

quam fassio actionalis, tunc etiam actor facile ad Juris probam praestandam adstringitur, quin incatto diversi illius Juris, cui inhaeret, proba imponatur. Sanguini facta fassio non tam facile invalidatur, quam extraneo celebrata, quia manent bona apud familiam. Si plures fassionem intercesserunt v. gr. patris fassionem confirmavit filius, nepos non poterit invalidare, nec ille potest ad posterioris per ipsum celebratae fassionis invalidationem agere, qui jam alteri prius cum clausula: Nullum Jus. Eadem bona fassus est, ut nec ad invalidationem fassionis paternae, si ipse aliam fassionem celebravit. Si quis homo a Majoribus suis titulo temporaneo acquisitis fassionem perennalem superinducat, et vendat, filius ejus invalidare non poterit, quia fatens fuit Juris acquisitor. Si fassionis expositio generica est, per fassionarium ad specificum deduci debet, et probari; si vero specifice exprimuntur in fassione motiva fassionis, fidem habent, donec actor contrarium probet, nec debet probare, nisi de futuro sonent. Verum conjux, cui fassio facta est, semper debet expositionem probare, quia in contractibus inter conjuges celebratis, lex intrinsecam falsitatem praesumit, donec contrarium probetur. Fassio inter sexum, et sexum difficilius invalidatur, et majores probas requirit, quam inter extraneos. Fassionem fassionarius producere debet in Processu contractorum Nobilium, licet a fassione resiliat. Quia facto suo approbavit fassionem v. gr. participavit ex pecunia patri data absque contradictione, non habet actoratum ad invalidationem. Si frater fateatur fratri, postea abs-

que

que prolibus moriatur, tertius frater potest agere ex praejudicio, quia in parte bonorum ille deberet succedere. Si quis pecuniis acquisitis revindicat avitica, atque iterum eadem vendat, fassio illa invalidari non poterit. Quia incapaces sunt possessorii, nec perennales fassiones valide celebrant, imo si illis celebretur fassio, vel ex incapacitate possessorii fundamento legum alias citatarum, utpote 16: 23: 1715. coram foro Pedaneo, vel vero ex praejudicio, aut non facta praemonitione; edocto actoratu, id est aviticitate, et nexu cum fatente, nullo habito ad rationabilitatem fassionis respectu, ex bonis ejiciuntur. Si quis pignori fassionem superinducat, et in Processu invalidatorio pignoris titulo, et conditionibus illius inhaereat, non auditur, verum ad liquidandum adstringitur, ut in omni fassione invalidata fieri solet; si nolit liquidare, liquidat actor, et executio penes ejus liquidationem peragitur. Propter civiles fundos aviticos abalienatos non datur actio ex praejudicio, uti nec propter quascumque res immobiles inter vivos alienatas, verum si mortis causa id est testamento alienentur, datur actio ad invalidationem testamenti.

Alter Processus est ex non facta praemonitione. Moveri potest etiam vivo fatente contra fassionarium in possessorio bonorum existentem. Decurrit coram Tabula Regia. Actio fundatur in 60. lae Actoratus quaestio est in edoctione communionis Juris, et sanguinis, item quod bona fuerint avitica. In merito I. debet probare vel factam

etiam esse praemonitionem, vel non debuisse fieri v. gr. non debet fieri, si fassio fiat in extrema necessitate, vel si Jura tantum rei indicandae vendantur, sic non debet praemoneri confatens, vel qui eadem die coram eodem Capitulo eidem vel fassionem, vel cambium celebravit. Non debent praemoneri filii non emancipati, verum sufficit, si pater ipsorum praemonitus est. Etiam tales condivisionales debent praemoneri, qui nihil ex familiae bonis jam possident, verum illa alienarunt, quia per id successioni sperativae in bonis apud alios fratres existentibus, et Juri illa praeemendi non renunciarunt. Inter pares, id est eodem gradu stantes nulla praelatio. Si frater agat ex non facta praemonitione frater in eodem gradu stans, non potest se ingerere. Si duo fratres indivisi celebrent fassionem, unius filius movet ex praejudicio, alterius filius non potest se ingerere, verum aliam litem quoad ratam suam erigat, quia etiam prior nonnisi quoad ratam suam potuit actionem erigere, quia alterius fratris confatentis filius vivit, adeoque ex praejudicio non potest illius ratam petere, ex non facta praemonitione atque non potest, quia pater ipsius, qua confatens, non debuit praemoneri. Si fratres ex non facta praemonitione invalident fassionem, filii, vel nepotes fatentis ex praejudicio illis auferent. Emptor invalidata fassione liquidat, verum si durante lite voluptuarias investitiones faciat, hoc ipsi non refunditur, si deteriorationes faciat, hoc imputatur.

Ali-

CAPUT XXI.

De Inscriptione pro fidelibus servitiis.

Si sint bona avitica, sive acquisita, possunt pro fidelibus servitiis inscribi etiam perennaliter, et quidem absque praemonitione condivisionalium, quia fundamentum inscriptionis et motivum sunt pure ita personalia. Inscriptionem temporaneam etiam Fiscus debet tolerare, et exspectare annorum effluxum perennalis absque consensu Regio, ubi ille requirebatur, non tenet. Si demonstretur servitia non esse praestita, invalidatur inscriptio sive temporanea, sive perennalis sit. Si generice tantum sint attacta servitia in inscriptione, vel sit pro futuris servitiis, inscriptionalista debet probare servitia praestita esse. Si vero specifice enumerentur servitia actor invalidare volens debet probare irrealitatem, id est falsitatem expositionis. Inscriptio pro fidelibus servitiis, si illa servitia praestita sunt, nunquam invalidatur; verum si excessive sit remuneratio, et servitia exigua, tunc ad proportionatum praemium reducitur. Si sit inscriptio cum clausula: Nullum Jus etc. succedet Fiscus ab instantia deficienti inscriptionalistae. Si vero absque clausula illa sit, succedet familia inscribentis, in summa superaddita vero, si nempe inscriptio mixta fuerit, ac etiam in aliis meliorationibus succedet Fiscus, nisi inscriptionalista sit subditus inscribentis, quia tunc et in summa, et in meliorationibus Dominus inscribens, aut illius successores succedent.

Pro-

Processus sunt iidem fere: qui ex fassione perennali. In invalidatorio doceri debet avitieitas etc. Si inscriptio sit temporanea, sapit pignus. et ita celui:ur.

CAPUT XXIII.

De Pignore.

Pignus sumitur primo pro re in securitatem debiti data. Si non tradatur effective creditori, verum maneat apud debitorem vocatur hypotheca, estque, vel generalis, quae etiamsi expresse non sit obligata, natura iter in est omnibus bonis debitoris, vel Selectiva, dum debitor securitatem promittit in rebus suis ad liberam creditoris electionem, alias vocatur optionalis, vel denique Specialis hypotheca, qua determinata res est obligata. Pignus ad manus creditoris datum adveniente tempore per contractum, aut Judicem determinato, potest vendi, si Dominus pignoris non compareat, et non solvat, si vero non est tempus determinatum, post admonitionem Judicialem vendi poterit, si intra 15 dies non respondeat, vel non solvat admonitus, hoc ex consvetudine. Si res in securitatem data pereat casu, nocet Domino, id est debitori, et ille nihilominus tenebitur satisfacere creditori. Expensas in conservationem rei per creditorem factas tenetur debitor refundere, nisi creditor re illa utendo illas sibi compensavit,

nam

nam in regula pignore uti non licet, nisi hoc expresse per debitorem admittatur. Si pars debiti deponatur, pignus tamen non debet restitui. Si pignus in natura non possit reddi, debet in aequivalenti, nisi casu perierit. Processus ad recipiendum pignus imitatur naturam, et judicatum liquidi debiti. Fundatur in prologali 5 quod suum cuique tribuendum sit, et Ulad. D. 3. initio, ubi dicitur suum cuique tribui, naturae praeceptum esse.

Secundo. Pignus Jure Hungarico sumitur pro emtione, et venditione bonorum immobilium temporanea, ut impletis conditionibus in statu quo restituantur. Olim si ultra communem aestimationem bona oppignorabantur, consensus Regius requirebatur, nec tenebantur successores, aut illis deficientibus Fiscus vel donatarius, ultra communem aestimationem quidquam deponere pro bonis, imo ultra summam 30 fl. formalis statutio in pignoribus peragi debuit rae 69, 65; 83, 125; 1647. hodie nec consensus, nec Statutio requiritur, et tam successores, quam Fiscus, vel Donatarius ex defectu oppignorantis agens totam summam deponere tenentur, nisi bona pura Donatione acquisita ultimus deficiens oppignoret, quia, ut aliqui dicunt, hoc contra 26: 1715 non potuit facere. Licet in lege illa tantum testari prohibeatur ultimus deficiens de bonis talibus, jam vero saepe licet inter vivos id alteri dare, quod mortis causa non licebat. Si vero bona fuerint Donatione mixta acquisita, ad vires summae inve-

veritate etiam ultimus deficiens potest testari, eo magis impignorare. Bona extradonationalia cum Clausula Nullum Jus acquisita fuerint in formali pignore, licet per ultimum deficientem celebrato; aeque deposita investita summa debet Fiscus reluere, legalia pignora vero, id est fassiones perennales invalidare, aut ex defectu in extradonationalibus succedere non potest, quia non est propagativus haeres, ergò tantum in corpus bonorum deficientis succedit (in Donationalibus ex defectu etiam talia sibi vindicat successionali Processu, nisi consensus superinductus sit fassioni) Si fassioni sub privatis sigillis celebratae Fiscus consensum dederit vel Palatinus, non potest Fiscus defectum autentici sigilli obvertere, et bona sibi vindicare; si vero consensum non dedit, deficiente fatente, ante tempus praescriptionis 100 annorum, potest Fiscus sibi vindicare, et reluere; postea non potest, quia intuitu Fisci, et extraneorum, currit praescriptio in tali fassione, quia 47: 1713. de solo sanguine, et quidem stricte de indiviso loquitur, 13. 2ae quidem jam ante 1723. tales fassiones nihil perpetuitatis continere dicit, verum tamen ante 1723. praescriptibiles erant, et non obstante ulla rationabilitate; vel necessitate, revindicabantur, nisi praescriptum fuerit.

Pignus aliud est Conventionale, quod definivimus. Aliud Judiciale, quo bona debitoris per executionem creditori assignantur, quae triumphans

phans perennaliter valide fateri non potest, verum debitor potest, modo creditori ex toto satisfiat, nec tenetur partem bonorum remittere, quamdiu totum non reluitur, et non exsolvitur. Aliud Legale quod lex ipsa constituit, v. gr. titulo do in obligata.

Pignoratarius habet dominium utile, ergo lucrum bonis acrescens illi fructificat, deficienti etiam haefors colono ille succedit, nisi aliter sit contractum. Potest etiam sub impignorare, verum si proprietarius relue it, illius pignus evanescit, et si in majori summa oppignoraverit, quam ipse habuit, ad evictionem citabitur, quia proprietarius tantum id debet refundere, quod accepit.

Nec stylus absque sigillo autentico, nec sigillum autenticum absque stylo sapit perennalitatem. Proprietarius potest fateri bona in pignore haerentia, verum emptor debet conditiones pignoris servare, quia etiam venditor debebat. Si Pignoratario celebretur fassio, cessabit titulus pignoris, et invalidatorio Processu revindicari debebit. Proprietario bona vendente non potest emptor Pignoratarium ante evolutas conditiones ejicere, quia nemo plus Juris in alterum transfert, quam ipse habet, atqui nec venditor potuisset ejicere. Verum ille, qui diverso Jure veniens triumphat contra proprietarium, v. gr. impetrat tertius bona mihi a Paulo impignorata, ille impetrator triumphans non tenetur conditiones servare, verum ego, quoad pecuniam habebo, regressum ad Paulum.

Pro-

Processus ex materia pignoris sunt:

Primo Reluitorius. Ita vocatur Processus pignoris tunc, quando nulla admonitio, vel tantum amicabilis praecessit, et non Judicialis. Coram Tabula Regia Processus pignoris absque admonitione inchoantur, verum possunt ita inchoari etiam coram foro pedaneo. Actio funda ut in 1ae 80. 82. Pignus aliud est Simplex, aliud Colligatum. Simplex pignus est, si quaelibet portio in specialiter expressa summa licet in una charta impignoretur, sive in uno eodemque Comitatu jaceant portiones, sive in pluribus. Colligatum vero est, si plura bona in una eademque summa in genere oppignorentur. Colligatum pignus potest esse etiamsi bona in uno Comitatu jaceant. Coram Tabula Regia debet reluitorius Processus moveri, si pignus colligatum in pluribus Comitatibus situm est, vel in uno quidem Comitatu sita sunt bona, sed non omnia volo redimere, verum tantum unam, alteramque portionem, quia cum summa pignorititia in genere sit posita, partitio ejus subversatur, quod excedit activitatem fori Pedanei, praeterea, etiam portionum reliquarum possessores debeo evocare, ut resciatur quibus bonis quantum a proportione inhaereat, nisi declarem me totam in genere summam soli Incatto velle deponere. Si vero omnia volo redimere, et omnia illa in Comitatu uno sita sunt, coram Comitatensi Judice possum etiam colligatum pignus revindicare, et quidem si summa pignoratitia non excedat 200 fl. coram Judlium, a 200 usque 3000, vel coram Judlium, vel coram Vice-Comite, à 3000 usque summam indefinitam coram Vice-Comite, et quidem infra 12000 fl.

a. appellatur semper extra dominium, supra vero intra dominium. Expensae non currunt. Si pignus sit simplex, tunc sive unam portionem, sive plures in uno eodemque Comitatu existentes volo revindicare, semper possum coram Judice ejusdem Comitatus, in quo portiones sunt, agere una actione sive penes unam chartam vel contractum, sive penes plures. Si in pluribus Comitatibus sint portiones, in pluribus Comitatibus debeo litigare. Quia si ad singulas portiones clare determinata est summa, cessat ratio Judicatus Tabularis, nisi per auctiones in genere levatas iterum colligatum evasit pignus.

Ad actoratum probari debet. 1) Realitas pignoris, id est quod revera pignus celebratum, et effective traditum sit, probatur per Literas pignoratitias originales usu roboratas, in antiquis pignoribus non sufficit Literas pignoratitias producere, quia multae sunt tales, quae nunquam in effectum abiverunt. Probatur adhuc realitas pignoris auctionalibus, si probet actor quod possessor illorum bonorum sibi auctionem dederit, nisi I. demonstret indebite, et erronee datam esse auctionem, et probet distinctum ab actionali possessorio titulum, id est quod non penes pignus actoris ingressus sit possessorium. Probatur adhuc realitas pignoris cessionalibus Familiae actoris alicui datis, si prodeat cessionarium penes illas cessionales possessorium adivisse. Probatur adhuc transumptis Capitularibus pignoratitiarum Literarum, licet enim illa transumpta talia essent, quae in Juris Processu non sufficerent, (quia Processus pignoris non est Juris Pro-

cessus, nec debet Jus radicale probari, verum tantum factum oppignorationis) tamen nisi I. diversum titulum possessorii adsignet, adstringitur ad liquidandum. * Simplicibus paribus pignus non probatur. Aliqui dicunt, quod licet pignoratitiae Literae produci non possint, si tamen actor divisionales, aut alias Literas tales, licet non privilegiales, producat, ex quibus Jus illius ad bona illa prodeat, Incattus ad pandendum possessorii sui titulum adstringatur. Probatur adhuc ad 60 annos humano testimonio, talium nempe, qui viderunt, legerunt pignoratitias Literas, vel positive sciunt pignus celebratum esse. 2) Debet probari ad actoratum Jus reluendi competere actori, cum in finem debet probari communio sanguinis, et Juris cum impignorante; quod actor sit illius directus descendens, vel si descendentes non adsint, collateralis, et in illis bonis condivisionalis: Si extraneus sit actor, debet probare cessionem sibi a proprietario factam et Jus reluendi datum, et cedentem debet docere nexum sanguinis, et Juris cum impignorante habere. 3) Si pignus, antiquum sit, et modernus possessor non sit primi in pignus recipientis successor, probari debet devolutio de manu ad manum usque modernum possessorem, imo si modernus possessor a pignoris titulo resiliat, probari debet titulo pignoris ad eum bona devoluta esse 82: 1mae quia saepe fit ut bona penes illas Literas, quas actor producit, olim impignorata, jam semel resoluta, licet iterum aliis data sint.

His edoctis actoratus stabilitur, et in merito probanda est quantitas, si nempe particula

tantum praedii, vel possessionis quaeratur, et adhuc localitas, si nempe plures in eadem possessione compossessores sint, applicari debet praetenso fundo, et possessorio Incatti. His probatis imponitur parti Incattae ut liquidanda liquidet, liquidationem ingrediuntur haec: 1) Summa tempore oppignorationis levata. 2) Summae titulo auctionis levatae. 3) Id quod pignoratarius nefors superinscripsit, id est loco proprietarii alicui solvit, v. gr. titulo Dotis, Allaturae, Quantalitii, aut creditoribus si quid dederit. 4) Quod in Processus necessarios, v. gr. proportionalem expendit. Certas expensas, v. gr. insurrectionis causa factas possessor debet ferre, nec proprietarius illas refundet. 5) Aedificiorum pretium, et quidem, si plena in contractu aedificandi facultas data est, omnium; si vero non est data facultas, videndum an tempore impignorationis necessaria, et utilia aedificia adfuerint, vel non, si non adfuerunt, potuit pignoratarius illa ponere, licet in contractu prohibitum sit, nec amittit pretium illorum, quia etiam reluenti prosunt, et talis conditio, vel cautela pro non adjecta habetur, quae fini illi, pro quo quis emit bona, adversatur, si fuerunt, et alia ponendi facultas non est data, non refunditur ipsi, verum potest auferre, si absque reliquorum aedificiorum damno fieri potest. Voluptuaria aedificia nonnisi tunc exsolvuntur, si plena facultas data est aedificandi, non item si pro necessariis, et utilibus data est, meliorationes quoque sumptibus procuratae, refunduntur. Quod in natura ex pignoratitiis bonis haberi potuit, v. gr. ligna aedilia, etc. non refunditur. Uti melio-

ra-

rationes, pignoratario, ita deteriorationes proprietario compensantur, quia in illo statu debent bona reddi, in quo oppignorata erant. Licet probari possit non esse tantam summam levatam, quanta est in literis, id tamen hoc instituto controverti non potest, verum totum refundi debet pignoratario, invalidatorio instituto opus erit ad talem falso expositam summam cassandam. Pignoris Processus nihil valet, si praepignus a possessore obvertatur, et doceatur, quia sic redivit bonum ad manus haereditarias. Sic ad revindicanda communia indivisa ultra meam portionem non possum agere contra fratrem mecum idem Jus foventem, si vel illi sit pignus, aut fassio celebrata, aut successive ad eum bona aliquomodo devenerunt.

De liquidatione adhuc notandum, quod si tutor levaverit auctionem, probari debet per liquidantem, prorsus necessariam fuisse illam pecuniam pro pupillo, secus ipsi non refunditur, sed habet regressum ad tutorem, eadem est ratio etiam auctionum per viduam levatarum, nisi probetur in utilitatem familiae esse impensam pecuniam.

Secundus Processus est Reluitorio-Liquidatorius, in nulla re differt a reluitorio simplici, nisi quod admonitio Judicialis cum minori summa sex, vel trium florenorum praecessit, ut illam levet pignoratarius, et majorem, id est inhaerentem liquidet. Si nolet levare, et liquidare, extrahitur testimonium a Persona Judiciali, medio cujus admonitio peracta est, super admonitione, et responsione, deinde actio fundatur in 80. 82. 1ae 1655. 52. In amissione summae non convincitur,

quia

quia non est oblatà tota summa. Probae eaedem, quae in reluitorio. Effectus praemonitionis cum summa minori, atque non levationis summae minoris vix alter potest esse, quam quod, si clarum sit pignus, et lege veteris tergiversationibus utatur, et Processum protrahat, in fructibus a tempore admonitionis convincitur, quod item si postea aedificia ponat, hoc ipsi non refunditur, licet ex contractu liceret ponere.

Tertius est Reluitorio-Admonitorius. Ita vocatur Processus pignoris, si cum summa integrali est peracta admonitio Judicialis. Summa debuit effective prae manibus Judicis admonentis esse, et per illum admonito pignoratario ostendi, praeterea admonitio debet esse cum communicatione Literalium pignoratitiarum in paribus ad imitationem liquidi debiti 729: 37: ut inde sciat conditiones pignoris impletas esse.

Actio fundatur in 1ae 80, 82, 638; 29. Ad actoratum probandum eaedem probae requiruntur, quas supra retulimus, meritum consistit aeque in quantitate, localitate, et praeterea in redditione rationis, quare non remiserit cum summa integrali admonitus? Si rationem non dat, amittit summam inhaerentem, et gratis redibunt bona, si Juris et sanguinis communionem cum impignorante habens vult reluere. Excusatio admoniti locum habebit, si meliorationum bonificatio non fuit promissa in admonitione, si tota summa investita non fuit oblata; si competentia actoratus admoneri curantis non fuit plana, sed dubia; si conditiones non sunt impletae,

Huc

Huc accedere potest; si admonens Judex Nobilium non habuit commissionem a Vice-Comite, vel Juratus exmissionem a Protonotario. Quodsi vero pignoratarius litem per proprietarios motam, malitiose ad Tabulam Regiam perducat, et pure vexandi studio litem trahat, praeter gratuitam boni remissionem, et investiturarum amissionem, in altera tanta summa convincitur 1ae 24. §. 6. Si quis summam, qua admonitus est, levet, et tamen vel non liquidet, vel non remittat bona, evadit violentus, et cessavit titulus pignoris. Si vero levando totam summam non remittat omnia bona, in fructibus retentae apud se portionis convincetur. Qui penes contractum Cameralem possidens per impetratorem cum summa integrali admonitus non remittit bona, non convincitur in amissione summae hinc argumentari licet etiam ad illum, qui fassione sub privatis sigillis celebrata acquisivit, quia licet talis fassio, et contractus Cameralis sapiat pignus, non est tamen verum pignus, et non in omnibus imitatur naturam pignoris.

Cum pignoratarius facile inveniat rationes, quare non levavit summam integralem, non temere praemittenda est admonitio cum summa integrali, quia Judex admonens, apud quem pecunia deponitur, sibi servabit vigesimalitatem, pro custodia talis pecuniae 609: 14. §. 14. 638: 31. §. 2, et illud damnum nocet succumbenti.

De reluitorio Processu adhuc observandum, 1) Quod licet pignoratarius Donationem bonis super-

in-

induxerit, et puram Statutionem habuerit, tamen reluitorio Processu proprietario remittere, et Jus suum donationale extra dominium persequi debet, idem valet etiam de fassione sub privatis sigillis celebrata, nec contradictionem fuit necesse interponere contra talem Donationem. 2) Si bona oppignorata multis involutionibus utpote fassionibus, donationibus affecta sunt, praestat coram Tabula Regia agere reluitorio Processu, et accessorie illa obstacula rescindi petere quam coram foro Pedaneo, licet pignus sit simplex, et realitas ejus clare possit probari, et licet illa omnia etiam foro Pedaneo seponi possent clare probata pignoris realitate, et de manu ad manum facta devolutione, quia Tabulari Processu tantum tunc esset necessarium agere, si pignoris realitas non potest probari, et ideo Juris proba requireretur, uti alias diximus. Idem observandum de fassionibus sub privatis sigillis, quae licet bona in uno Comitatu jaceant, tamen si tales quaestiones subversentur, quae forum Tabulare requirunt, coram Tabula Regia discuti possunt, et debent.

Quartus ad Invalidationem Conditionum Pignoratitiarum. Quia quamdiu Conditiones pignoris in Literis pignoratiis stipulatae non implentur, eo usque dicti reluitorii Processus non possunt moveri, si vero nolit quis illas implere, vel non possit, vel non debeat, quod sint illegales conditiones, Processu Tabulari debet agere ad invalidationem illarum, et simul ad reluitionem, quia invalidatorios Processus alioquin liquidatio sequi solet. Actio fundatur in 58: 59. 1ae et 80: 82: 1ae 655. 52. et aliis de pignore sonantibus

le-

legibus. Est ergo hic Processus ex invalidatorio, et reluitorio compositus. Adeoque ad actoratum realem debet probari aviticitas bonorum, quia tantum aviticia non licet illegalibus conditionibus afficere, licet non desint, qui dicant, etiam acquisitis superinductas conditiones illegales posse per successores invalidari, (licet perennalem fassionem de talibus non possint invalidare) quia per pignus non perimitur successio, verum per fassionem perennalem perimitur in acquisitis, ergo si voluit pignus celebrare, debuisset leges observare, sic fassio sub privatis sigillis celebrata potest per successores invalidari, licet de acquisitis sit, quia nec primus acquisitor potest contra legem facere. Probabilius videtur conditiones quae in perpetuum impossibilem reddunt reluitionem, etiam in pignore per acquisitorem celebrato posse invalidari, quia non praesumitur pignus celebrare, et tamen reluitionem impossibilem reddere voluisse, quia hoc repugnat. Aliae vero conditiones, licet illegales implendae sunt. Praeterea omnia illa probari debent, quae in reluitoriis Processibus ad actoratum requiri diximus, utpote condescendentia ab impignorante, realitas pignoris etc. In merito agetur de rationabilitate, vel irrationabilitate conditionum, localitate etc. Si conditiones sint irrationabiles, invalidatur pignus, id est, tales, quae vel impossibilem, vel valde difficilem redderent reluitionem v. gr. 1) Si ultra 32 annos sit oppignoratio (quia tale pignus majus praejudicium infert, quam perennalis fassio, quia perennalis fassio mortuo fatente statim potest invalidari) licet autem in Literis pignoratitiis 32 anni

sint

sint obligati, possunt tamen tempore auctionis levatae iterum anni aliquod adjici, quia auctionalis contractus diversus est a priori. Verum si tutor obliget annos, talis conditio non probata per pignoratarium necessitatis caussa coram foro Pedaneo in reluitorio Processu seponi potest. Inscriptio pro fidelibus servitiis temporanea potest ultra 32 annos fieri. Illegalis conditio est etiam illa: 2) Ut bona non possint relui, nisi determinata specie monetae talis, quae rara est, et difficulter colligitur. 3) Ut ante refusionem, vel exactionem restantiarum colonorum non teneatur pignoratarius bona remittere, quia sic sponte accumulari sineret restantias. 4) Si in contractu major summa est scripta, quam revera levavit oppignorans, et hoc probari possit. Et aliae similes, v. gr. ut plures portiones omnes ad semel debeant relui, verum si oppignorans ipse reluat plures portiones, et postea iterum oppignoret, aut reluendi facultatem alteri cedat, et cessionarius effective reluat, possunt ita obligari, ut ad semel debeant relui, illegalis est etiam conditio, si ita obligentur bona, ut si effluxo certo tempore non redempta fuerint, iterum totidem annis non possint relui, aut si ita oppignorentur, ut propria pecunia debeant relui, et non mutuo levata etc. Rationabiles, et legales conditiones sunt autem v. gr. sequentes, si tempus, vel dies reluitioni praefigatur, et non dependeat ab impignorantis voluntate, item ut mature praemoneri debeat pignoratarius. Ut tantum pro usibus familiae proprietariae possit recipi. Ut aedificia liceat ponere, ut ex sementinae regii vel quatuor feminari possint,

aut pluries etc. Invalidatis conditionibus, si actio etiam ad relutionem fuit directa, imponitur liquidatio, ut supra etc. Fiscus in Donationalibus proprietario succedens neque legales conditiones tenetur observare, quia Jure proprietarii venit; non deficientis, nec est haeres propagativus, verum summam investitam debet deponere, quia vi 9: 1715 salvo Jure; aereque alieno succedit. Licet 26: 1715 aliter sonare videatur, verum intelligendus est vel de perennali alienatione, vel ad summum de ultimo, deficiente bona Donatione pura mediante possessa, alienare, et inonerare volente, praecipue si summa notabilis esset, et alienatio absque necessitate fieret. Ignobiles uti possessorii, ita et conditionum incapaces sunt, ergo coram foro Pedaneo seponi possunt illis obligatae conditiones actoratu successorum, aut aliorum Nobilium, quia ipse oppignorans, qui ignobili oppignoravit, et conditiones obligavit, contra factum proprium agere non poterit.

Quintus Processus ex non facta praemonitione, seu ad transvestitionem conditionum pignoratitiarum, movetur etiam contra pignoratarium coram Tabula Regia, aeque per illos, per quos contra fassionarium moveri diximus, qui nempe praemoneri debebant. Fratres vivente oppignorantis linea pignus ejus reluere non possunt, verum ex non facta praemonitione debent agere.

1. Actio fundatur in 60 1ae probari debet aviticitas, et Juris et sanguinis communio cum oppignorante, actoratu stabilito in merito de localitate, et quantitate erit sermo, item de liquidatione. Si bo-

na ad manus proprietarias redeant durante lite cessat actio. Vicini, et sexus faeminei homines ante consummatam venditionem debent se cum summa integrali insinuare et quidem Judicialiter. In civilibus fundis viciniis ex consvetudine competit Jus praelationis, quia 60: 1ae de solis nobilitaribus intelligendus. Si bona indivisa sunt sub sigillo privato alienata, coram foro Pedaneo etiam alienantis portio revindicari potest; sed si divisa sunt, coram Tabula Regia debent fratres agere, nisi frater oppignorans defecerit, quia tunc poterunt reluitorio agere.

Quae bona frater unus in condivisionalem suum cum omni Jure transfert, licet legalem sibi successionem reservaverit, tamen emptor frater illa bona absque praemonitione vendentis, potest qualicunque titulo abalienare, licet indivisa adhuc fuerint bona.

Reliqui Processus sunt iidem, qui ex contractu quocunque enascuntur, v. gr. ad implementum, ad invalidationem ex dolo, fraude, vel sepositionem etc.

CAPUT XXIII.

De Locatione, et Conductione.

Locatio, et Conductio est contractus onerosus, quo quis rerum non fungibilium, vel operarum suarum usum pro certa mercede ad tempus cedit. Ergo hoc contractu Dominium non transfertur, sed tantum usus rei, qui sive percipiatur, sive non, tamen merces conventa debet dari. Si penitus et abso-

ſolute non poſſit percipi uſus, v. gr. ob hoſtem, vel peſtem, nocet locatori, quia caſus nocet Domino, ille eſt Dominus rei. Conductor poteſt rem ſublocare, quia eſt Dominus uſus. Si locator rem vendat, emptor debet conditiones locationis obſervare, quia et venditor debebat, jam nemo plus juris in alterum transfert, quam ipſe habet. Si tempus non eſt determinatum, mature debet pars, quae contractum continuare non vult, hoc alteri ſignificare, quia ſecus tacite conſenſiſſe videbitur, id eſt vel reconduxiſſe, vel relocaſſe, ſi nempe elapſo termino re utatur conductor, locator vero id fieri ſinat.

Si bona immobilia locentur, et conducantur, vocatur A r e n d a. Si pecora dentur cum rebus immobilibus, illa ex natura contractus cenſentur immortalia, et eodem numero, eadem qualitate debent locatori reſtitui, niſi expreſſe aliter conventum ſit, ergo ſi pereant, non nocet Domino, id eſt locatori, verum conductori, id eſt arendatori.

Proceſſus ſunt. 1) Ad implementum. 2) Ad deſumptionem vinculi. 3) Ob fraudem, vel dolum vel enormen damnificationem poteſt vel invalidari, vel ſeponi. 4) Ad deſumptionem damnorum imitatur naturam debiti. 5) Ad deſumptionem mercedis conventae ſeu pecuniae, coram Judice debiti. 6) Computualis.

Si via facti ejiciatur Arendator conditiones obſervans, poteſt etiam absque Proceſſu via politicorum fororum v. gr. Conſilii, Cancellariae penes mandatum Regium reponi intra annum, imo jam absque mandato per ſolum V. Comitem, 22 : 1802.

CAPUT

CAPUT XXIV.

De Commodato.

Commodatum est contractus gratuitus, quo res non fungibilis alteri datur ea lege, ut post determinatum tempus, et certum usum, eadem in specie restituatur. Si ab arbitrio commodantis pendet, quando velit recipere, est Precarium. In commodato nec utile dominium transfertur, quia non habet usum, qualem vult, verum determinatum. Tamen ordinarias expensas, et quotidianas debet ferre commodatarius, ut et conductor, extraordinarias vero pro ipsius substantiae conservatione faciendas commodans, et locans portare tenetur. Si elapso determinato tempore non reddat commodatarius, fit violentus, praecipue si Judicialiter est admonitus. Commodans finito usu, et tempore determinato via facti potest recipere rem suam, modo fiat id absque laesione commodatarii.

CAPUT XXV.

De Deposito.

Depositum est contractus, quo res mobilis gratis custodienda datur, et suscipitur. Quandocunque potest repeti, et debet restitui, licet tempus praefixum non advenerit, quia illud non in favorem depositarii, sed deponentis est obligatum, ergo depo-

ponentem non ligat. Si adveniat Dominus verus, et probet rem suam esse, illi tenetur depositarius reddere, non deponenti. Depositarius re deposita uti non potest.

Processus sunt:

1) Ad simplicem restitutionem depositi, cum refusione damnorum, et expensarum absque alia poena. Actio fundatur in 28: 715. Currit pro ratione substrati coram Judicibus liquidi debiti, cujus naturam imitatur. Processus depositi recentis, id est si non sit 32 annorum, a Tabula Districtuali ad Regiam extra Dominium appellatur, a Judicibus Comitatensibus ad Sedriam intra, inde extra, si casus fortuitus circa depositum intervenisse praetendatur, tunc semper intra Dominium.

2) Ad poenam violentiae coram Vice-Comite, si ad praemissam Judicialem admonitionem non restituatur. Fundatur in 638: 28. 1647. 104.

3) Ad poenam infamiae, et dupli coram Tabula Regia, si nempe contra positivam scientiam, pure ex malitia quis et dolo deneget, rem alienam. Haec poena ideo dictatur, quia qui depositum ita malitiose denegat, positam in ipso fiduciam deponentis fallit. Gravat depositarium etiam id, si depositum sit miserabile, id est occasione calamitatis deponatur, v. gr. ob hostium grassationem etc.

CAPUT

CAPUT XXVI.

De Debitis.

Debitum quoad illum, qui exigendi Jus habet, est activum, quoad debitorem vero passivum. Si debitum ad certam quantitatem reductum ab ipso debitore, recognitum, et in contractum deductum est, vocatur liquidum; quod vero debetur quidem, sed quantitas adhuc a determinatione, limitatione, aestimatione, vel computu pendet, nec est recognita per debitorem, vocatur illiquidum debitum.

1) Species Debiti est mutuum, quod in stricto sensu significat contractum, quo res fungibilis gratis datur, ea lege ut post certum tempus in genere restituatur, quia speciei, quam dedit mutuans, fit Dominus Mutuatarius, id est, qui mutuo accepit. Res illa fungibilis potest esse multiplex v. gr. frumentum, pecunia etc. Mutuum Jure nostro in latiori sensu sumitur, et complectitur etiam illum contractum, quo res fungibilis (id est cujus loco altera res ejusdem generis aeque fungi potest) et post certum tempus in genere suo restituenda non gratis datur, verum erga interusurium. Sic solet dari potissimum pecunia. Debitum hoc vel est penes chartabiancam, vel penes formales obligatoriales. Chartabianca in sensu stricto significat Albam cum nomine debitoris subscripto, verum ex 37: 1729 requisitum chartabiancarum est, ut Da-

tum

tum id est tempus, locum emanationis, quantitatem rei mutuo datae, et nomen dantis seu dorsaliter, seu intus manu debitoris annotata contineat; vel vero, si illa requisita non adsint in chartabianca, debet probari usuroboratio illarum, id est numera io pecuniae, seu quod debitor recognoverit debitum, id est probari debet partem aliquam capitalis solutam esse, aut interusurium, vel saltem probari debet, creditorem super illo debito vel Judicialiter, vel amicabiliter cum cummunicatione chartabiancae admonitum esse. Conditiones solvendi in chartabiancas potuerunt per solum creditorem inseri, et inscribi. Formales obligatoriales vero sunt, quando obligatio, seu contractus per extensum cum denotatione summae, nominis dantis, conditionum per debitorem scribitur et subscribitur. Chartabiancae in usu loquendi vulgari cum formalibus obligatorialibus confunduntur, et re ipsa, si chartabiancae modo supra dicto sint confectae, quoad valorem ab obligatorialibus formalibus non differunt. Etiam in liquido debito (eo magis in tali, quod liquidum non fuit) currit praescriptio, si 32 annis nec interusurium solutum, nec admonitio sive amica, sive Judicialis intercessit, et quidem haec praescriptio 32 annorum inter quoscunque, et cujuscunque status, et conditionis homines locum habet, exceptis pupillis infra 16 aetatis annum existentibus. Si in obligatorialibus tet v. gr. 100 aureos esse levatos, quin specificetur, quot florenos effecerint, tunc ordinarii intelliguntur, id est Caesarei, vel Cremniczenses, et quidem licet ab illo tempore, quo levati sunt, valor aureo-

rum auctus, fit, tamen nonnisi juxta priorem valorem potest exigi, et solvi in qualicunque specie monetae, quia valor moralis spectatur, nisi species, et numerus sint obligata, quia tunc in specie, et numero debent restitui, licet ab illo tempore valor auctus sit, quia per contractum Aleatorium in lucrum, et damnum ex publica dispositione oriundum consenserunt.

Interusurium legale 6. pro centum, si obligatum est (quod vel per ipsas obligatoriales, vel licet illae de interusurio, taceant, humano etiam testimonio probatur) exigi potest, plus nec titulo doni, vel discretionis sive in pecunia, sive in rebus quibuscunque licet acceptare sub amissione capitalis, cujus tertia pars cedit denuncianti; 51: 715. 120: 1723 quod vero supra 6 pro centum exactum est, id damnificato per idem Judicium restituitur. Si pro interusurio labores praestentur, non cadit sub censuram legis, nisi labores relate ad commune eorum pretium sint nimis excessivi. Praeterea licitus, est contractus Societatis quaestus causa initus, ut unus v. gr. operam, alter pecuniam det, et lucrum cummune sit, vel ita dividatur, prout convenire potuerunt. Si non est obligatum interusurium, videndum an tempus solvendo praefixum sit, si est, post illud tempus currit interusurium in liquido debito, non item in illiquido) si non est, tunc post admonitionem Judiciariam curret Interesse, vel a tempore motae litis, si nempe admonitio non praecessit. In illiquidis nec post admonitionem curret. Si creditor post mortem debitoris diu sinat accumulati Interesse, quin illud a filio ejus exigat,

gat, non adjudicabitur illi, licet obligatum sit, quia debuisset mature petere. Imo si non est obligatum Interusurium, a successore debitoris licet admonito, vel lite convento non facile poterit exigi, quia habuit sufficientem litigandi, et non solvendi caussam, quamdiu plene non capacitatur, quod debeat, hoc fit in lite. Si creditor suo tempore judicialiter oblatam pecuniam, vel res mobiles sufficientes non acceptet absque Legali ratione, cessat interusurium, et pecunia apud Judicem deponitur, ex qua adhuc Judex creditori vigesimalitatem subtrahet.

Hungari vi articuli 17: 1792 coram foro extraneo debent Juri stare, et convinci possunt ibidem, et si fundus excontenttaionis ibi non suppetat, Hungarus Judex penes compassuales Judicis extranei medio Cancellariae Hungaricae expediendas debebit executionem ex bonis debitoris in Hungaria existentibus peragere in sequentibus casibus. 1) Si mercator Hungarus Literas-Cambiales de se det, et se directe Judicio Cambiali extraneo in Haereditariis tamen Ditionibus Austriacis existenti subjiciat. 2) Licet se expresse non subjiciat, tamen si promiserit se in loco in exteris Suae Majestatis Provinciis existente soluturum, eo citari, et ibi convinci poterit. 3) Si societatem cum mercatoribus extraneis ad Judicium Cambiale pertinentibus fecerit, et ex contractu illo lis emergat. 4) Si etiam simplex mutuum contraxerit, et pecuniam levaverit, et se expresse extraneo Foro in obligatorialibus subjecit. Verum. 1) Obligationes tales debent esse, quae etiam coram foro Hungarico valerent, v. gr. non Pupillorum, vel sub pa-

tria potestate existentium, et nihil adhuc proprietatis habentium." 2) Si tempore executionis aliquis Jus suum cum fundamento insinuet, aut obligationis illegitimitatem praetendat, tunc creditor, pro quo executio peracta est, coram Judice exequente cautionem debebit praestare, et obligationem in se assumere, quod in casum, si coram Judice procedente, id est extraneo illo, qui Judex causae fuit, nullitas obligationis probetur, vel Jus alterius coram ordinariis *Regni Judiciis ex priori* tate, sive ex aetate debiti, sive ex Intabulatione, aut aliter quomodocunque doceatur, satisfacturus sit. 3) Etiam bona taliter penes Compassuales extraneorum executa pignus Judiciale sapient, et Nobilitares fundi quandocunque, Civiles vero intra annum, et diem relui poterunt. 4) Oppositio quoque locum habebit, si coram exequente Judice error in re, vel persona probari possit. 5) Citatio medio Decreti Cancellariae Hungaricae ad Comitatum, in quo debitor residet, dirigi, et per Comitatum eidem exhiberi debet.

Praeter dictos casus semper coram foro Hungarico debet Hungarus intuitu debiti per extraneum conveniri etiam per creditorem in Ditionibus Haereditariis habitantem. Ad alios vero utpote non in Haereditariis Ditionibus habitantes, nec illi 4 dicti casus pertinent, ergo illi coram Hungarico foro debent semper Jura sua quaerere Observandum adhuc quod extranei tantum propria debita possunt quaerere contra Hungaros, sive extra, sive intra Regnum, non empta debita, et in casu illo tam emptor, quam venditor perdit debitum, 41: 1662.

id-

id est, si quis emat vel vendat, debitum apud Hungarum exhaerens, et Jus illud exigendi, uterque illud perdet.

Si Hungarus habeat debitorem in Austriacis Ditionibus, qui solutionem in Hungaria pollicitus est, vel se foro Hungarico subjecit, contra illum in Hungaria fertur sententia per illud forum, cui se subjecit, et penes Compassuales per Judicem in aliis Haereditariis Ditionibus existentem executioni debet dari, si nempe fundum in Hungaria debitor non habeat. In aliis casibus, si nempe se debitor foro Hungarico non subjecit, coram suo proprio Judice debet contra illum agi, uti etiam contra talem, qui non in Austriacis Ditionibus habitat. Potest etiam ad Suam Majestatem medio Consilii Locumtenentialis per Supplicem Libellum cum adnexis Documentis realitatem debiti avincentibus, recursus sumi, et sua Majestas, si debitor in suis Ditionibus nihil habeat, requiret alium Regem, vel Rempublicam pro Justitia administranda.

Secunda species debitorum Debitum Austzugale, quod extrahitur ex Libro Mercantili Liber ille Mercantilis ita debet esse comparatus, ut omnia debita, et credita mercatoris contineat, cum specificatione acceptarum, vel datarum mercium, temporis, id est anni, diei mensis. Extractus seu Austzug debet singillative speciem mercium cum pretio, item annum, diem mensem continere. Si debitor extractum quandocunque subscribat, evadit debitum liquidum, et via liquidi desumetur, et cessat Nomen Austzugalis debiti. Si vero non subscribat intra annum, per Notarium, vel aliam Perso-

nam

nam fidedignam. extractus cum Libro Mercantili aeque intra annum conferri, et per eum subscribi debet, et penes tale Austzug movetur Austzugalis Processus. Illud Austzug semiplenam probam faciet, et juramento per mercatorem supplebitur. Si mercator Austzug post annum curavit per fidedignam personam subscribi, in Judicio etiam librum Mercantilem producere debet, qui si formiter, et rite confectus inveniatur, ist est rasionibus, cancellationibus careat etc. semiplenam probam faciet, et juramento mercatoris supplebitur, si vero vitiosus inveniatur, mercator ad ordinarias probas relegabitur, id est, ut probet per testes, vel aliter, nec admittetur ad juramentum suppletorium.

Tertia Species est Indebite solutum, id est quod illi solutum est, cui non debebatur, et quod ille refundere obligatur. Si judicialiter est admonitus cum communicatione talis Documenti, unde scire potuisset sibi indebite solutum esse, etiam in lucro cessante, id est in interusurio, et expensis, convincitur coram Judice debiti modo Processu, et actione in 17: 1552. fundata.

Quarta Species sunt talia debita, quae ex rationibus resultant. Omnis, qui rationibus dandis obnoxius est, tenetur quolibet anno rationes dare 1715: 57. et omnis, qui rationes non potest, vel non vult dare, comprehendi potest, licet sit Nobilis 22: 1554. Math. 6, 33. 1622: 65. Omnis, quicunque se in erogationes, et perceptiones ingerit, facit se rationibus obnoxium 22: 1554. 63: 1723. 57: 1715. In specie Officiales Comitatuum, Civita-

tatum, Oppidorum, Villarum, ac Possessionum, item Dominorum Terrestrium, rationes dare tenentur. Comitatus debet rationes exigere a suis Officialibus, qui si illas praesentent, et Magistratus intra bimestre non censuret, et interim Officialis moriatur, damnum emergens non successores illius, verum Magistratus solvet, hoc valet etiam de Civitatibus 63: 1723. Civitatenses Officiales in praesentia Nobilium in Civitate domos habentium tenentur rationes suas dare, si illi Nobiles invitati comparere velint 77: 1715. Quoad Oppidanos, et Pagenses seu Villanos Judices Dominus Terrestris debet invigilare, ut illi de publicis Pagi proventibus rationes dent, si Dominus Terrestris negligat, Comitatus debet exigere ab illis rationes. Supremi ac Vice-Comites, Judices item Civitatum, et Oppidorum non possunt proventus publicos ad suas utilitates convertere, aut damnosas, et inutiles erogationes facere. Si quis tamen illos injuste detulerit, et illorum innocentia ex rationibus prodiverit, in minoribus quidem convincitur accusator quoad singulos accusatos in 100 fl. in majoris momenti rebus vero in poena Talionis, in eadem nempe poena, quae Magistratuales accusatos mansisset, si accusatio fundata fuisset 9: 1567.

Qui debitoris obligationem in se assumit, vocatur Fidejussor, et debitor accessorius. In capitalibus Fidejussio nunquam habet locum; imo nec in aliis ad poenam corporis afflictivam tendentibus, si tamen in his admittatur, et delinquens aufugiat, Fidejussor in poena pecuniaria pro arbitrio Judicis puniendus erit. Si Principalis

de-

debitoris obligatio fit nulla, vel si ille satisfaciat, vel satisfacere possit, Fidejussor non tenetur, ergo primo exequi debet Principalis debitor, si apud illum non sit fundus; tunc convincitur Fidejussor, qui postea poterit regressum habere ad Principalem debitorem, si ille ad meliorem statum pervenerit. Fidejussor etiam interusurio capitalis tenetur, si Principalis debitor illo tenebatur, quia totam illius obligationem in se assumsit, licet aliqui dicant, quod si generalibus tantum terminis obligationem in se assumserit, interusurium non debeat solvere; quia illud nec Principalis debitor tenetur, nisi clare obligaverit. Si plures sint Fidejussores, et se in solidum non obligarunt (id est, ut unus etiam deponat totum, si caeteri non possint, vel fugiant) quilibet tantum partem tenebitur praestare. Debitor nihil habet, quod praetendat in Fidejussore, sed Fidejussor habet Jus, ut invigilet debitori Principali, et si videat illius res inclinare, judicialiter potest admonere creditorem, ut festinet exigere suam praetensionem, qui si in mora fuerit, Fidejussor in casum defectus fundi, si is post admonitionem enascatur, liberatur a sua obligatione. Contra Fidejussorem iidem Processus enascuntur, qui contra Principalem debitorem, verum si diversae conditionis homines fuerint, Judicatus differt, quia Fidejussor coram suo Judice debet conveniri, secus si eundem Judicem habent, pro compendiandis expensis absque poena Calumniae potest eadem lite conveniri, et ad eundem Processum citari, quo Principalis debitor conventus est, verum tantum eatenus feretur contra ipsum sententia, quatenus Principalis solvendo non est par.

Pro-

Processus ex materia debitorum enascuntur. 1) Processus liquidi Debiti. Defluit, nisi aliter sit conventum, a minima summa usque 3000 coram Judice Nobilium. Supra 200 usque 12000 coram Vice-Comite, a summa 1000 fl. Rh. usque indefinitum coram Tabula Districtuali 28: 1715. 31: 1723. 35; 44: 1729. Si capitale 12000 fl. non superet, semper appellatur extra Dominium, secus intra Dominium, nempe supra 12000. Verum licet intra Dominium debeat appellari, si tamen Incattus sufficientem cautionem non potest praestare, et periculum distractionis rerum mobilium adsit, Judex res illas erga cautionem sufficientem triumphanti assignat, si vero nec triumphans sit in statu cautionem praestandi; sumit res illas in Sequestrum Judiciale, et gratis illas conservabit, usque Decisionem fori Appellatorii, tunc triumphanti assignat. Idem observatur si extra Dominium deberet appellari, verum si triumphans non potest sufficientem cautionem praestare, relinquitur res apud succumbentem, si securitas apud ipsum adsit, et in casum approbatae per Appellatorium forum sententiae triumphanti cum fructibus assignabitur, secus Judex sequestrat, id est si neuter possit securitatem praestare 77: 1715. 28: 1729. Et hoc in omni Processu observatur, ubi nempe res mobiles subversantur, quae facile ante Decisionem fori Appellatorii distrahi possunt.

Actio liquidi debiti fundatur in Math. 6: 17. Ulad. 1: 38. 31: 1659. Si interusurium etiam praetenditur in 144: 1647. Cum actione communicari debent tempore citationis cum Incatto paria Obliga-

to-

torialium, cum Visa Judicis, nisi admonitio Judicialis aeque cum communicatione Obligatorialium facienda praecesserit, quae praemitti solet, praecipue si contra successores debitoris agatur. Si tamen Obligatorialium paria cum citatione non transmitterentur, propterea actio non condescendit. Probatur realitas debiti per Obligatoriales, vel chartabiancas, aut humano testimonio, imo etiam Contra Quietantia, aut potius Recognitione super eo, quod quis solverit interusurium. Chartabiancae quales esse debeant, et quomodo per illas probetur debitum, visum supra-Obligatoriales etiam tales esse debent, ut tempus, locus, nomina rite adnotata sint, et omnis Cancellatio, Rasio, Correctio absit, quia si talibus defectibus laborent Obligatoriales, non sufficiunt ad debitum probandum, nisi usuroboratio, id est vel effectiva numeratio pecuniae probetur, vel aliter recognitum sit, v. gr. per solutionem interusurii, aut partis Capitalis. Imo licet numeratio probetur, et interusurium obligatum sit, tamen si dies emansit, pro illo mense, quo emanavit obligatio, non currit interusurium; si mensis emansit. tunc pro anno illo, quo emanavit, non currit. Si annus emansit, nullum interusurium currit licet obligatum sit, nisi hoc omne aliunde constet, potest etiam juramento actoris referiri, praecipue si tantum de mense, et die quaeratur, et alias Obligatiorialis pro valida agnoscatur. Si vero Obligatoriales omni exceptione majores sint quoad formam externam, probatur illis debitum, si Incattus nullas probas adferat super eo, quod non sit numerata pecunia, si adfert, tunc videndum an A. praeter Obligatoriales aliquam

pro-

probam, licet semiplenam, habeat pro numeratione pecuniae, si habet, ille supplebit juramento, si non habet, tunc I. se purgabit juramento, nempe semiplene probans non esse numeratam pecuniam, et is, qui in facto proprio versatur, uti alias videbimus, secus A supplebit juramento, id est si Incattus versetur in facto alieno, actor vero in proprio. Si Obligatoriales inter conjuges confectae sint, contra successores obligantis conjugis numeratio, et euroboratio Obligatorialium debet probari.

In actionibus liquidi, aut illiquidi etiam debiti, ne id, quod nefors jam solvit debitor, bis exigere velle videatur actor, ad evitandam poenam Calumniae solet inferi haec cautela: Imputatis imputandis, defalcatas defalcandis, et ita petitur Adjudicatio acquisitionis, id est praetensionis actoreae.

Incattus in debiti Processibus convictus expensas actoreas per Judicem limitandas refundit, actor vero licet succumbat, tamen expensas Incatti non refundit, nisi vel prorsus nihil probet, vel tantum vexae causa litigaverit absque fundamento. v. gr. capacitatus per quietantias super soluto debito, tamen non destitit litem persequi. Tempore executionis si pecunia non adsit, id creditori assignatur, quod specialiter obligatum erat, juxta aestimationem ut per 6 pro Centum Interusnrium totalis summae convictivae importet absque expensis, et fatigiis. Verum si fundum creditori specialiter obligatum emat alter, manet apud illum emptorem in possessorio existentem, nec debebit quidquam creditori dare, nisi creditor intabulatus

eum-

eundem tempore emptionis Judicialiter inhibuerit. Si nihil est obligatum specialiter, verum selectivam sibi creditor stipulatus est, tunc ille denominat fundum. Si nec specialis Hypotheca, nec selectiva est obligata, nec pecuniam potest, vel vult dare debitor, tunc vi legis 31: 1659. 32: 1723. immobilis fundus deberet executioni subjici pro debitis, et illis non existentibus res mobiles fructuosae secundum justum, et verum illarum valorem, verum cum idem 32: 1723. convicto det denominandi facultatem, ille licet habeat immobiles fundos, tamen saepe mobiles, et quidem non fructuosos, et in pecuniam non facile convertibiles denominat. Si triumphans tali denominato fundo contentatur, debet Judex eidem assignare, si vero triumphans non contentetur illo fundo, licet Judex pro sufficienti agnoscat, tamen non illum, verum ab actore triumphante denominatum fundum debet subjicere executioni, quem si debitor exequi non patietur, ad dandam oppositionis rationem citari debebit, in illo Processu dijudicabitur, an res, vel fundi per debitorem denominati sufficientes fuerint, vel minus? In bonis Fidei Commissis: v. gr. Majoratus, vel Ecclesiarum, pro debitis majorescentis, vel Praelati prius res mobiles, deinde fructus bonorum immobilium sequestratorum sumuntur in executionem, (pro vitae mediis parte aliqua bonorum personae spirituali relicta) 45: 1ae. Si bona sub exequentis Judicis Jurisdictione sita non sufficiant, ad alium Judicem sub cujus Jurisdictione bona adhuc adsunt, debent Compassuales mitti cum convictiva sententia, et ille exequetur, cui si debitor opponat, coram illo debebit op-

po-

positionis rationes dare. Idem fit etiam in illo casu, si debitor citatus ante terminum migret in alium Comitatum, et non compareat, nam si in illo, ex quo migravit, Comitatu bona non habeat, penes Compassuales executioni subjicietur. Nobilis convicti res mobiles in Civitate existentes absque compassualibus exequitur Judex ejusdem Comitatus, in quo Civitas sita est, et coram quo convictus est, praesente tamen aliquo ex parte Civitatis, fundos vero *Civiles Magistratus* Civicus penes Compassuales exequetur. Si convictus rem illam quam ab A. emerat, et in cujus pretio convictus est, vellet pro fundo denominare, res illa non tanto pretio, quo vendita erat, verum secundum aestimationem potest acceptari, prout nempe tempore executionis reperta est. Ad pretium rei venditae non possum contra illum agere, qui actu possidet rem illam, verum contra illum cui vendidi, non contra illum, cui ille vendidit, sive solutum sit illi, sive non.

Successores debitoris ad vires successionis obligantur, ultro non, v. gr. si filius alienata antenatorum bona revindicet, ex illis bonis non tenetur patris debita solvere. Uxor, quae se coobligavit cum marito, tantum medietatem tenetur ex proprio solvere v. gr. ex Allatura, alia medietas ita consideratur, ac si se non coobligasset, verum uti diximus, ex coacquisitis, et prae successione viduali, vel conjugali debebit solvi, verum si post coobligationem vidua totum in se assumat, totum ex suo privativo solvet, nec poterit ad successores mariti devolvere, et haec vera sunt, licet uxor suc-

cesso-

cessive a marito divortiata sit, aut Dotem, et Jura vidualia ob quamcunque rationem amiserit. Si Incattus, et convictus debitor prorsus nullum fundum habeat, unde plena excontentatio fieri possit, si in actione petitum fuit, persona illius adjudicatur Actori, et erit illius servus. Idem valet etiam de damnis, 69. 2ae. 28.: 3ae. et birsagiis.

Secundus Processus est Concursualis, vel aliter Cridalis. Consistet ex totidem liquidi debiti Processibus, quot diversi creditores contra unum debitorem concurrunt, vel a debitore, qui alias Cridatarius vocatur, Judicialiter citati, vel vero ad terminum per Magistratum Judicialiter praefixum, et in Regno publicatum. Qui si suas praetensiones docere potuerint, et fundus omnibus suppetat, omnes exsolvuntur, si vero defectus fundi subversetur, ante omnia exsolvuntur onera natura sua privilegiata, qualia sunt onera nefors publica, et Contributionalia, Allatura uxorea, Dos legalis, non item alia Jura vidualia, id est habitatio, intertentio, quia 103.: 1ae solam Dotem dicit ita privilegiatam, us etiam per Pignoratarium mariti debeat solvi, reliqua Jura vidualia vero tantum eatenus sunt privilegiata, quod pro culpa mariti, aut crimine ejus non admittatur. Tandem exsolvuntur; merces medici et chirrugi debitorem curantium, servorum item et mercenariorum, pretium medicinae, expensae funebrales, opificum Austzugales, Fidei Commissa, Deposita, et Commodata, expensae pro Conscriptione massae erogatae, item expensae in defensionem massae, utpote massae Curatoris, et Advocati fatigium, po-

stea

Rea Intabulati, juxta antiquitatem Intabulationis: Qui eodem tempore sunt Intabulati. v. gr. Sub eadem Sessione Magistratus Civilis, vel sub eadem Congregatione Comitatus, inter illos creditores antiquitas numeratae pecuniae spectatur. Post Intabulatos veniunt simplices Chirographarii, id est creditores non intabulati, juxta aetatem contracti debiti, id est numeratae pecuniae, adeoque nullo habito ad id respectu, quod aliqui ex illis generalem, alii vero optionalem, aut specialem Hypothecam habeant, quia his non obstantibus ille erit potior Jure, qui prior tempore est, quia illa non contra alios creditores, verum contra debitorem sunt adjecta, et contra illum valent, quia lex nostra praeter Intabulationem nullius prioritatis meminit. Ad simplices Chirographarios referuntur etiam vitiose Intabulati. v. gr. qui in Sedibus Dominalibus, vel Oppidis Privilegiatis Comitatus Jurisdictioni subjacentibus sunt Intabulati, vel post mortem debitoris, aut cum jam lapsus ejus ad notitiam publicam devenit, eodem refertur etiam Dos scripta non intabulata. Postea sequuntur qui damna praetendenda habent. Jure nostro locum non habet id ut singuli creditorum aliquid perderent, et massa aproportione inter illos divideretur, verum qui prioritatis Jus habet, ille ex integro, et totaliter exsolvitur, si etiam reliquis nihil maneat, nisi creditores tales essent, inter quos nulla ratione posset prioritas determinari, v. gr. eodem tempore contraxerunt, eodem tempore numerarunt, eodem tempore Intabulati sunt, ex his quilibet debet perdere, si fundus omnibus

non

non suppetat. Si unus ex talibus creditoribus ante concursualem Processum bona debitoris omnia pro se solo exequi faciat, reliqui nihil acquirent, quia inter pares qui prior tempore, potior Jure. Aliqui dicunt, etiam tunc utrumque a proportione perdere debere, si eodem tempore sunt Intabulati, licet unus prius numeraverit, quia posterior creditor non temere credidisset suam pecuniam tali debitori, quem scivisset jam alteri teneri, hoc vero ex Intabulatione rescivisset. Illis creditoribus quibus quoad capitale prioritas est adjudicata, etiam interusurium prae caeteris exsolvitur. Intabulatio, licet antiquior, contra tales licet posteriores creditores, aut emptores nihil operatur, qui formaliter a debitore tradita bona effective possident (nisi Intabulati sit specialis Hypotheca, et inhibitio praecesserit) verum talibus creditoribus, quibus resignavit quidem bona literatorie creditor, sed non tradidit effective, Intabulatio licet tardior praevalet, et talia bona massae debitoris applicantur, ut etiam illa quae quis debitori ad creditum vendidit, licet adhuc in natura exstent merces illae.

Tertius Processus est ex Praelatione, movetur per illum qui Jus prioritatis sibi praetendit, contra alterum creditorem bona debitoris Judicialiter, id est executione mediante ingressum, non ergo contra emtorem. Actio fundatur in legibus iisdem, quibus actio debiti, et praeterea in illis, quorum fundamento prioritatem praetendit, v. gr. Si vi Intabulationis praetendit, in 107: 1723. prioritatem dat etiam antiquior contractus, si numeratio etiam prius intervenit. Ad praelationem tunc potest quis

pro-

procedere, si debitor prorsus nihil jam habeat, et solvendo impar sit. Intabulatio in uno Comitatu peracta non extenditur, et non dat Jus praelationis quoad bona in alio Comitatu sita, nisi Caput bonorum privilegialiter pro tali declaratum, vel antiquo, et longaevo constanti usu pro tali habitum in illo Comitatu jaceat, ubi Intabulatio peracta est, in aliis vero tantum appertinentiae atque privilegialiter pro talibus declaratae, et usu roboratae, ad tales appertinentias extenditur Intabulatio, licet 107: 1723 ad normam exterarum Provinciarum Haereditariarum valitura dicatur, in quibus tamen Intabulatio ad bona sub alia Jurisdictione existentia non extenditur. Intabulatio licet tardius peracta praecedit etiam illum, qui litem prius movit contra debitorem, imo etiam sententiam Judicialem, sed reali executione, et bonorum apprehensione tempore Intabulationis alterius nondum firmatam. Movetur hic processus pro ratione substrati coram Judice debiti.

Quartus ex Superfluitate fundi. movetur contra illum creditorem, qui Jus praelationis habet, et vi illius bona sibi assignata ingressus est, easque in pignore Judiciali tenet, aut etiam contra illum, qui pignore formali, et contractuali illa ingressus est, post debitum contractum.

Actio fundatur in 1ae 103 ubi dicitur, quod pignoratarius Dotem viduae exsolvere debeat, unde infertur, quod etiam alia debita proprietarii possint in illo praetendi, quae si ille solvet ei summae, in qua bona possidet, superinscribere, et tempore reluitionis liquidare poterit, praeterea fundatur in prol. 5. et regula aequitatis; quod mihi non nocet,

alteri vero prodest; ad id obligor. Praeterea in legibus de debitis sonantibus supra citati. Probari debet realitas debiti, tandem quod fundus apud debitorem non adsit, denique id probari debet, quod in pignore apud I. existentia majus onus ferre possint, id est quod praeter interusurium summae inhaerentis, adhuc etiam illius interusurium importet, quam A. praetendit, hoc probabitur per conscriptionem, et aestimationem bonorum, eveniente eo, quod bona adhuc illud onus ferre possint, desumitur debitum actionale in Incatto.

Quintus ad Superinscriptionem, debuit praecedere admonitio Judicialis contra creditorem Jure praelationis, aut pignore contractuali bona debitoris post debitum Actionale ingressum et possidentem, et illi tota summa offerri, quam investitam in bonis habet, ut vel levet istam summam, et cedat bona posteriori creditori, vel exsolvat praetensionem posterioris creditoris, et superinscribat. Si neutrum fuerit, eodem fundamento, et in iisdem legibus Actio contra illum fundatur, sicut ex superfluitate fundi, nisi quod petitio hic est alternativa, ut vel exolvat vel cedat bona, probari debet realitas debiti, item debitorem non esse solvendo. Non debet probari bona majoris oneris ferendi capacia esse, quia non adstringitur ad id ut solvat, quia potest cedere bona, si asserit, non-esse capacia majoris oneris, et potest pecuniam suam levare.

Sextus Processus est contra Legale Interusurium excedentes. Actor est Fiscus Regius, Judex est contra Nobiles, et Libertinos vel Judex Nobilium, vel Vice-Comes vel Tabula Di-

strictua-

ftrictualis pro ratione summae, contra Cives Magistratus Civicus, contra colonos Sedes Dominalis. Actionem Fiscus fundat in 51: 1715. 120: 1723. Poena est amissio Capitalis, et Interusurii, tertialitas cedit denunciandi. Appellatur extra Dominium, quia imitatur naturam liquidi debiti, Usurarii vero tales, qui plus sibi obligari faciunt, quam numerarunt debitori, praeterea, Fiscali Actione ad poenam arbitrariam conveniuntur. 21: 1802.

An possit Fiscus ad amissionem interusurii coram quocunque Judice procedere, si partes ita contraxerunt? dubitari potest, quia hoc tantum in favorem creditoris obligatum erat, et est quid personale, hinc licet Judex, qui competens est pro desumptione debiti, videatur etiam competens esse pro amissione Capitalis, et Interusurii, lex vero coram competente Judice velit Fiscum agere, tamen praestat ipsi coram legali Judice agere.

Septimus Processus est Austzigalis. Coram Judice liquidi debiti movetur. Actio fundatur in 53: 1723. 44: 1729. Interusurium non currit, quia non est liquidum. Probam facit Austzug, ut sup. adictum. Expensas Actori triumphanti I. refundit, et Actor Incatto triumphanti 53: 1723. appellatur ut debiti Processus.

Octavus Indebite Soluti Processus de quo supra vidimus.

Nonus Rationarius. Contra Officiales Dominales, movetur coram Sede Dominali per Fiscalem Dominalem. Actio fundatur in 65: 1622. 63: 1723. Adesse debent aliqui Convocati, Praeses potest esse vel Dominus terrestris, vel alter quiscunque. Ju-

 dex

dex Nobilium cum Jurassore pro testimonio adesse debet in omnibus Sedibus Dominalibus, in hoc Processu vero Rationario etiam votum habent, in aliis non. Si testes sint adjurandi, vel autenticandi, illos Judex Nobilium, et Jurassor autenticant in absentia Dominalium hominum. Appellatur a Sede Dominali ad Sedriam intra, a Sedria ad Tabulam Regiam extra Dominium, Judex Nobilium, et Jurassor subscriptum per Judices in Sede Dominali praesentes Processum, si appelletur, referunt ad Sedriam. Si ibi etiam convictio intercedat, remittitur Processus, et unus ex Officialibus Dominalibus cum requisito eo fine Judice Nobilium exmittitur ex Sede Dominali pro executione peragenda. In hoc Processu cum sit Computualis habet locum Reconventio, id est etiam Dominus convincitur in Superrogatis. Processus est Summarius, Fiscalis Dominalis occasione levatae adnectit rationes, et difficultates ex illis elaboratas, petit in illis convinci, Officialis ad illas respondet. Potest etiam absque levata fieri, extradantur nempe difficultates rationanti, ille responsionem porrigit, iterum dantur superdifficultates, et ad illas porrecta responsione, Sedes Dominalis Sententiam fert.

Decimus ad dandas rationes contra Officiales Comitatenses, movet Fiscus Magistratualis coram Sedria, contra vero Civitatenses Fiscus Civitatis coram Magistratu Civico. Actio fundatur in 57. 1715. 63: 1723. Appellatur a Sedria ad Tabulam Regiam extra Dominium 28: 1729. Interim rationes talium Officialium. v. gr. Perceptorum, ad Consilium solent mitti, et ibi revideri.

CAPUT.

CAPUT XXVII.

De Transactione.

Transactio est contractus quo res, de qua lis defluit, non gratis, verum retento, vel promisso aliquo in alterum transfertur. Differt ab amicabili Compositione, quia amicabilis Compositio est cum adhuc non decurrebat Processus, vel decurrebat quidem, verum una pars totam rem litigiosam cessit alteri gratis. Transactio coram Judice causae debet fieri, et quidem etiam coram foro Pedaneo, intuitu bonorum liti coram eodem Pedaneo foro substratorum potest fieri, verum bonum est coram Capitulo autenticare talem Transactionem coram Judice Pedaneo factam. Potest etiam coram Capitulo, vel Judice Regni ordinário celebrari, Judice tamen procendeuti insinuari debet. Transactio fit ex dubio litis eventu, ergo quoad ratam illorum, qui in lite non steterunt, non est valida Transactio, nisi illi ad Transactionem concurrerint, vel Plenipotentiam transigenti fratri dederint, vel facto suo Transactionem approbaverint, v. gr. ratam suam Transactione ipsis obtingentem scienter levaverint, secus quoad ratam quidem Transigentis est valida Transactio (quia praemonitio in Transactione non est necessaria) quoad reliquorum vero invalidari potest, nec potest seponi uti in aliis Translationibus de bonis indivisis factis diximus. Sic Tutoris Transactio, licet praejudiciosa et inutilis, tamen non est seponibilis uti aliae Tutorum Translationes, verum invalidari debet, et po-

Pro effus funt: 1) Ad implementum, quia licet una partium refiliat, vel nolit implere, tamen non poteft refilire a contractu, quia dantur media illam ad implementum cogendi, nifi in Transactione cautum fuiffet, ut una parte obfervare nolente, Transactio ceffet effe valida. 2) Ad invalidationem ex dolo, fraude, vi, metu etc. ut fupra vidimus. 3) Ad invalidationem Transactionis Tutoreae. Fundatur in 1ae 126, et 655: 24. 4) Ad invalidationem quoad portionem illius, qui non influxit in Transactionem. Fundatur in 42: 1ae, ubi non datur facultas uni fratrum pro alio transigendi, item in 47: 1723. 5) Ad invalidationem Transactionis, fi non fit rite facta; id eft non ex dubio litis eventu. Fundatur in 58; 59; 62. 1ae movetur per fucceffores Transigentis directos, vel illis non exiftentibus collaterales, invalidata Transactione redit res ad illum cafum, ac fi tantum faffio fuiffet celebrata, et I. fe rationabilitate, vel neceffitate alienationis defendere poterit.

Jam de Obligationibus ex Delicto.

CAPUT XXVIII.

De Actibus Potentiariis.

Actus Potentiarii funt vel Majores, vel Minores. Majores in fequentibus cafibus committuntur. 1) Si quis invadat domum feu Curiam Nobilitarem. 2) Si quis areftet, detineat, vulneret, vel verberet, aut interimat Nobilem absque ju-

fta;

ta, et legitima causa. 3) Si quis bona immobilia alterius Nobilis substantialia occuparet. (Non itaque si appertinentiam, v. gr. agell: m occupet) His casibus antiquis, Jure recentiori adjuncti sunt alii quoque casus, olim Notorii jam 10: 1723 ad Actum Majoris Potentiae reducti. 4) Detentio, Arestatio, Vulneratio, Verberatio Judicum Regni Ordinariorum, eorumque Vices gerentium, id est Vice-Palatini, Vice-Judicis Curiae Regiae, Protonotariorum, et aliorum seu Septem-Viralis, seu Tabulae Regiae, seu Districtualium Tabularum, seu Comitatensium Judicum, item Capitularium, Conventualium, Regii seu Palatinalis, vel Banalis Hominum, aut Baronum Regni, Supremorum Comitum, Camerae Regiae Consiliariorum (Consiliarii Consilii Locumtenentialium non nominantur, licet eadem Diaeta Consilium sit institutum, ob eandem rationem tamen legis, huc accensendi sunt) Supremi, et Vice-Directorum Causarum Regalium, omnium horum in Officio actualiter, et legitime procedentium.

An Verberatio, Vulneratio, Detentio Jurati Tabulae Regiae in Officio penes exmissionem, vel Mandatum rite, et legitime procedentis, si ille Ignobilis sit, huc referatur? disputari solet. Aliqui negant ex eo, quod incapax sit Officiorum, et functionum publicarum. Aliqui affirmant ex ea ratione, quod posteaquam Officium, et functio publica illi commissa sunt, non amplius quaeratur, an sit capax vel non, praeterea in casibus dictis non Personalis Nobilitatis laesio vindicetur, verum Characteris illius, quem functio publica dedit, et

Fun-

functionis illius turbatio, quia non qua privatus laesus est, verum qua publica persona, hinc in Processu ad Actum Majoris Potentiae in casibus puncto 4. recensitis moto, non debeat Personalis Nobilitas probari, verum sufficiat si Character publicus, et functio publica probetur, jam vero Juratus penes exmissionem, vel Mandatum procedens, qua publica Persona procedit, in talibus negotiis, et functionibus, in quibus si Judex Comitatensis, v. gr. Judex Nobilium, vel Jurassor laederetur, Actus Majoris Potentiae esset, ergo etiam Jurati talis Verberatio etc. Actum Majoris Potentiae importet. Verum ad hoc responderi potest, quod legis, casus numero quarto recensitos pro Actu Majoris Potentiae designantis, et in illis casibus eductionem Personalis Nobilitatis non desiderantis intentio non illa fuit, quasi tacite approbaret Ignobilium ad quaevis ibi recensita Officia applicationem, verum illa, ut Personas ibi denotatas a difficili, et graduali proba Nobilitatis relevet, quam eo ipso quod Personas dictas ab illa sublevet, in aliis omnibus numero primo, secundo, et tertio recensitis casibus severe exigi, et praestari vult. Ergo statuendum est, quod numero quarto recensitae Personae (inter quas indubie etiam Jurati, licet clare non expresfsi ex ratione legis comprehenduntur) non debeant ad Actoratum Nobilitatem probare, uti alii verberati Nobiles debent, verum tantum Characterem, et functionem Publicam, quia secus inutilis, et superflua esset lex, quae illas Personas tam sollicite enumerat, et a casu illo, quo Nobilis sub poena Actus Majoris Potentiae verberari etc. prohibi-

hibetur, distinguit, quia si Nobilitas per tales probari deberet, suffecisset in genere de Nobilibus loqui, verum si Incattus Personam talem Ignobilem esse plene demonstraverit, tunc Actoratum ejus ruere debere dicendum est, quia secus lex illa Ignobile Officiorum ibidem recensitorum capaces esse praesupponeret, et admitteret. Ergo tota es eo redit, quod non Actori, pro quo stat praesumtio Juris, verum Incatto incumbat proba. Multo facilius rueret in dicto casu Actoratu aliorum Judicum, quam Juratorum, licet manifeste Ignobilium, quia his assistit 18: 1ae, sed alia officia prohibentur Ignobilibus conferri. Actus Majoris Potentiae est. 5) Violatio Literarum Salvi Conductus, quo refertur etiam Verberatio, Vulneratio, Arestatio, Ablegatorum ad Diaetam aut illorum Servitorum, et aliorum ad Diaetam vocatorum v. gr. Praelatorum, Magnatum, aut eorum Servitorum. Tales Summario Processu judicantur per Tabulam Regiam durante Diaeta, et ad tertiam diem medio Jurati verbaliter citantur 7: 1723. 6) Actum Majoris Potentiae incurrunt illi, qui in Diaeta conquerentes propter illam quaerelam quandocunque verberant, arestant. 7) Verberatores, Arestatores illorum, qui ad Diaetam, Judicia quaecunque, Congregationes Comitatuum, Sedes Judrias ad negotia sua gerenda eunt, et redeunt: 8) Illorum, qui Inquisitiones in militiae excessibus peragunt, aut ad easdem peragendas, vel ineundos cum militia computus eunt, vel redeunt. 9) Vulneratores, Mutilatores fratrum suorum, et consanguineorum aut qui fratrum, et consanguineorum oculos eruunt. 11: 1723. 10) Se-

cundariam Oppositionem, vel Repulsionem facientes 33, 34: 1729. 10: 1723. aut bona Judicialiter executa secundario reoccupantes 34: 729.

Casus hoc capite recensiti non vindicantur actione publica, id est Fisci Magistratualis, nisi enormis tumultus fuerit, verum privata, id est laesi, quia non sunt delicta criminalia, verum Civilia, et magis privata, quam publica, si quis vero Personas a numero quarto reecensitas interimat, ille capitali, id est mortis poena, et quidem pro ratione circumstantiarum cum exasperatione punitur, 11: 1723. Quod vero interemptio Nobilium inter actus Majoris Potentiae recenseatur, inde habet originem, quod olim ex 38: 1563 omne homicidium actione illorum vindicabatur, qui occisum proxima cognatione attingebant, v. gr. filiorum, aut fratrum, vel etiam viduae, hinc quod etiam lege recentiore nempe 10: 1723. interemptio nobilis ab alio homicidio distinguatur, hoc nihil aliud sibi vult, quam quod liberum sit hodiedum occisi consanguineis, in casu Civili, ad poenam Actus Majoris Potentiae contra interemptorem procedere, qui alioquin etiam illo instituto in poena mortis condemnari poterit, vel vero actionem Publico, id est Fiscali Magistratuali, qui in casibus criminalibus se inactorare solet, relinquere, ita ut nonnisi homagium interempti petere possint 11: §. finali, eo quod 81: 1647. contra Civitates, aut Senatum actum Majoris Potentiae per interfectionem Nobilis committentem, et criminaliter coram Sedria convictum, etiam foro Tabulari vi 19: jae ad amissionem bonorum agi posse clare dicat, et

versa

versa vice 85: 1655. contra illos, qui in actu Majoris Potentiae convicti sunt, actionem criminalem coram sedria superesse, quod hodie cessat.

Praeter casus Majoris Potentiae, omnis laesio cuicunque, et cujuscunque conditionis homini in Persona, Rebus, vel Juribus facto potentiose illata, vocatur Minor Potentia. Idem est sive quis se solo, sive cum assumptis, aut per missos, vel commissionatos Actus Potentiarios patret, semper tamen dolus, et nocendi studium ad id requiritur, ut actus poenalis sit, et praeterea requiritur in regula, ut intempestive arrogata sibi Jus et Justitiam propria auctoritate procurandi, Jura sua sive vera, sive opinata vindicandi facultate patretur, quia secus delictum criminale v. gr. Latrocinium, Praedocinium, vel Furtum, aut Homicidium erit.

Processus ex actibus potentiariis sunt:

Primo ad poenam actus majoris Potentiae. Actio fundatur in 10. 1723 contra Nobilem, vel Libertinum (v. gr. arendatorem, qui subditus non est) atque Magistratum Civicum, defluit coram Tabula Regia, contra Civem coram Civitate, contra colonos (ut mox videbimus) coram Sede Dominali, contra Magistratum vero Oppidorum talium, quae vel nullum Dominum terrestrem habent, vel habent quidem, verum privilegiato Magistratu gaudent, defluit aeque coram Tabula Regia, contra ipsos talium Oppidorum incolas coram Oppidano Magistratu, licet non desint talia etiam Oppida Dominis terrestribus subjecta, contra quorum incolas etiam Ignobiles co-

ram

rum Tabula Regia movetur. Cum hic Processus coram Sede Dominali movetur, ab exceptivis appellatur ad Sedriam, in merito vero, vel a Condescensione Actoratus ad Tabulam Regiam. Actoratus Personalis consistit in 1. 2. et 3. casibus in edoctione Nobilitatis, quae hic per I. secure in dubium vocari, et negari potest (secus ac in aliis Processibus, ut alias dicemus) quia in hoc Processu directe ad indicandam Praerogativae Nobilitatis laesionem erecta est Actio. Nobilitatis proba in hoc Processu in regula et de stricto Jure fit per deductionem Genealogiae ad primum Nobilitatis Impetratorem, quod quidem non est necesse, ut quis actu facere possit, verum sufficiunt Testimoniales Comitatus super exhibitis Armalibus, et deducto nexu ad primum Impetratorem, imo quemadmodum in Productionali, aut Nobilitari Processu vi Resolutionum Regiarum, ita et in Processu ad Actum Majoris Potentiae sufficere putantur Testimoniales super eo, quod quis de familia antiqua ad Comitatus notorietatem Nobilis sit, et bona immobilia Donationalia paterno avitica vel actu possideat, vel possederit, ab immemoriali tempore, vel a tali, qui talia bona possidet, pro consanguineo, et condivisionali recognoscatur (non item si per Armalistam recognoscatur) et virtualem in talibus bonis successionem habeat, imo ad imitationem Nobilitaris Processus, et vi Resolutionum Regiarum in illo interventarum, etiam illum sublatam a proba genealogica, qui 60 annorum usum docet, et Armales vel producit, vel illarum praeexistentiam sufficienter probat, verum hae probae Nobilitatis absque genealogico nexu, et producti

ductione privilegii tantum tunc sufficiunt, si suspiciones fundatae in contrarium non adsint, v. gr. si nullum fundamentum suspicionis adsit, quod bona quae possidet Donationalia, per Palatinum collata sint, quia si talis et aliae id genus suspiciones adsint, Actoratus corruet, sic nihil valent Testimoniales Comitatus, quae vel tantum in genere testantur aliquem Nobilem esse, quin ad radicem deducta sit Genealogia, vel alia solida ratio, unde nempe Comitatus sciat Nobilem esse? adducatur, et illa in Tabula Regia pro sufficienti agnoscatur, uti nec sufficiunt, quae ad alias Testimoniales alterius Comitatus se provocant, et in illis se fundant, nisi illae Testimoniales producantur, et pro sufficientibus judicialiter agnoscantur. Mulier licet ipsa Nobilis non sit, si tamen mariti Nobilitatem probet, ob sui verberationem, vel e bonis, quibus Jure viduali immansit, ejectionem, habet Actoratum ad Actum Majoris Potentiae, quia sequitur conditionem mariti, si nempe illa sua conditione melior sit. Verum is, cujus Nobilitas in loco illo, ubi degit, ignota est, v. gr. non est in usu Nobilitatis, nec habetur pro Nobili, nec constat publice de Nobilitate, non habet Actoratum, quia non potest supponi, quod Actor tam gravi poenae se innodasset, si Nobilitas alterius illi cognita fuisset.

In casibus numero quarto recensitis ad Actoratum Personalem non debet probari Nobilitas, verum tantum Character, et functio Publica. Nec in aliis casibus numero quinto, et reliquis probari debet, verum tantum facti, et circumstantiarum ibidem per legem descriptarum proba requiritur.

Servi

Servi conventionati si verberentur a Dominis, non habent Actortum, licet sint Nobiles. Sic condescendit Actio illorum, qui sententiae Civici Magistratus non obedientes in arestum conjiciuntur, quia Civitas habet brachium, ut suas sententias in sua competentia latas exequatur, etiam cum inarrestatione illius, qui illi non obediret, aut illi resisteret, verum si quoad Personalia, et res mobiles vellet Magistratus suam Jurisdictionem in Nobiles extendere, Nobiles secundaria etiam vice se opponere possunt, et propter id absque poena Majoris Potentiae per Magistratum detineri, vel inarrestari non possunt.

Ad Actoratum realem debet probari laesio, vel verberatio, et quidem gravior, quae secus non est Potentia, v. gr. leviter tangere, et ferire, non est actus Potentiarius, quia non esset proportionata poena delicto, secus, vel unicus ictus potest poenam Aetus Majoris Potentiae importare, quia aeque laeditur Nobilitaris Praerogativa per unum ictum, et hoc eum ipso merito coincidit, ubi praeteres hoc disquiritur, an Actus sit poenalis, v. gr. non est Actus poenalis, si Actor ipse rixam movendo, vel certamen incipiendo, vel alterum in Jure ejus impedire volendo verberatus est, licet Jura sua volebat persequi vel vindicare, quia ad illa vindicanda habuisset viam Juris (ubi illud Jus dubium, et controversum fuit, v. gr. in campis, vel silvis controversis saepe tales casus accidere possunt, ubi qui rixam movet, et alterum rebus suis privare vult, si verberetur, sibi imputet, licet ille, qui verberavit, in actu illicito

ver-

versabatur) Sic si denominato per convictum suffici enti fundo triumphans, eo non contentus alias re auferre, aut domum convicti ingredi velit, et ve beretur, non est Actus Majoris Potentiae, aut c sua precario per alterum possessa bona reoccu vel sententiae per accordam exstinctae exe ni se secundario opponit, in poena Actus M ris Potentiae convinci non potest, ut nec qui primo qua non citatus se opposuerat, ideo ad dandam oppositionis rationem citet atque tunc iterum sententiae ex contumacia lat se opponat.

Poena Actus Majoris Potentiae olim fuit amissio capitis, et bonorum Ulad. 3: 8. Verböczianae leges super eo sunt dubiae, et ambigue an disjunctive, vel conjunctive debeat summi amissio capitis, et amissio bonorum 42, 43, 55, 1ae 26; 3ae. verum jam cessat omnis dubietas, quia poena est ex 34: 1729 amissio capitis, vel bonorum, verum licet lex alternativam poenam dictet, usu tamen nonnisi amissio bonorum invaluit, et quidem bona tantum quoad propriam portionem amittit, salvis filiorum innocentium portionibus, salvis item bonis uxoreis, jureque uxoreo, uti etiam Jure, et aere alieno. Bona immobilia communi aestimatione mediante redimi poterunt per filios, et fratres convicti, imo etiam per filias, licet bona solius sexus masculini fuerint, quia etiam vicinis datur haec redimendi facultas 1ae 64. intra tempus per Judicem definiendum 1ae 56, ergo eo magis filiabus talibus sensu etiam 1ae 63. A vicinis vero filii convicti iterum eadem aestimatione mediante rehabere pote-

 runt.

§. 5. ubi in Capitis, et omnium bonorum amissione puniendi jubebantur, derogavit.) Eo minus excusatur servus, qui ex Mandato Domini criminaliter delinquit, quia tunc et Dominus, et servus capite plecti possunt. Alii vero Ignobiles assumpti, et tamen Principali patratori non Jurisdictionati, vel coram foro Dominorum ipsorum, vel coram Tabula Regia, si nempe Dominos terrestres non habeant, in amissione bonorum, et Homagiis suis convincuntur. Si commissio contra Dominum per Actorem probari non possit, Dominus absolvitur, et homines illius coram Sede Dominali ejusdem punientur. Si Officialis, licet q u a t a l i s, id est ex Officiolatu patret Actum Majoris Potentiae, non ex bonis Domini fit executio, ut in Queruloso Processu, verum ex propriis Officialis bonis. In Processu ad Actum Majoris Potentiae Revocatio Procuratoris non admittitur 1550: 36. Si Incattus ante contestatam litem moriatur, evanescit Processus ob laesionem mere personalem. Si vero contestata lite moriatur, successores ejus in communi aestimatione omnium defuncti bonorum convincuntur. 61: 2ae bona vero occupata, et damna semper debent restituere, et refundere. Si vero post convictionem moriatur sententia quoad Personam lata cessat quidem, verum amissio bonorum subsequi potest. Sic intelligitur 51: 1ae 4. qui titulus quoad Praelatorum ex bonis beneficialibus Actus Potentiarios patrantium successores adhuc mitius intelligi debet, quia hi non haereditario Jure successerunt, ergo licet ex §. 3. hoc posset elici, quod si antecessor evocatus est,

debeat

debeat successor Emendam Capitis illius solvere, hoc tamen nec post litem contestatam intelligendum est, quia non haereditatis Jure successit. Si laesus moriatur, et laesio mere Personalis fuit, evanescit Actio, verum si realis fuit, id est bona sunt occupata, successores ad Actum Majoris Potentiae agere poterunt. Cum adhuc amissio Capitis, et bonorum simul erat poena Actus majoris Potentiae, Rex annuam gratiam quoad vitam dare poterat convicto, et post latam sententiam ante gratiam non comprehenso, (quia si comprehensus per triumphantem, et Judici pro infligenda poena resignatus est, nonnisi triduum debuit Actor exspectare, et triduo elapso morti dari debuit I. per Judicem) illa gratia vero eo fine dabatur, ut interea accordet cum triumphante, quod si nequivit, morti subjiciebatur. Illa facultas aggratiandi mansit etiam postea, cum nempe subsequis legibus amissionem Capitis, et bonorum disjunctive summi ordinatum est, nam si Actor Caput elegerit, Rex aeque unius anni gratiam dare potuit, verum si accordare non potuerunt, post anni decursum triumphans potuit ad renovationem sententiae aeque coram Tabula Regia agere, et vi renovatae convictum ubicunque capere, atque morti tradere. Sed cum jam nostro tempore Caput adjudicandi, vel eligendi facultas ex usu cessaverit, et nonnisi amissio bonorum modo supra recensito dictetur, haec procedura exsolevit, tamen in casu interemptionis locum habere potest, id est, si ob interemptionem fuerat condemnatus. *55. 56. 57.* 2ae. Immo etiam in aliis casibus, licet tantum amissio bonorum dictata sit,

an

annuam gratiam hucdum peti posse, et dari debere favorabilius videtur.

Secundus est Processus Violentialis, vel alias Querulosus dictus. Ita vocatur Processus ob Actum Minoris Potentiae contra Nobilem, vel Civem, aut etiam Libertinum, vel Communitatem Nobilem, aut saltem Privilegiatam motus. Decurrit contra Personas Nobiles, Communitates item Nobiles, atque Privilegiatas, nec non Libertinos coram Vice-Comite. Si vero in conterminio duorum Comitatuum patrata sit Violentia, defluit coram Tabula Regia. Contra Cives vero, et alios Ignobiles Civitatum incolas absque influxu Magistratus violentias patrantes coram Magistratu Civico, contra Oppidorum Privilegiatorum Ordinato Magistratu gaudentium incolas Ignobiles autem coram Oppidano Magistratu.

Actio fundatur in 1ae 68: 2ae 67, 82. 1613: 23. Si vero per Assumptos, Missos, Commissionatos est patrata Violentia, fundari debet etiam in 82: 2ae et 26: 3ae 56: 1655. Contra Civitates vero, et Oppida Privilegiata in 3ae 19. 60: 1618. 78; 81: 1647: 18. 1649. 42: 1681. 36: 1715. Contra Cives vero, vel Privilegiatorum Oppidorum incolas in 1613: 23. 81: 1647. 18: 1649. 33: 1662, ex his legibus plures, vel pauciores, quae nempe accomodatissimae visae fuerint, citari possunt.

Potest autem Civicus Magistratus violentus effici. 1) Sicut alter quilibet, si viciniis Dominis terrestribus, aut aliis violentiam inferat, et illorum usum pacificum turbet, aut aliter illos, vel in Persona,

fons, vel in in rebus, v. gr. colonis, aut illorum Rebus, vel in exertitio Juris turbet. 2) Si extra territorium Civitati Judicatum sibi arripiat, quia non incompetens verum incapax Judex est tunc. Secus, quod auctore Judice fit, licet incompetente, activo tamen et capaci, non est objectum Violentialis Processus, verum aliis Juridicis remediis resanandum. 3) Si in res mobiles, aut Personas Nobilium in Civitate degentium Judicatum exerceat, quia in Personalibus Judici Comitatensi subsunt Nobiles. 4) Si sententiam alibi contra Nobilem latam penes compassuales ad se missam in fundis Civilibus non exequatur, 1655: 60; idem valet etiam de sententiis Sacrae Sedis. Potest violentus effici, et in pluribus aliis casibus, uti ex legibus citatis in specifico prodit. In istis casibus Judex qua talis et per illum tota Communitas citatur ad forum Vice-Comitis, praeterea Cives ad Actum concurrentes citantur ad poenas violentiae singillatives per se ipsos deponendas Jurisdictionati vero Civitatis Juri stare debent, illi nempe, qui non sunt Cives, verum tantum servitores, vel Coloni Civitatis, de quibus dicit lex, quod ita convincantur, velut Jurisdictionati Nobilium, id est ex bonis Civitatis Homagium illorum executione mediante, desumitur supra Byrsagium, in quo Nomine Collectivo Civitas convicta est, id est 100 fl. verum si Magistratus in rebus ad Jurisdictionem pertinentibus ex Officio procedat, et vim aliquam in effectuatione sententiae, licet in Personam reluctantis adhibeat, non subsistit contra illum Actio querulosa, quia facta Judicis illegalia aliter resa-

nan-

nanda sunt, v. gr. Mandato Judiciali, vel vero Appellata, aut via Novi. Extra Civitates vero etiam Oppositione, Repulsione, Reoccupatione, quae remedia in Civilibus causis locum non habent, cum Civitates sententias suas etiam brachio mediante exequi possunt, non attenta qualicunque convicti reluctantia.

Nobilis, si plures Nobiles secum assumserit, quilibet illorum separatim citatur et convincitur, licet Nobiles illi Principalis Patratoris servi, et mercenarii, vel uti Stylo legali vocantur, familiares fuerint. Ignobiles seu fuerint patratoris assumentis, committentis, servi vel Jurisdictionati, seu non. 56: 1655. 142: 1647, tamen Juri statui petuntur in Actione, et Dominus illorum Homagia solvet. Si vero Ignobiles illi alterius Domini ad Violentiam influentis quidem, verum non citati, subditi sint, citatus Homagia illorum non solvet. Si Officia is ex Officiolatu, 33: 1659. id est ex bonis Principalis sui, vel propter bona illius ex Officio patret violentiam, citatur qua talis aeque ad forum Vice-Comitis, et illos etiam sui Principalis Jurisdictionatos debebit Juri statuere, id est tempore comparationis illos pro Juri Statutis declarare, per quos, vel cum quibus patravit Violentiam, et executio tam Byrsagii, id est 100 fl. quam vero Homagiorum illorum, medio quorum patrata est Violentia, ex bonis Domini fit, 48: 53. 2ae verum Dominus si Officiali id patrandum non commisit, habebit regressum contra eundem Officialem coram Sede Dominali ex 65:

1628.

1622. Si non ex Officio, id est non propter bona, et Jura Domini, et non qua talis, verum qua privatus patravit, si sit Nobilis coram Vice-Comite, si sit Ignobilis coram Sede Dominali convenitur.

Actio Violentialis habet quaedam peculiaria, v. gr. 1) Assumpti, Missi, vel Commissionati nominatim recenseri debent in Actione, quia illorum Homagia non solvet Incattus, quorum nomina in Actione non sunt expressa, si tamen illos e longinquo, et ex bonis suis aliis procul dissitis attulerit Patrator, vel illi domicilio, et certo loco mansionis destituti sint, ita ut eorum nomina referri non possint, sufficit numerum illorum specificare, et simul missionem, si nempe principalis Patrator ipse in Actu praesens non fuerit, quoad illos etiam probare, sic Homagia illorum solvet Patrator 56: 1655. 2) Cum Assumpti, vel Missi, aut Commissionati recensentur, inseri solet haec clausula: Ex missis de Jure exmittendis, ne nempe illos, si qui nefors Nobiles essent, Juri statui petere videatur Actor, et in illorum Homagio puniatur 2dae 23. 3) Debet tempus, et locus patratae Violentiae specificari, Si tamen dies pro certo non sciatur, sufficit circiter dicere, v. gr. circa Festum Sancti Michaelis, vel circa talem, et talem diem. Quoad locum patratae Violentiae, si nempe quoad territorium patrata est Violentia, vel quoad fundum, solet inferi hoc: Ocularitér etiam, si necesse fuerit, remonstrando, id est loco. 5) Debet laesionis qualitas, et quantitas specificari, v. gr. rerum mobilium ablatarum quantitas, vel quali-

tas,

tae, aut verberationis. 6) Modus patratae Violentiae debet specificari, v. gr. an cum assumptis fecerit, id est ipse etiam praesens fuerit, vel an miserit, aut commiserit? Praeterea characteres distinctivi locorum, et nominum rite specificari debent, ex. ex. sae 82. sicut in omni alia Actione, quia secus non posset Judex ob talem defectum, si I. illum controvertat, sententiam ferre. Minores tamen errores in non essentialibus, et nefors tantum per scribentem commissos, et quibus non obstantibus sententia ferri potest, Judex calamo Judiciali in qualicunque Processu corrigere potest, 24: 1566: et debet, quin Actio propterea condescendere debeat.

Si Actio in Missione, vel Commissione fundata sit, ante litem contestatam debet probari Missio, vel Commissio; si non probetur, Incattus absolvitur, licet prodeat ejus homines patrasse Violentiam (verum coram Sede Dominali contra ipsos agi poterit) nec imponetur illi juramentum Purgatorium, nisi semiplena proba Actoris gravetur. Tandem in Personali laesione quidem, seu Actori, seu Jurisdictionato illius ignobili illata, sufficit probare ipsam laesionem, et his probatis Actoratus stabilitur, in merito hoc dijudicatur an Actus sit poenalis, et an ad legem applicari possit. Si vero laesio, quam A. sibi illatam queritur, sit realis, v. gr. quoad fundum, vel territorium suum, vel quoad exercitium Juris sui esse se turbatum, ad Actoratum consequendum, in regula, probari debet usus saltem unius anni pacificus, vel privativus, id est per solum Actorem exer-

citus

citus, vel communis cum Incatto, et laesionem inferente 68. iae 23: 1613. 42: 1729. Ad usum vero non sola occupatio, v. gr. Circumvallatio, verum Utilitatis perceptio requiritur, sic licet ex communi dumeto occupando, circum ferentiam purgaverim, et uno Anno pacifice falcaverim; in partibus tamen ejusdem occupatae plagae interiori sequenti Anno, reliqui compossessores me impune turbabunt.

Verum ut usus anualis debeat probari per laesum, ideo inventum est, ne illi, qui nullum legalem titulum possessorii adepti habent, vel illum nolunt pandere, et propalare, etiam post annualem pacificum usum via facti turbentur, et ne quis contra tales proprio Judicatu, et via facti etiam post plures annos uti possit, verum via Juris agere teneatur. Si quis vero titulum legalem possessorii habeat, v. gr. fassione, pignore- vel cambio, etiam si rem nefors talem, quae Jure ad tertium aliquem pertinet, acquisivit, ille determinato possessorio non eget ad id, ut ad poenam Violentiae Actoratum habeat, quia possessorium vendentis ementi imputatur, ergo titulo vestitus usus licet prima hora turbatus Violentiam importat, nec poterit hoc instituto disquiri validitas, vel invaliditas illius tituli, quo Actor rem acquisivit, verum in usum rei poni, et in Violentia alter convinci debebit.

Actoratu stabilito debebit Actor factum laesionis, seu turbationis probare, et sic in sententia meritoria declarabitur an actus sit poenalis, vel minus, v. gr. usus talis turbatio, qui fuit tantum precarius, id est ex arbitrio tantum turbantis pendebat,

bat, non infert poenam Violentiae. Sic si quis ex silva, vel terreno suo fugientem absque ulla interjecta mora persequatur, et in alieno fundo capiat, et rebus apud se habitis privet, non poterit per Dominium territorii Actione violentiali conveniri, et puniri, quia non fuit dolus, id est ipsum laedendi studium. Si quis hominem suum inobedientem et ad fundum alterius fugientem inde absque ullo damno, et laesione alterius extrahat, non convincitur, quia abest dolus. Si Privigni Novercam ex bonis suis maternis ejiciant, cessat poena. Sic si quis eum qui ipsum verberavit, eodem tempore reverberet, impune facit, quia reverberatio in momento est defensa, mora interjecta vero est vindicta, et Jurisdictionis arrogatio, adeoque poenalis. Si usum in silva habens, etiam post assecurationem, et promissionem super eo factam, quod abusus quos hactenus in silva patravit, non amplius faciet, silvam tamen destruat, et in destructione turbetur, poenam Violentiae desumere non poterit, licet reponatur in usum, quia turbans non dolose fecit, verum ob bonum commune ex consensu Actoris. Si propter aliquam praetensionem detineam res illius, contra quem praetensionem habeo, licet inter illas res etiam alterius alicujus res sint, tamen tantum quoad illum convincor in poena Violentiae, contra quem praetensionem foveo, quia quoad reliquorum res cessat dolus, et intentio nocendi, damnum tamen, quod nefors reliquis immediate ex meo facto promanavit, refundere debeo, qui versanti in re illicita necessariae consequentiae bene imputantur, non item aliae. Si quis violenter ablata

sibi

ſibi bona propria auctoritate, mora interjecta reoccupet, et ſibi Juſtitiam adminiſtret, (quod poteſt intra annum) non poterit contra eundem occupatorem ad poenam Violentiae procedere, quia ſibi ſatisfactionem procuravit, verum ille, qui ſponte ſua reſtituit, id quod alteri violenter abſtulerat, per id a poena Violentiae non liberatur, ut nec ille, qui in flagranti deprehenſus reſtituere, et re infecta vel plane rebus ſuis ſpoliatus abire coactus eſt, quia qui ſe defenſive habet, is Judicatum ſibi non arrogat, nec ille liberatur a poena, qui alterum injuſte incepit verberare, et per eum reverberatus eſt, aliter eſt in Dehoneſtatione, quia redehoneſtatio non eſt defenſio.

Si ex communi campo privative pro me aliquid occupem, non ſum violentus, ut nec illi qui me occupare volentem impediunt, quia utraque pars in ſolidum fuit in uſu. Si occupare volens verberetur, impune factum eſt, quia alios voluit re communi privare, ſi turbantes verberentur, pariter impune factum, quia potuiſſent via Juris agere, v. gr Proportionali proceſſu, ſi proprio Judicatu uti placuit, tolerare debent ſequelas.

Si ego Compoſſeſſor velim me ponere in uſum rei vel Juris, quae vel quod in ſolidum poſſidebatur per reliquos, et indemnitate, v. gr. Paſcuatio, Lignatio, glandinatio, et nonnunquam etiam educillatio etc, non ſum violentus, ſi reliqui Compoſſeſſores me turbent erunt violenti, nec poſſunt Actione meae violentiali Defectum uſus obvertere, quia cum reliquorum uſu, licet quoad illos privativo, non tamen excluſivo, potuiſſet con-

ſiſtere

sistere etiam usus meus, adeoque possum dicere: Non fui in usu, quia non placuit, (nisi prodeat, quod reliquorum inhibitio Judicialis, aut repetitae Turbationes anteriores obstiterint: quia sufficit mihi Titulus absque usu, imo plus est quam usus Titulus nempe ille quod ego sim Compossessor, etiam si usus non adfuerit. Nam Jura ex Libertate Naturali et Civili, aut Politica fluentia, adeoque a mero arbitrio pendentia, per non usum non amittuntur, praescriptio ergo in illis non currit, hoc vero est praescriptionis species, quod contra illum qui Processum violentialem movet obvertatur defectus praehabiti usus, secus sequeretur v. gr. quod ille cui certo tempore non placuit deambulare in platea publica, amiserit Jus deambulandi.

Si vero ego Compossessor, qui hactenus vel simpliciter non fui in usu, vel fui quidem, verum usum meum via facti velim extendere, vel me prorsus ad usum ponere, talis rei quae non in solidum, verum secundum ratas, licet improportionatas, vel per reliquos solos, vel per me quoque cum illis usuabatur, et reliqui me turbent vel verberent, atque Processu violentiali agam, potest objici defectus usus, quia cum reliquorum usu praehabito, impossibile fuisset meo usui consistere, id est ut et illi ita fuerint in usu prout erant, et ego ita fuerim prout praetendo, quia hoc repugnat, v. gr. si dividebatur inter Compossessores Arendatitia pecunia Communis Beneficii 100 fl. faciens, ex qua ego hactenus, vel nihil, vel tantum 10. percepi, et nunc plus volo mihi appropriare, in Casu tali non possum dicere: non fui in usu quia non placuit, quia

hoc

hoc respondebitur. Non fuisti in usu quia non licuit, quia impossibile fuit, non tantum ergo absolventur reliqui, a poena violentiae, verum ego etiam in poenis Indebitae convincar, quia revera ego fui violentus, quia contra meum proprium Judicatum impleta est praescriptio, licet revera via Juris id acquirere possim quod praetendo.

Dum possideo et usuo Rem, quam mecum etiam alter simile Jus habens usuare posset absque obstaculo usus mei, non praescripsi, si vero possedi et usuavi rem communem ita ut non potuisset mecum simul alter ita usuare, praescripsi uno anno, quoad usum, et proprium ipsius Judicatum. Cum tam origo possessorii et usus mei ex Communi profluxit, licet 32 annis ita rem usuaverim, ut similis alterius usus ibi impossibilis fuerit, quoad proprietatem non praescripsi, Proportionali, inter fratres vero, saltem quoad illam plagam adhuc indivisos, Divisionali Instituto poterit regulari, dum et quando, quia tantum precario possedi. Si vero rem possedi quae tempore inchoati mei usus, sive privativi, sive exclusivi, (id est, ut alterius usus impossibilis fuerit) non communis, verum aliena fuit, non quoad usum tantum et proprium alterius Judicatum uno anno, verum 32 annis etiam quoad proprietatem praescripsi.

Nobilis sive sit una physica Persona, sive Communitas v. gr. Capitulum, Civitas, etc. propter Violentiam convincitur in 100 fl. quorum dimidia pars Judici exequenti dimidia vero Actori cedit. Praeterea Assumptorum, vel Commissionatorum ante

con-

contestatam litem non mortuorum Homagia per Convictum deponi debent, quae omnia soli Actori cedunt, ut etiam expensae litis, detrimentum Corporis, aut damnorum refusio. Res violenter ablata cum fructibus restitui debet. Nihil interest sive ipsi Nobili Actori sit illata laesio, sive coloni, et Jurisdictionati illius Ignobiles sint verberati, aut in rebus suis laesi, tamen Domino terrestri contra Nobilem laedentem Actoratum pro illis assumente, Nobilis laedens in 100 fl. convincitur, quia magis Jurisdictionis Dominalis, in quam laedens involavit, quam ipsius coloni laesio subversatur, neque Homagium laesi coloni tunc deponitur ex Decisione Cur. licet 31 : 3ae contrarium disponat. Si Commissio Domini Officiali facta probari potest, solus Dominus citatur, nec debet Officialis ex Officiolatu citari, et licet citetur una cum Domino, tamen non est Principalis Persona in lite, nec propterea duae poenae current, ut aliqui erronee putant. Ergo est supervacaneum et Dominum, et Officialem citare, id est ex Commissione simul, et Officiolatu movere, verum si non possit probari Commissio, Officialis solus qua talis citatur, et assumptos quoque suos Juri statuere jubetur. Licet vero in Commissione Domini fundetur Actio ex Officiolatu erecta, tamen non probata Commissione, vel Domino semiplene gravato juramento se purgante, eodem instituto et Dominus, et Officialis absolvitur. Si Officialis moriatur, evanescit Actio, nisi Commissio Domini probari possit. Officiali Officium deserente, tamen idem citari potest verum non reduplicative, id est non ex Officiolatu,

tu, nec executio ad bona Domini dirigetur, verum habebit regressum contra Dominum, si Commissionem Domini probet. Ignobiles Jure uxoreo, vel materno bona possidentes aeque in 100 fl. et assumptorum Homagiis convincuntur, si ex talibus bonis patrent Violentiam, verum si ipsis inferatur Violentia a quocunque sive Nobili, sive Ignobili, nonnisi 40 fl. et restitutionem rerum nefors iisdem ablatarum, atque damorum, et expensarum refusionem sub Actoratu Fisci Comitatensis acquirunt. Cives, et alii Ignobiles licet contra Nobilem patrent Violentiam, tamen in 40 fl. singillative convincuntur, quia poena Violentiae centum florenorum, ut Curia decidit, in Personas Ignobiles non potest cadere, non obstat quoad Cives, quod in Homagiis suis aequiparentur Nobilibus, quia poena Violentiae mensuram non semper accipit a Homagio delinquentis v. gr. Baronum Regni Homagium est 400 florenorum, tamen pro Violentia nonnisi in 100 florenis convincuntur. Communitates vero Ignobiles communi consensu Violentiam patrantes sive sint privilegiatae sive non, aeque non in una poena Violentiae 100 florenorum collective, verum singuli ad Actum concurrentes in suis Homagiis soli Actori cedentibus, damnis item, et expensis convincuntur, et haee omnia ex bonis Communitatis desumuntur, secus, si privati proprio instinctu patrent Violentiam, quilibet suam poenam ferre tenetur, licet aliqui sint tantum assumpti, quia Ingnobiles Missionis, Commissiionis incapaces sunt. Ulad. Decr. 7. Articul. 9. Integra etiam Communitas non privile-

giata propter Violentiam coram Sede Dominali debet conveniri. Privilegiata vero, licet Ignobilis coram Vice-Comite, quia non refertur ad classem Jobbagyonum, uti alias vidimus.

Quemadmodum Ignobiles passive in 100 florenis ob Violentiam non convincuntur, ita nec active possunt 100 flor. poenam pro Violentiis sibi illatis petere; verum si nefors proprio Actoratu egerint, v. gr. contra Ignobilem, nihil aliud quam sui in integrum restitutionem damnorum, et expensarum refusionem, si vero sub Actoratu, vel ut vulgo erronee dicitur penes Assistentiam Fisci Magistratualis seu Comitatensis, seu Civici, Processus ipsorum propter verberationem qua Civilis Processus defluxerit, ad summum quadraginta florenos acquirunt, quia violentialis Processus ad 100 fl. poenam directus est Nobilitaris Processus, et solis Nobilibus competit sive active, sive passive, hinc etiam in hoc Processu, contra Nobilem condescendet Actoratus, si Ator Ignobilis fuerit, nisi quod jam hic poenale sit Nobilitatem Actoris negare (secus ac in Processu ad Actum Majoris Potentiae, nec requiritur tam stricta proba) nam si Actor suam Nobilitatem instantanee probet, pars I. in Homagio ejus convincitur 36: - 2ae. Si vero Dominus agat contra Nobilem propter laesionem Jurisdictionati sui 100 fl. currunt, quia Jurisdictionis Dominalis laesio subversatur; sed in Ignobili, neque tunc possunt 100 fl. desumi, verum tantum Homagium ejus. Inter Cives non est formalis violen-

lentialis Processus quoad laesionem intuitu fundi Civilis illatam, verum tantum repositorius, nec inter colonos, aut taxalistas quantumvis Nobiles, quoad fundos censui cuicunque obnoxios, quia qui censum debet praestare non est verus Dominus. Nobiles tamen illatam sibi in Persona, rebus mobilibus, vel Jurisdictionatis suis in fundo Civili per alterum Nobilem injuriam coram Vice-Comite vindicare potest, per Civem illatam vero coram Magistratu, prout etiam Cives. Si I. convictus temere appellet, poena dupplicabitur in foro Supervisorio. Nobiles servitores licet assumpti, vel missi sint, peculiariter citantur, et non Juri statuuntur, et separatim in poena 100 fl. convincuntur. An habeant regressum contra Dominum quaeritur? vulgaris opinio est, quod habeant, et quod in Domino desumere possint, verum hoc etiam sciendum, quod i li non tenebantur in re illicita Domino parere, quod quidem verum est etiam de servitoribus Ignobilibus, illi tamen magis subjecti Domino, excusationem etiam magis merentur, interim ex lege 56: 1655, quae inter Missos, Commissionatos, vel Subordinatos non distinguit an Nobiles, vel Ignobiles sint? verum in genere dicit, quod illorum onera Principalis patrator ferre teneatur, hoc elici potest, quod etiam Nobiles servi ad illum regressum habere possint. Si vero Nobiles ad Actum concurrentes Missi, vel Commissionati, aut Assumpti non sint, servitores Principalis patratoris, non habent regressum ad illum, verum poenam 100 fl: in qua seorsive convicti sunt, ferre tenentur.

Licet plures Actus violentos totidem Actionibus includam tamen si illi continuative, vel in continenti, et ad unum, eundemque finem sint patrati, tantum una poena currit; propter diversos Actus vero licet uni Actioni inclusos totidem distinctae poenae currunt, quot Actus distincti, vel diverso tempore patrati fuerunt. Actus plures etiam tunc pro continuativis habentur, si unum, eundemque effectum habeant, et unam eandemque virtutem, et finem, v. gr. impedire in aratione, in falcatione, vel messe sunt Actus continuativi. Propter plures res mobiles, aut etiam immobiles, uno eodemque actu, et eodem loco, ac tempore occupatas una poena currit, verum propter plurium colonorum, aut aliorum Jurisdictionatorum Ignobilium simul, et ad semel eodem tempore, et in continenti factam verberationem, Dominus illorum totidem 100 fl., aut si laedens Ignobilis est, toties exigere potest Homagia, quot laesi coloni, vel Jurisdictionati Ignobiles fuerint (Nobilis servitor proprio Actoratu potest ad poenam Violentiae agere) sic etiam propter diversorum, et in diversis locis sitorum corporum immobilium, vel etiam particularum eodem tempore factam occupationem, diversae, poenae currunt. In pluribus intuitu ejusdem fundi patratis actibus violentis, si primus fuerit licitus, et impunis, et reliqui tales erunt hinc, ut aliqui dicunt, ad posteriores actus vindicationem non possum agere, nisi et priorem actum Actioni includam, vel primo propter solum primum actum erigam Actionem, et ibi triumphando propter reliquos etiam potero agere. Etiam Personarum laesarum, vel laedentium numerus poenam

di-

diversificat, et totidem diversas poenas importat, nisi personae illae quoad fundum, propter quem Violentia patrata est, indivisae, et unum idemque Jus foventes condivisionales fuerint. Sic etiam Violentia per maritum, et uxorem patrata ita sumitur, ac si per unam physicam personam patrata fuisset, et unam tantum poenam post se trahit. Si laesio est personalis, sive laedens, sive laesus moriatur ante litem contestatam, cessat lis, si vero est realis, mortuo laedente tamen contra successores non quidem violentialis, verum damni, vel repositorius; si vero facto patris post admonitionem Judiciariam inhaereant, etiam violentialis Processus erigi potest. Sic mortuo laeso contra laedentem ob realem laesionem Processus violentialis per successores laedentis erigi potest. Propter Actum Majoris Potentiae potest violentialis Processus moveri, quia cui licet plus, licet minus, imo antiquis turbulentis temporibus talis occupator adhuc etiam tabulari Processu conveniebatur. 48: 1563.

Poena Violentiae ut et reliqua Byrsagia ex rebus mobilibus convicti debent desumi, illis non existentibus, ex immobilibus, si nec illa adsint, Persona adjudicatur.

Appellatur Processus violentialis a Vice-Comite ad Sedriam intra Dominium, inde extra Dominium, et licet poenam Violentiae fora inferiora non adjudicaverint, verum Curia Regia, si tamen convictus se illi sententiae opponat, coram Vice-Comite debebit oppositionis rationes dare. Expensae currunt in violentiali Processu 42: 1729.

Saepe

Saepe propter violentialem Processum non rite suscitatum convincitur Actor in poena indebitae Actionis, in eadem illa poena, in qua Incattus convictus fuisset, si Actor triumphasset. Licet autem Incattus absolvatur, tamen non semper punitur Actor in poena Indebitae, verum tantum. 1) Si pure vexandi studio litem movit, et absque fundamento, et nec speciem Violentiae habet actus Actionalis. 2) Si Actor sub specie Violentiae proprietatem quaerat, v. gr. tunc se ad usum ponere voluit Actor, cum Violentia, quam in Actione sibi illatam praetendit, est illata (quia si usum non habuit ante illatam Violentiam, fundamento Juris agit, atqui hoc alio instituto debuisset) in hoc casu contra illum ipsum A. fuisset Actio Incatto ad Violentiam, et hoc est fundamentum reconventionis, et poenae desumendae. Si tamen talis A. ad usum Juris exercendi se ponere volens, et in illa voluntate turbatus titulum Juris exercendi habuit, licet in usu non sit; non tantum poena Indebitae contra ipsum non curret, verum etiam I. in primo Juris exercendi momento illum turbans poena Violentiae afficitur, praecipue si nec Incattus fuit in usu rei, vel Juris illius, in cujus exercitio initio Actorem turbavit, vel fuit quidem, verum illius Usus quantumvis privativus, non tamen exclusivus, consistere potuisset cum usu tali, qui et Actori communis fuisset, v. gr. piscandi, pascendi Jus, vel usus, non item aratio, falcatio in una eademque gleba. Praeterea Indebitae poenam incurrit is, qui usum tantum precarium, et brevis temporis habuit, et in illo tur-

batus

batus est 23: 1613. Licet quis in poena Indebitae convincatur, tamen in expensis Actoreis non convincitur. Quot diversae poenae dictari debuissent, si Actor triumphasset, totidem distinctas, et diversas Indebitae poenas debebit Actor luere, non tot, quot in Actione sive una sive in pluribus petiit. Quoad assumptos et alios Ignobiles poena Indebitae non currit, sed tantum quoad Nobiles, licet illi assumpti fuerint, quia Indebitam petere, est Reactio, id est Actorem se facit, qui Indebitam petit, hoc Ignobilibus non competit contra Nobiles. Qui ad Violentiam non rite erexit Actionem, illam in prima Instantia deponere debet, id est statim in initio Processus, et saltem ante petitam per I. poenam Indebitae, quia [illegible]c evadet Incattus per Reactionem alterius, Incatto vero depositio non sufragatur.

Violentiae, vel Indebitae poenam solvit etiam Fiscus Regius licet a sententia Capitali, id est a mortis poena, vel amissione bonorum, et Emenda Capitis immunis sit 39: 2ae. Ne actor se poenae Indebitae exponat, consultum est, ut antequam Actionem ad poenam Violentiae movere vult, Inquisitionem collateralem super facto violento, et turbatione sui usus pacifici, ubi nempe ille requiritur, peragat, et si viderit probanda probari posse, Processum inchoet. Possunt etiam assumpti testes agere, sed illorum Homagium convictus solvere non tenebitur, nec peti debet, ut Juri statuantur. De Judicatu adhuc observandum, quod ob violenter occupata bona coram Vice-Comite illius Comitatus debet quis conveniri, ubi bona

illa

illa jacent, ob actum vero Personalem coram illo, ubi habitat, non ubi patravit.

Tertius Processus ex actibus Potentiariis est, Repositionalis. Actio fundatur in, 4, 5, 15, 1542. 44: 1625. Defluit coram Vice-Comite. Si vero ejectio sit antiqua et ab illo tempore multae involutiones circa bona evenerunt, vel privilegia sunt superinducta, defluit Repositionalis Processus coram Tabula Regia. Repositio sub specie Processus damni coram Judice Nobilium quaeri non potest. Potest Repositionalis Processus non tantum quoad bona corporalia, verum etiam incorporalia, id est Jura, aut immunitatem moveri. Eo differt hic Processus a violentiali, quod hic Byrsagium, vel poena Indebitae non currat, quod item tantum in realibus locum habeat, non item in Personalibus, et quod omnibus hominibus Ignobilibus quidem sub Actoratu Fisci, vel Domini terrestris aequaliter competat, secus ac violentialis, quem stricte inter Nobiles quoad poenam 100 fl. locum habere diximus. Caeterum in eo convenit cum violentiali, quod ad Actoratum doceri debeat vel Titulus inchoati possessorii, vel annuum praehabitum pacificum possessorium, quod si non doceatur, hoc instituto nihil consequetur Actor. In merito probari debet, quod via facti vel tali titulo, cujus nullitas probari potest, sit ejectus, quia secus Actor non reponetur, sed ad aliud institutum relegabitur, quia quilibet ea via est ejiciendus e bonis, qua ingressus est. Intra annum potest ejectus se via facti reponere 22: 3ae 60: 1ae. Prout etiam V. Comes, intra annum, absque Processu, sub amissione Officii, debet

ejectos

ejectos reponere 22: 1802. five fint res mobiles, five non.

Quartus Proceſſus eſt Impenſionalis. In ſenſu lato ita vocantur omnes Proceſſus contra colonos, vel alios Jurisdictionatos Ignobiles coram Sedibus Dominalibus moti 25: 3ae. In ſpecie vero ob actus Potentiarios ſive majores, ſive minores, per colonos aut alios Dominis ſuis Jurisdictionatos Ignobiles absque influxu Domini patratos, impenſio Judicii ſolet peti modo ſequenti: extrahitur a Vice-Comite Commiſſio pro Judice Nobilium, et Juraſſore, deinde ad nomen Judicis Nobilium, et Juraſſoris apponitur formula admonitionis, in qua deducitur circumſtantialiter (uti de Actione violentiali diximus) qualem quis actum, quando, ubi et quomodo patraverit, actus ille applicabitur ad leges de Violentiis ſonantes, et alibi jam citatas, praecipue ad 29: 1609. 23: 1613. 2ae 26. 41: 1729. et virtute earundem legum admonetur Dominus laedentis, ut terminum pro ſervanda Sede Dominali praefigat, eumque admonentibus intra quindenam inſinuet, ut illi admoneri curanti inſinuare poſſint, praeterea admonetur, ut termino per ipſum praefigendo Jurisdictionatum ſuum Juri ſtatuat, Jus, et Juſtitiam adminiſtret. Ad impenſionem ſolus Nobilis poteſt agere vel in propria ſua, vel in rebus, ac Juribus, aut Jurisdictionatis ſuis laeſus, id eſt, ſi Jurisdictionatis ejus aliqua per Jurisdictionatum alterius Ignobilem injuria illata eſt. Pro Cive Civitas, pro Libertino homine vero Fiſcus Magiſtratualis petit impenſionem Judicii, quia contra Nobilem

litigare in propria Persona non potest, atqui in hoc Processu ipse Judex habetur pro Incatto, et ille vel illius Advocatus comparet, et laedentem pro Jure statuto declarat, exceptionesque si quas habet, adfert, quia ipse laedens qua Ignobilis, nec exceptiva adferendi facultate gauderet. Juri Statutio etiam tunc potest fieri, si exceptiva superata sunt, quia tantum meritorie potest, et debet laedens respondere, et se defendere, potestque tunc sibi Procuratorem constituere, verum etiam meritorie Fiscalis Dominalis solus pro illo agere. Contra Nobilem servum non potest impensio peti, verum ipse debet ad forum Vice-Comitis citari. Sic Nobilis servitor per Jurisdictionatum alterius Nobilis laesus, ipse petit impensionem medio Personae Judicialis.

Potest etiam ita fieri admonitio, ut Vice-Comes in forma Mandati Praeceptorii (ut in violentialibus solet) Judici Nobilium, et Jurassori sonante deducit totam rei gestae, id est actus violenter patrati seriem circumstantialiter, applicat ad leges, committit Judici Nobilium, et Jurassori, ut Dominum laedentis, per transmissionem, vel exhibitionem parium Commissionis illius actionem redolentis moneant, ut terminum Sedi Dominiali praefigat, laedentem Juri statuat, Justitiam impendat. Talem Commissionem per Advocatum appositam Vice-Comes subscribit in duobus exemplaribus, unum exhibetur admonendo per eosdem Judicem Nobilium, et Jurassorem, alteri velut originali inscribitur peracta exhibitio parium, et responsio admoniti, et hoc datur admoneri curanti. Si vero

penes

penes simplicem admonitionem (quae tamen Actionem redolet) petita est impensio, tunc testimonialibus super exhibitione parti admoneri curanti extradandis, inferi debebit etiam totus contextus, et tenor admonitoriarum cum responsione admoniti. Si ille terminum praefixit penes illas testimoniales, vel penes originalem actionem in forma Mandati, uti dictum est, concinnatam, levabitur causa adveniente termino. Quem terminum judicialiter ita insinuatum si differre voluit Dominus terrestris, hoc aeque judicialiter debebit insinuare impensionem petenti simul cum praefixione alterius termini, ut etiam omnis alius Judex 32: 1681. Si secunda vice distulerit terminum, in Processu subsecuturo impensionali rationem debebit dare dilati termini, si non possit dare, convincitur per Vice-Comitem, ac si non impendisset, 41: 1729, ut etiam tunc si valde longum terminum ponat, quia legem vult eludere.

Impendere tenetur Dominus sive Proprietarius, sive Temporaneus, sive Secularis, sive Ecclesiasticus, et quidem potest etiam per requisitum aliquem, vel per suos homines, v. gr. Praefectum, Provisorem, Inspectorem, nec interest quis sit Praeses, an ipse Dominus vel alter, debent tamen adesse aliqui convocati, ut etiam Judex Nobilium cum Jurassore, qui testes examinant, vel autenticant in absentia Praesidis, vel Domini, aut aliorum Dominalium hominum. Si Processus in exceptivis condescendat appellatur ad Sedriam, et per Judicem Nobilitum, atque Jurassorem eo refertur, ubi si sententia reformetur, remittitur Processus, et statim

tim meritorie debebit agi, aeque sub poena non impensionis. Si vero Dominus nollet Processum Originalem cum omnibus Documentis ad manus Judicis Nobilium resignare, convincitur, a si non impendisset. Si Processus ob Actum Majoris Potentiae sit suscitatus, ab exceptivis quidem, si nempe ibi condescendat, appellatur ad Sedriam, in merito vero ad Tabulam Regiam intra Dominium, ob Actum Minoris Potentiae autem, vel ob aliam praetensionem, ad Sedriam, semper tamen cum subscriptione Judicis Nobilium, et Jurassoris, quia secus non revidebitur per Sedriam. Appellatur autem ad Sedriam intra, inde extra Dominium. 29; 1729. Ob Actum Majoris Potentiae convincitur laedens in amissione omnium bonorum ad portionem suam cedentium. et praeterea in Homagio suo, duae tertiae bonorum cedunt Domino terrestri qua Judici 1/3 vero Actori cum Homagio, refundi debent damna, et expensae litis. In minori Potentia poena est 40 fl. damnorumque, et expensarum refusio, 40 fl. illi cedunt soli Actori, id est laeso. Potest illa sententia vel ex Merito, vel ex Contumacia ferri, si nempe non compareat, vel se non defendat, imo etiam si ante petitam impensionem fugiat, tamen ex rebus illius remansis debet Dominus satisfactionem praestare. Si vero nihil reliquit is qui ante petitam impensionem fugit, liberatur Dominus ab impensione. Si post admonitionem fugit, et res aliquas reliquerit, aeque satisfactio debet fieri, imo licet nihil reliquerit, tamen si culpa Domini fugerit, luet Dominus poenam non impensionis, quae est poena Violentiae coram Vi-

ce-

te-Comite desumenda, et praeterea si nempe ob Actum minoris Potentiae petita est impensio, Homagia illorum de quibus debuisset impendere, damnorumque, et expensarum refusio, et plenaria pro Colono suo satisfactio. Dominus tamen quoad Homagia, et ea, quae pro colonis, vel Jurisdictionatis suis luit habebit regressum contra illos coram Sede Dominali, quia illorum non interest coram quali Judice convincantur, alioquin etiam ad forum Vice-Comitis potuisset Dominus ita citari, ut illum, de quo impendere noluit, Juri statuat, qui pro suo delicto aeque coram Vice-Comite in Homagio etc. convinci potuisset. Ob Actum Majoris Potentiae contra non impendentem coram Vice-Comite, contra Jurisdictionatum vero illius coram Tabula Regia debet agi, vel vero post convictionem Domini impendere nolentis per Vice-Comitem in 100 florenis factam, iterato potest ab eodem Domino impensio peti, et toties quoties ob non factam impensionem in Violentia convinci poterit.

Si colonus, vel servus Ignobilis in Dominum suum, vel contra alterum Domini sui Jurisdictionatum sit violentus, medio homini sui citat talem colonum Dominus, et in 40 fl. in Sede Dominali sumario Processu convincit. Verum arendatorem violentum licet Ingnobilem, si non sit simul illius subditus, coram Vice-Comite debet convenire. Arendator sibi, vel suis rebus illatam Violentiam, ipse potest vindicare, vel sub proprio Actoratu, vel vero si sit ignobilis, sub Actoratu Fisci Comitatensis. Verum si Violentia illa scopo

usum turbandi illata est, potest etiam Dominus Proprietarius vindicare. Si servo, vel filiis coloni illata est Violentia, Dominus coloni vindicat, pro servo vero Liberi hominis Ignobili Fiscus Magistratualis penes determinationem Comitatus erga instantiam laesi factam Actoratum contra laedantem assumet.

CAPUT XXIX.

De Larva, et Proditione fraterni sanguinis.

Larva est delictum privatum reale, quo quis alterius Nomen, Personam, Titulum, Praedicatum, et Jura dolose usurpat, se in Familiam alterius intrudere, sibique successionem in bonis Familiae adstruere vult.

Processus contra Larvatos, qui ipsi assumunt Larvam, movetur ad poenam perpetuae servitutis, contra Nobiles quidem, vel Liberos coram Tabula Regia, contra Cives coram Magistratu, contra Colonos coram Sede Dominali. Illi, qui non ipsi assumserunt, verum a Majoribus suis ad se transmissam Larvam continuant, nulla poena afficiuntur, verum si post capacitationem sui, et edoctionem ejus, quod ipsis non competat, scienter continuent; si sint impossessionati, aeque servi illius fient quoad propriam suam Personam, cui per Larvam insidiabantur; possessionati vero in poena illa, qua falsarum Literarum confectores affici solent convincuntur.

Actio

Actio fundatur in 46: 1723. Actoratus soli sanguini, id est illi qui ex illa Familia est, in quam se intrudere volebat, competit, non ergo, v. gr. Donatario contra illum, qui deficientis bona sub Larva deficientis sibi vellet appropriare. Sic si quis assumpto nomine Familiae fatentis vellet Fassionem invalidare, et succumberet eodem Processu, et ad petitionem fassionarii non convinceretur. Si quis vexet alterum, et Larvam non possit edocere, convincitur in expensis, si vero contra sanguinem movit ad poenam Larvae, evadit proditor fraterni sanguinis. Si quis sub Larva tertio insidietur absque damno familiae illius, cujus Larvam gerit, est Stellio, et in poena Larvae non convincitur, verum in damnis nefors illi tertio causatis, vel pro re nata in poena confeetionis falsarum Literarum, quae si non ad poenam Infamiae, verum ad arbitriam poenam, damnorum nefors causatorum refusionem tendat, peti potest, ut jam dicemus, ex 12: 723 coram Vice-Comite, vel Judice Nobilium, quod observandum etiam contra Larvatos in minoris momenti excessibus, qui poenam servitutis non important, de qua adhuc notandum, quod illam nonnisi Nobiles possessionati possint petere contra illum, qui bonis ipso.um per Larvam insidiatur.

Proditio fraterni sanguinis est delictum reale, quo quis legitimum suum sanguinem intra quartum gradum pertinaciter denegat, et Justis Juribus Jure sanguinis ipsum concernentibus qualicunque demum sub colore fraudare vult. Quod ultra quartum gra-

dum

dum non se extendat hoc delictum, et poena illius, hoc est ex usu. Exemplum Proditionis fraterni sanguinis est. 1) Si quis novae Donationis titulo bona Familiae pro se solo impetret, et Primitivas Literas occultet, aut contra contenta earundem, nomina reliquorum fratrûm condivisionalium, et sororum ex Donatione nova exmittat. 2) Si aliqua faemina in bonis utrumque sexum concernentibus se praefici curet in Praejudicium legitimorum successorum 1ae 7. 3) Si quis parentes, fratres, aut sorores, amentes, mentecaptos, lunaticos, furiosos, et Administrationis bonorum incapaces praetexat, et ita bonorum Dominio, et usu excludere velit 46: 1723.

Non incurritur poena proditionis fraterni Sanguinis, si quis talem admittat ad bona, qui non habet ad illa Jus, v. gr. faeminas, ubi bona solum sexum masculinum concernerent. Quia contra illas est remedium, nempe Processus ad exclusionem. Nec incurrunt mares, qui agunt ad exclusionem, licet succumbant, nisi mala fides prodeat, et dolus, quod Literalia utrique sexui inservientia, ex quibus faeminae communionem Juris probare potuissent, suppresserint. Non incurritur per illum, qui pro se solo impetrat bona Familiae, si probet Jus Regium latuisse. Non incurritur per illum, qui talem abnegat, qui habet quidem communionem Juris, verum non habet communionem Sanguinis. v. gr. Condonatarii etc. Non incurrit ille, qui tantum in dubium revocat nexum alterius, et se de Genealogia illius capacitari petit, quia nemo tenetur sponte alterum recognoscere,

et

et absque proba, verum ille incurrit, qui pertinaciter negaverit Non incurritur per talem, qui talibus Juribus vult fraudare Sanguinem, quae Jura non ex communione Juris, et Sanguinis habet, quia quoad talia non sunt fratres, v. gr. quoad debita etc.

Processus proditionis fraterni Sanguinis movetur coram Tabula Regia. Actio fundatur in 38: 39. rae 46: 1723. Probari debet dolus, ut in omni delicto. Probari adhuc Juris, et sanguinis communio. Poena est servitus, et amissio illorum bonorum, quibus volebat exhaeredare, si quis etiam juramento negaverit Sanguinem, major erit poena. Ad has poenas formales tantum ob Jura Nobilitaria solet agi. Inter impossessionatos poena servitutis non currit, potest tamen amissio successionis illius, cujus parte quis alterum fraudare volebat, currere. Deficiente fratre triumphante, frater convictus illi succedet, in bonis etiam illis, quae amiserat, non Fiscus, quia uti nullum damnum, ita nullum commodum potest Fiscus exspectare ex contentionibus privatorum.

CAPUT XXX.

De Delictis circa Literas.

Delinquere potest quis circa Literas — 1) Per falsarum Literarum confectionem. Quo pertinet etiam falsorum sigillorum confectio, aut cum quis vero sigillo false utitur, id est falsis Literis imprimit, vel falsis Literis licet per alium confectis scienter utitur, illas producit, illis inhae-

ret, illas defendit, vel Literas rite confectas corrumpit, falsificat, mutat, interpolat, et ita alteri nocet, vel nocere intendit. De Capitulis vel Conventibus, Capitularibus vel Conventualibus falsas Literas ex Officio facientibus alias dictum est, uti etiam de homine Regio vel Palatinali. Dictum est etiam de Judicibus Regni Ordinariis, et aliis sub sigillo autentico falsas Literas conficientibus, quod sint Notorii 10: 1723. 16 sae. Extra illos casus itaque observandum. 1) Si falsarum Literarum, aut sigillorum confectio, aut falsificatio tendat ad amissionem vitae alterius, est poena mortis. 2) Si tendat ad vitae simul, et bonorum amissionem, poena est aeque mortis, praeterea damnorum, et expensarum de bonis propriis, ad propriam portionem cedentibus, salvo Jure uxoreo, item Jure, ac aere alieno, nec non portionibus filiorum. Si vero bona effective per tales Literas amissa sunt, illa restitui debent cum fructibus. 1723: 11. 3) Si vero tantum bonis alienis insidiatus est aliquis per falsarum Literarum confectionem, vel usum; poena est perpetuae infamiae restitutio bonorum cum fructibus, damnorum, et expensarum refusio. 4) Si quis vero Literas v. gr. Passuales, Missiles false conficit in levioribus casibus, vel talibus scienter utatur, licet absque ullius nocumento, non quidem mortis, aut infamiae, verum arbitraria poena puniendus est. 12: 1723.

Processus fundatur in Legibus citatis, decurrit in 1., 2., et 3. casibus coram Tabula Regia,

in

in 4. vero coram Vice-Comite, vel Judice Nobilium, contra Cives coram Magistratu, contra colonos coram Sede Dominali. Larvam paternam scienter continuans possessionatus, ad summum perpetua infamia, vel poena arbitraria punitur, quia dicit lex ita puniendum esse, uti falsarum Literarum confectorem, adeoque levius, quam est poena servitutis, atqui poena primi, et secundi casuum est mors, et durior poena quam servitutis. Processus contra Larvatos, contra Proditores fraterni sanguinis, contra falsarum Literarum confectores perjuros et impostores alios, vocatur alias Processus Falsi.

Secundo. Per detentionem alienarum Literarum. Circa hoc delictum sic proceditur; Dominus Literarum medio Personae Judicialis admonet detentorem, ut ille sub poena legali 500 florenorum Literalia restituat. Non subsecuta restitutione, movetur Processus Repetitorius coram Vice Comite, vel Judice Nobilium, Actio fundatur contra extraneum, et nil Juris ad Literalia habentem in 14, 15, 1622. 695: 43. 662: 35. Probari debet deventio ad manus illius si non specifice, saltem in genere. Si in genere tantum probatum est, juramentum revelatorium imponitur Incatto, et si justam rationem non dederit non restitutionis, convincitur in 500 florenis, restitutione item Literalium, 2/3 cedunt Actori, 1/3 Judici, appellatur ad Sedriam intra, inde extra Dominium. Alia Juridica remedia in hoc Processu praescissa sunt, illa nempe, quae convictionem sequi solent. Si neque post sententiam, et executionem restituat, vel re-

CAPUT XXXI.

De Damnis.

Damnum est diminutio, destructio rei alterius. Aliud est jam factum, aliud infectum, seu quod imminet. Infectum damnum si publico nociturum est, Magistratui incumbit avertere, facit nempe Magistratus, seu Comitatus Exmissionem ad rem oculandam, et comperta rei veritate adstringitur ille, a quo damnum imminet, ad quomodo avertendum periculum. Si privato impendeat periculum, ille habet Jus, ut alterum, a quo nempe impendet, Judicialiter admoneat ad antevertendum malum, vel cautionem sufficientem praestet secus in ipso desumetur damnum.

Imminere potest damnum specifice;

1. Per morosam reparationem communium aedificiorum, v. gr. Educilli, Molendini etc. Judicialis admonitio praemittenda est contra illum, qui noluit concurrere ad reparationem, si neque ita concurrat, potest admonens propriis suis expensis reparare, et deinde ad damni expensarum item in litem erogandarum refusionem contra morosos compossessores agere, et illa omnia vel ex rata proventuum morosum concernente, vel vero illis non sufficientibus ex aliis ejus bonis desumere. Admonitio, et Actio fundatur in 69: 1715. Desinit coram Vice-Comite. Appellatur ad Sedriam intra, inde extra Dominium.

2) Per

2) Per nocivas molas, et aggeres, qui si publico noceant, v. gr. navigationi, vel ratibus deducendis, vel contribuentibus per exundationem, post oculatam per artis peritos, v. gr. Geometram cum Judicibus Comitatensibus exmissis factam, admonetur Dominus terrestris, ut nocivas molas, et aggeres sufferat, vel emendet, qui si patere noluerit, Processus contra ipsum coram Sedria movetur, probatur necessitas emendationis, vel sublationis, per sententiam ipsi hoc imponitur, si noluerit expensis ipsius (sumptis v. gr. in sequestrum proventibus molendini) emendatur, vel si emendatio non sit possibilis, prorsus cassatur, et suffertur. Actio fundatur in 751: 14.

Si privato noceant aggeres, et molae, v. gr. tali cujus antiquior mola per id quoad aquarum defectum damnum patitur, vel cui eluvionibus damnum infertur, ille etiam potest coram Vice-Comite ad sublationem, vel emendationem molae recentis, vel aggeris agere, fundando Actionem in rae 87: 561: 14. probat realitatem damni, vel testibus, vel per oculatam peritorum, id est Geometrarum, vel evidentia facti, deinde per sententiam determinata sublatione, molendinum, vel agger suffertur, si nempe per artis peritos non possit emendari, quia prius omnia tentanda sunt, quam ad cassationem molae procedat Judex. Si Admonitio praecessit eo fine, ut impedimenta tollat, et molam suam emendet, et non fecerit, etiam damnum refundi debet, a paritate morosi reparatoris communium Beneficiorum.

Potest

Poteſt etiam privatus ita procedere, ut a Comitatu petat Deputationem pro oculanda mola, vel aggere, ad cujus Deputationis relationem, ſi prodiverit nocivam eſſe molam, determinatur emendatio, vel ſublatio molae, ſi Dominus nolit facere, convincitur modo ſupradicto.

Si quis in uſu fuit, ut in alterius fundo pro molendino ſuo aggeres, et canales ſervet, poteſt agere ex 87: 1ae contra illum, qui nollet admittere talium aggerum reparationem, aut illos neforte deſtrueret, et ſimul, praecipue ſi Admonitio praecesſit, ad damnorum refuſionem.

3. Metui poteſt damnum ex deſtructione rerum ſub lite exiſtentium, aut illarum, praecipue mobilium diſtractione. In hoc caſu Sequeſtrum Judiciale acceſſorie peti poteſt. Si ſecuritas non adſit apud I. diximus, quod non obſtante intra vel extra Dominium appellata, apud illum manere debent res, qui cautionem praeſtare poteſt 729: 28. vel vero in Sequeſtro Judiciali gratuito. Quoad res immobiles non eſt tantum periculum, quia non tam facile diſtrahi poſſunt occulte, et alioquin lege cautum eſt, ne pendente lite ullae involutiones poſſint fieri, ſi tamen factae ſunt, evocari debet posſeſſor novus ad conſortium litis, ne ſe opponere poſſit. Intuitu ſilvarum tamen 57: 1791. diſponit, ut ſi ſilvae, ſive ex cauſa dilapidationis, ſive quod poſſesſorium ambiguae liti, aut metali controverſiae ſubjectum ſit, ſive quod compoſſeſſorium regulatum non ſit, deſtruerentur, talis deſtructor per Comitatum ſub onere Fiſcalis Actionis a devaſtatione prohibeatur, et pro re nata etiam Sequeſtrum imponatur.

Impo-

Imponitur adhuc Sequestrum ob dilapitationem cuicunque, sed debent bona esse avitica, et praeterea probari debet dilapidatio, id est abalienationes irrationabiles, et magni momenti, pro ratione circumstantiarum, quia praetor minima non curat. Actio fundatur in 723: 48. Competit successoribus, condivisionalibus, (vel etiam Fisco Comitatus, quia publici interest bona privatorum conservari,) coram Judice successionis. Dici posset, quod si ex praejudicio non datur Actio filiis, vel fratribus, nec ad Sequestrum detur, verum dispar est ratio, quia qui ad Sequestrum agunt, nolunt adhuc successionem procurare actu, verum tantum conservare bona.

Bonorum administratio concreditur alicui probo viro, si fieri potest condivisionali, erga rationes dandas, et salarium, sequestrato aliquid deputatur pro intertentione, reliqua convertuntur in exsolutionem debitorum. Si debita sunt soluta, et emendatio adpareat, referatur Sequestrum vel Processu per sequestratum moto, vel vero per mandatum Regis Referatorium. Etiam per Mandatum ad Comitatum, in quo bona jacent, directum potest imponi Sequestrum. Si quis a tali emat bona, qui publica Auctoritate pro dil pidatore declaratus est, amittit pecuniam.

Praelatis ex bonis beneficialibus notabiles proventus habentibus imponitur sequestrum, si bona, et aedificia desolari sinant, vel absque justa causa in beneficiis suis non resideant. Actionem Fiscus fundat contra illos in 71: 723. 16: 1741.

Hacte-

Hactenus praecipue de damnis infectis, et illis occurrendi modo egimus, si vero jam effective damna sunt illata, dupplex est modus ad illa reparanda procedendi, potest nempe in omni Processu, ubi damnum subversatur, accessorie damni refusio peti, et edocta Principali petitione damnum ad specificum debebit deduci.

Potest etiam praecise Processus damni erigi. Actio fundatur in Ulad. 1 16, 26: 28, 3ae. 31: 659. Imitatur naturam debiti, id est expensae currunt, appellatur ut debitum, Judex est ut debiti. Probari debet realitas damni, et dolus, vel culpa, si fieri potest exprimi debet in Actione quantitas, et qualitas damni, et probari, verum in genere probata realitate poterit Judex eruere quantitatem, et secundum illius limitationem refundi debet, 27: 1638. non secundum juramentum actoris, ut olim fiebet, et hodiedum contra legem fit.

Inferri potest damnum in specifico:

Quarto. Per Decorticationem silvarum aut succissionem arborum, glandium, gallarum, aliorumque fructuum silvestrium collectionem, 33: 3ae dicit quod colonus in succisione silvarum deprehensus capi, rebus ad se habitis spoliari potest, quas resmittet, et praeterea in poena Violentiae, i de est Homagii sui depositione coram Domino convinci poterit. Lex tacet de Nobilibus, verum usus pene universalis hanc legem etiam ad Nobiles extendit, ita enim fieri solet, ut etiam illorum res, v. gr. currus, et jumenta adimantur, licet praestaret via Juris agere, et tales Nobiles, si A. privativum usum probare potest clare, citare, nam

secus

secus, etiam si Nobilem in silva deprehensum rebus suis privare volens verbera acciperet, vix propterea contra verberantem agere posset, quia via facti agenti, et sibi Justitiam administrare volenti non possunt Jura patrocinari, si in suo Judicatu se turbatum querulatur, licet Jura illo uti saepe permittant. Si vero usus est dubius, nec via facti, nec via Juris agendum est. Si tamen via facti sive aggressive, sive defensive uti placeat, cauti homines id agere solent, ut in via facti superiores evadant, utque alter sit A, ipsi vero Incatti, quia usus qui sufficit ad id, ut quis I. a poena liberetur, non semper sufficit ad id, ut A. penes talem usum poenam in altero desumat. Quidquid ejus sit, si spoliatio facta est, res ademptae Judici debent resignari. 33: 3ae quidem dicit, quod res ipso facto amittantur, verum hoc esset valde durum, ergo a paritate 42: 1729. tunc demum amitti debent in perpetuum, si Judicialis binaria admonitio, vel protestatio praecesserit, ut a devastatione silvae abstineat, et tamen non abstinuit.

Caeterum in silvae succisione deprehensus, etiam captus, licet Ignobilis, verberari, aut in arrestrum conjici non potest, verum rebus ademptis libere dimitti debet, quia secus verberans, vel detinens Violentiam incurret. Aestimatio in devastationibus silvarum per Judicem, et Juratos loci ita peragitur, quod trunci arborum defectarum connumerantur, et stantibus adhuc arboribus approportionantur, et sic valor eruitur, minori tamen pretio debent aestimari, quam stantes, quibus similes videntur, quia ex trunco adaequate qualitas de-

defectae arboris resciri non potest. Si vero majus sit damnum, tunc in plaga vicina quae defectae similis est, hoc assumitur, quot orgiae ex tanta plaga, quae resecta est, confici possint? et sic locali pretio aestimatur.

Quinto per pecora, et pecudes, si nempe Segetes, herbas depasci, conculcari, destrui quis fecerit aut in plaga aliqua pascendo Jus alienum laedat. Altilia, v. gr. anseres possunt mactari, et trajici, si in damno deprehendantur, verum debent Domino restitui, etjam porci tales altiles, qui absque cura Domini hinc inde oberrant, et capi, impelli, vel claudi non possunt, mactari poterunt, si insinuatum est Domino, ut curam habeat, et ille tamen non clauserit tales porcos. Verum gregales porci (cum totum gregem, vel etiam partem gregis facile sit impellere, secus ac unum et alterum vagabundum, et absque custode oberrantem) impelli debent, ut et alia animalia, v. gr. boves, equi, vaccae, oves, caprae etc. Impulsio habet tres species. Nam si ex loco specialiter prohibito fit impulsio, licet nullum speciale, aut sub aestimationem cadens damnum sit illatum, nec Jus alterius turbatum sit, vocatur impulsio simplex, v. gr. si pars pascui, secus liberi, prohibetur, et pro specialibus pecoribus, vel pro speciali aliqua anni parte reservatur. Si vero ex loco damni, v. gr. ex segetibus, aut pratis, quae naturaliter prohibita sunt, aut ex loco, qui proxime per impellentem privative pacifice possessus est, facta fuerit impulsio, vocatur Invagiatio. Si vero ex loco jam antea in controversiam sumto,

et

et ante impulsionem etiam in Controversia existente facta est impulsio, vocatur Abactio, si verbi gratia propterea quis eo pepulit sua pecora pastum, quia plagam illam vel privative ad se pertinere, vel saltem promiscuum, et simultaneum usum sibi in plaga illa competere praetendit.

In dictis casibus habet laesus Jus impellendi pecora, vel pecudes, aut res alias mobiles adimendi et triduo apud se detinendi. Ultra triduum non potest apud se detinere, verum debet ad manus Vice-Comitis, vel proximioris Judicis Nobilium (non Jurassoris) omnia resignare, quia secus pro qualibet die solvet 3 marcas, id est 12 florenos, nullo respectu habito ad numerum pecorum sive plura, sive tantum unicum fuerit. In Civitatibus, aut Oppidis Comitatui non subjacentibus Judici debet fieri resignatio, poena cessat post 15 dies, nisi per Dominum pecorum Judicialiter sit admonitus, ut resignet, quia ita curret poena marcalis tamdiu, donec pecora ad manus Domini devenerint.

Extra dictos casus nemo habet Jus aliena pecora impellendi, vel adimendi, nisi illa pro errabundis, et vagabundis haberi possint, aut usus turbatio, damnum et violentia per pecoris Dominum illata subversetur. Nec est poenale non resignasse extra hos casus, verum ademisse, vel detinuisse, praecipue post Admonitionem Nec Judex debet sibi resignata pecora aut alias acceptare, nisi aliquis ex illis titulis adsit, quia absque titulo nec Judex potest res alicujus in manibus suis detinere.

Resi-

Si publico loco statuto specialis prohibitio intercessit, ne in aliquem locum sive segetes, sive prata, vel pascuum pellantur pecora, et certa taxa prohibitionis defixa est, coloni ejus loci tenentur etiam taxam illam deponere, Nobiles vero in loco tali, aut nefors etiam Ignobiles Jure materno, vel uxoreo bona ibidem possidentes tantum ita tenentur taxam illam deponere, si consenserunt in taxam, vel vero auctoritate Comitatus est taxa posita, neque extranei, id est aliorum locorum incolae tenentur ad taxae prohibititiae solutionem, nisi publica Comitatus auctoritate defixa sit 33: 3 e. Verum taxam impulsionis (hajtó pénz) item pretium intertentionis secundum limitationem Judicis, nisi usu pecorum compensatum sit, in omni casu impulsionis debet Dominus pecorum refundere, et si impellens plus praetendat, quam Judex limitavit, nec pecora, licet cum oblatione summae admonitus restituat, incipiet poena marcalis currere, quia via facti, et proprio Judicatu agendo evadit violentus detentor.

Processus ex hac materia sunt:

Primo Marcalis. Multi sunt Processus, in quibus lex vel plures, vel pauciores marcas dictat, verum hic ex impulsionibus enasci solitus Processus, per excellentiam Marcalis vocatur. Movetur Processus ad poenam marcalem coram Vice-Comite, posset tamen etiam coram Judice Nobilium moveri, quando praecise ad marcas desumendas absque Violentia movetur, et poena Judicatum Judicis Nobilium non excedit, licet sit Byrsagialis, quia 35: 1729. nonnisi causas violentiales ad Vice-

Comi-

Comitem restrinxit, ut tamen exceptioni occurratur, praestat semper coram Vice-Comite movere. Per 94: 1715. Vice-Comes ponitur pro Judice, cujus legis non rubrum, sed nigrum respiciendum est, et ex illa lege non debet deduci, quasi contra colonos etiam ob succisionem silvarum coram Vice-Comite agendum esset. Ergo de Nobilibus, et liberis hominibus intelligenda est citata lex, talibus nempe qui silvas destruerent, vel pecora ibi adempta, vel undecuuque impulsa non resignarent, quia coloni coram Domino conveniendi sunt.

Processus Marcalis moveri solet per Dominum pecorum vel rerum aliarum contra impellentem, propter praetensum damnum adimentem, invagiantem, aut abigentem in casibus his. 1) Si non resignavit intra triduum, vel non omnia resignavit, ad poenam 15 dierum, post 15 dies ita curret poena, si admonitus non restituit. 2) Si ex loco damni, aut pacifici sui possessorii impulsa pecora oblata justa satisfactine, id est reali cautione, nempe pignore non restituit, vel vero in abactionibus, oblata literali, cautione, et praeter haec pretio intertentionis, et taxa impulsionis, non restituit, licet resignaverit tempestive.

Si impellens in plaga, ex qua impulit, privativum annuum pacificum ante tempus impulsionis proxime praehabitum usum probare possit, non convincitur in poena marcali, si non restituerit ad literalem cautionem, licet per Judicem, cui resignatio facta est, pro sufficienti agnita sit illa cautio, quia in illo casu realis cautio fuisset necessaria, a qua Judex dispensare non potuit. Ergo literalis cautio tantum tunc sufficit, si proximo ante abactio-

nem anno jam plaga controversa fuit, si in tali casu non restituat ad literalem cautionem, punietur in poena marcali, verum si resignatio literatoria fuit, debebit cum ipso communicari per Judicem illa literalis cautio, secus non tenetur restituere, imo licet communicata fuit, si tamen cautio non sit talis, qualem supra descripsimus, non tenetur restituere, nec poenam marcalem incurret, licet admonitus sit ut restituat. Sic si quis tantum legalem in genere, et in abstracto cautionem offerat, nec in casu damni, nec in casu abactionis tenetur invagians, vel abigens pecora restituere, quia cautio specifica esse debet, nempe in casu invagiationis pignus reale, in casu abactionis cautio literalis stylo legali concepta. Tale pecus, quod pluribus impulsis in pignus conventae solutionis relictum est, seu per Dominum pecorum, seu per hominem illius, non debet per invagiantem resignari, vel absque effectiva damni depositione restitui, verum potest etiam post admonitionem impune detineri, quia non jam facto impellentis est apud impellentem, verum facto Domini, vel hominis illius. Si Marcalis Processus ob non resignationem in Commissione fundetur contra aliquem, cujus homines pecora abegerunt, vel invagiarunt, et Commissio non doceatur, condescendit Actio, et I. absolvitur, licet probetur, quod homines ejus ipsi notificarunt post impulsionem, et licet prodeat, quod ille postea literatorie tentaverit resignare, quia inde non sequitur, quod factum suorum hominum approbaverit, et in se assumserit. Ergo tunc coram Domino debet contra homines ejus ad poenas marcales procedi.

Poe-

Poena est solutio trium marcarum gravis ponderis, id est, r. fl. pro singula die, cujus Byrsagii 2/3 Judici, 1/3 Actori cedit (quod in genere de omnibus Byrsagiis notandum, nisi lex in speciali casu contrarium disponat) praeterea restitutio pecorum cum fructibus, et damnorum, ac expensarum litis refusio. Si nomine collectivo communitas sive Nobilis, sive Ignobilis impellat, et non resignet etc. nomine collectivo solvit unam poenam, licet plures Dominos habeat impellens illa communitas. Si vero plures Nobiles, vel Libertini impulerunt, et non resignarunt, ut supra, singillative solvunt poenam, licet una eademque actione conveniri possint. Si plures subditi (non tamen communitas) impulerunt, tot diversas poenas solvunt, quot Dominos terrestres divisos in bonis illis habent, et contra illos procedi debet coram sede Dominali cujusque Domini. v. gr. Si unius Domini decem coloni impulerunt unius pecora, unam poenam solvunt, si illi decem tres diversos, et a se invicem divisos habeant Dominos, tres poenae currunt, etiam si unus tantum sit laesus. Et hoc quoad impellentes. Verum adhuc etiam numerus laesorum poenam diversificat, quia si plurium Dominorum terrestrium in bonis illis divisorum fuerint pecora, toties currunt poenae, quot diversi Domini pecorum non resignatorum, vel non restitutorum sunt, item si colonorum plurium pecora sunt impulsa, toties currit poena quot diversos Dominos terrestres habent illi coloni, v. gr. unus Nobilis impellit unius Nobilis pecora, una poena currit, unus colonus impellit unius coloni pecora, una poena currit, unus co-

lonis impellit quatuor Nobilium, vel quatuor colonorum quatuor distinctis Dominis obnoxiorum pecora, et non resignat, quater currit poena, licet uno actu fuerit. Si vero quatuor subditi diversis, et divisis quatuor Dominis subjecti impellunt uno vel saltem continuativo actu, et simul sumpti, pecora quatuor colonorum aeque divisis quatuor Dominis subjectorum, tunc pro singula die octies currunt tres marcae, et quatuor laesorum colonorum Domini possunt, et debent a quatuor laedentium colonorum Dominis impensionem petere, et non singillative quilibet laesus Dominus a quolibet, et singulo ex quatuor Dominis, quia jam ita sedecies curreret poena Marcalis, atqui odiosa, et poenalia sunt strictioris interpretationis, et lex dicit, quod pro numero Dominorum, quos laedentes, et laesi habent, currat poena, aliud esset, si diversi actus fuissent, id est quatuor impellentes non simul sumpti, aut quatuor laesorum pecora non simul sumptim fuissent impulsa, tunc redit res ad casus supra dictos, et ita contra quatuor colonos quatuor colonorum pecora impellentes, sedecies current tres marcae pro qualibet die, verum per diversos et singulos in singulis desumendae. Si violentialis Processus moveatur pro Marcali, et Marcae plus facerent, quam violentia, non exciperetur contra Institutum, secus exciperetur, et condescendere deberet.

Actio ad desumendas Marcas fundatur in 33: 3ae item in 42: 1729.

Secundus Processus est violentialis, movetur aeque per Dominum pecorum vel simul cum marcali supra dicto, vel separato Processu.

Actio

Actio fundatur in 42: 1729. Probari debet, quod Dominus pecorum ante abactionem pecorum, usum loci pacificum adminus unius anni, licet simultaneum cum abigente, citra tamen Judiciariam prohibitionem, aut contradictionem sive personaliter, sive in generali Congregatione, aut Sedria Comitatus per abigentem factam, non precarium, aut clancularium habuit, quia post talem usum pacificum nec via facti nec Judicialiter intra anni decursum turbatum, non potuisset abigens via facti agere.

Tertius aeque violentialis movetur per abigentem contra Dominum pecorum, quod in alienum fundum pepulerit sua pecora pastum, licet damnum nullum illatum sit, debet probari usus privativus saltem unius anni publicus, manifestus, non precarius, aut permissivus, citra Judiciariam prohibitionem Domini pecorum per abigentem Actorem exercitus, fundatur aeque in 42: 1729. damna, et expensae, ut in omni violentiali Processu, refundi debent per Dominum pecorum.

Quartus aeque violentialis movetur per invagiantem contra illum, qui dolo et studio, data opera damna per pecora sua intulit in loco per Actorem invagiantem privative, et pacifice possesso. Tunc etiam idem Processus habet locum si praecessit inhibitio contra Dominium pecorum, ne in territorium illud pellat pecora. Fundatur aeque in 42: 1729 et aliis de Violentiis sonantibus legibus.

Quintus aeque Violentialis movetur contra Dominium pecorum pecora sua via facti liberantem, et vel hominibus impellentibus in via, vel prorsus e loco ubi invagians illa clausit, violen-

lenter, et via facti auferentem. Actio fundatur in 82: 28oi.

Sextus ad amissionem pecorum, movetur per abigentem contra illum, cui penes scriptam cautionem restituta erant pecora. Probatur usus privativus, ut supra diximus, praeterea, quod inhibitio, et admonitio contra Dominum pecorum, vel ejus Officialem binis vicibus personaliter (id est non in Congregatione, vel Sedria per porrectam, et ibi perlectam protestationem) medio Judicialis Personae peracta est, hoc probato amittet pecora in perpetuum. Actio fundatur in. 42: 1729.

Alias diximus, quod consvetum sit in silvarum devastationibus deprehensorum etiam Nobilium currus auferre, et abigere, id ex hoc citato articulo defendi potest, qui ex loco damni, et in controversiam sumpto pecora invagiari, et abigi in genere dicit, verum ex eadem lege hoc etiam sequitur, quod non in perpetuum amittantur tales res, ut 3: 3ae inuit, non tamen videtur dari Actionem ad recuperanda talia jumenta, et currus, nisi quis simul Processum violentialem movere sustineat, et in illo triumphet.

Septimus Processus esse potest Damni Processus, et tam per Dominum pecorum ob male curata pecora, quam per illum, cui pecora damnum intulerunt, potest moveri, praecipue si pecora non potuerunt invagiari, et culpa datum est damnum, id est incuria Domini pecorum, quia si dolo datum est, violentialis etiam potest moveri, si vero absque culpa Domini pecorum intulerunt pecora damnum, non refunditur, quia est casus, casus

ſus nocet Domino rei, quae caſu periit, vel deſtructa eſt, pro cauſuali habetur etiam damnum, quod neſors pecora praeter naturalem inſtinctum, quo feruntur ad vorandas ſegetes, et herbas, damna inferant. v. gr. per calcitrationem, aut boves, vel vaccae cornupetae ſi quem laedant, quia hoc raro poteſt Domino imputari. Licite invagians ob male curata pecora in culpa lata, illicite ievagians vero etiam in leviſſima convincitur.

CAPUT XXXII.

De Dehoneſtatione.

Dehoneſtatio eſt delictum, quo alterius exiſtimatio, et honor doloſe laeditur. Committitur vel verbis, vel ſcripto, v. gr. Pasquillis, vel aliis Literis. Si Dehoneſtatio fiat in Proceſſu, vel in Congregatione Comitatus, vel in Judicio, vocatur Violatio Sedis Judiciariae, de qua alias agemus. Dehoneſtatio committitur contra privatum, quia contra Principem, vel Statum publicum, ſi verba, et ſcripta ad ſeditionem tendant, facile ad Crimen Laeſae Majeſtatis trahitur.

Proceſſus Dehoneſtationis poteſt deffuere vel coram Vice-Comite, vel coram Judſce Nobilium pro praxi, et ſtatuto cujusque Comitatus. Apellatur ſemper extra Dominium 28: 29: 1729. Actio fundatur in 72: 2ae. 1723: 57. In actione qualitas Dehoneſtationis diſertis verbis exprimi ſolet. Probari debet realitas delicti. Si verba dubia poſſunt etiam in ſenſu probo accipi, tamdiu non eſt Dehoneſtatio, quamdiu illa proferens non declarat ſe

in

in dehonestatorio sensu accipere velle, aliqui dicunt, quod possit tali homini juramentum imponi super eo, quod non in malo, et novico sensu acceperit. Quod joci, vel corrigendi causa profertur, non est Dehonestatio, quia non adest dolus, et nocendi studium, id quod ex circumstantiis metiendum est. Si tale delictum objiciatur, quod reipublicae interest scire, v. gr. Homicidium, Furtum, Latrocinium etc. et probetur, non punitur, qui illa protulit, quae ob bonum reipublicae debuit facere, sic si ob suam utilitatem, et causa se defendendi objecit v. gr. testibus contra se adductis, quod fidem non mereantur, et probet, non punitur, quia hoc potuit facere ex 2ae 36. Verum si nec necessarium, nec ipsi utile fuit objicere, licet probet, quod objecit, tamen punitur. Dehonestationem subsecuta revocatio, et deprecatio non suffert, et ea non obstante datur actioni locus, verum per retorsionem suffertur, non quasi liceret convicia reddere, verum ideo, quia uterque deberet convinci, ergo tantum lites multiplicarentur. Verbis dehonestatoriis adjecta protestatio, et cautela, v. gr. deprecor, vel salvo honore dictum sit etc. non suffert reatum, quia actus contrarius protestationi adjectus tollit hujus vim.

Dehonestatorius Processus in eo differt a violentiali, quod hic delictum, et laesio verbo illata vindicetur. Quemadmodum violentialis, ita et dehonestatorius est Nobilitaris Processus, (utrobique lata sententia vocatur sententia minor, et distinguitur a capitali, vel emenda Capitis, quae in Actu Majoris Potentiae dictatur) Hinc tantum Nobiles

pos-

possunt ad ordinariam poenam Dehonestationis, quae in 100 fl. consistit, contra Nobilem proprio Actoratu agere, inter rusticos vero in 20 fl. consistere dicitur. Utriusque byrsagii 2/3 Judici, 1/3 Actori cedit. Expensas non dicit lex refundi debere, tamen in aliquibus Comitatibus adjudicari solent. Dehonestans non potest Judicialiter ad deprecationem cogi. Poena toties currit, quot distinctis vicibus facta est Dehonestatio, et quot fuerunt personae dehonestantes, vel dehonestatae. Si plures contumeliae in continuo, et eodem tempore sunt prolatae, vel in una epistola, aut pasquillo plures Dehonestationis species sunt, tamen una tantum poena currit, quia habetur pro continuo actu. Si quis in probam diffamatoriae suae dictionis aeque tale documentum producat, tamen una poena tantum currit. Si quis alteri commiserit Dehonestationem, tam Mandans, quam Mandatarius punitur.

Processu dehonestatorio possunt etiam illi conveniri, qui injuriosam expositionem faciunt contra aliquem coram Rege, vel Judicibus Regni Ordinariis ex 2ae. 72. Verum in majoribus, uti alias diximus, propter Magistratuales infamatorie apud Regem delatos, poena talionis dictari debet coram Tabula Regia 63: 1723. Si nempe accusatio infundata fuerit.

Si quis alterum Ignobilem dicat, et ille suam Nobilitatem fidedignis testimonialibus probet, mortuum homagium laesi, id est 200 flor. deponendi sunt. Sic si quis alterum infamem, vel perjurum appellet, in homagio ejus convincetur, si nempe ille se honestae conditionis hominem esse probabili documento poterit evincere ut 2ae 36. dicit.

In

In Diaeta, sive in loco Sessionis, sive extra illam poena Dehonestationis Ablegatorum sive verbalis, seu scriptae, id est pasquillorum, consistit in 200 florenis, intuitu cujuslibet laesi; per Tabulam Regiam summario Processu, uti alias vidimus, desumendis, quae poena tota laeso cedit 72: 7.

Dehonestatio cum sit mere personale quid, interventa ante contestationem litis sive laedentis, sive laesi morte exstinguitur.

Hactenus de talibus poenalitatibus, et Byrsagiis, ad quae desumenda principaliter solent moveri Processus, jam.

CAPUT XXXIII.

De Byrsagiis, et aliis quibusdam poenalititatibus incidentalibus.

Primo Calumnia in genere est delictum, quo quis alterum dolose litigando vexat. v. gr. Si eandem rem duplici Judiciaria via quaerat 2ae 70. aut diverso colore, et diverso titulo incompatibili, aut quaerat rem talem, de qua jam alterum securum reddidit, v. gr. transegit, vel amicabiliter convenit, aut condonavit. Verum ad invalidationem potest agere absque calumnia Calumniosus est, qui litem legitime terminatam absque Juridico remedio resuscitat, v. gr. absque novo, vel non terminata lite, absque depositione aliam suscitat, vel intuitu ejusdem substrati binariam citationem principalem, quin prior condescenderit, adornat 2ae 25. Item si literas, quas ipse habet, Processu mediante ab alio quaerat, aut aliam quamcunque

que rem. Vel si plures ex collusione eandem rem, et ex eodem fundamento contra unum quaerant. Si quis ad semel in eadem causa pluribus remediis Juridicis incompatibilibus utatur, donec priori cedat; aut illud Judicialiter cassetur, v. gr. apellat, postea appellatae non cedendo, novisét, aut prohibeat simul, et appellet, intuitu ejusdem praetensionis Apellata, et oppositione simul uti non est calumniosum. Porro calumniosus est, si quis novo simplici bis utatur, aut novum cum gratia bis petat, vel ubi novo cum gratia deberet uti, novo simplici utitur. In his casibus si I. nonnisi instituti condescensionem petat, illud condescensioni subjicitur, et poena cessat, secus etiam calumniae poenam, aut aliam Judex, nisi petatur, non dictat. Observandum adhuc, quod calumniae poena per incompetentem Judicem dictata, pro nulla habetur, si contra Judicatum exceptum est.

Poena calumniae est amissio causae perpetua, et 200 fl. in 1/3 parti adversae, in 2/3 partibus vero Judici cedente. Convictus in calumnia novisare non potest, verum appellare permittitur. Etiam fora inferiora possunt poenam calumniae dictare; licet ut aliqui dicunt nonnisi in 100 florenis, quod quo fundamento dicatur, non video, quia articulus 48: 1563, quem allegant, nonnisi in Violentiae poena dictanda prohibet Comitatus supra 100 fl. ascendere. Calumniam allegans, et non probans pari poena non afficitur, quia lex de illa poena tacet. Qui in facto alieno versatur, calumniam non incurrit, quia non est dolus, nisi pertinaciter agat. Ex facto Advocati calumniam importante, potest

quis

quis se juramento purgare, quod illud nescivérit. Etiam Incattus potest ob fraudulentam defensam calumniam incurrere, v. gr. si dicat se dupplici titulo, temporaneo v. gr. et perennali possidere, aut duobus remediis utatur ut supra etc.

Secundo Violatio Sedis Judiciariae est delictum, quo quis indecenti dicto, vel facto in figura Judicii commisso dignitatem Judicii violat. Hoc extenditur etiam ad Congregationes Comitatuum 723: 57. Committit etiam ille, qui in figura Judicii sententiam vellicat, injustam dicat, imo si vel solo nutu, vel gestu aliquem in tali loco, praecipue Judicem laedit. Poena est 25 marcarum gravis ponderis, quod onus si in continenti, vel in parata, vel in pignore, v. gr. annulo, horologio etc. deponatur, marca gravis floreno deponitur, si vero convictus petat secum hominem Judicis mitti et domi deponat, marcam gravem duobus florenis redimit 2ae 82. §. 30 quod quidem in posterioribus de violatione Sedis Judiciariae sonantibus legibus non dicitur, verum cum expresse abrogatum non sit, stare videtur, si pignus non redimatur 25 florenis, 100 floreni desumentur. Si Judex in persona laedatur, v. gr. Vice-Comes, aut Judex Nobilium in rebus Officii, in quibus procedebat, 100 floreni integri debent solvi. Dictari debet haec poena stante eadem Sede, vel Congregatione, nec potest alia die sententia ferri. Hinc contra tales Fiscus Comitatensis statim porrigit suam levatam, et vi 57: 1723. petit convinci. Appellata extra Dominium admittitur. Ex Math. 6: 52. usque 15. Dies deberet exspectari convictus, verum moris

est,

est, ut in Congregationibus detineatur, quamdiu deponit. In Tabula Regia onus totale deponitur, et vi 69: 2ae. Convictus ex Sessione eousque non eximititur.

q In figura Judicii, aut in Congregatione laesivis, et dehonestatoriis terminis afectus, et laesus videtur Actionem ad Dehonestationem habere, licet ibi instantanee convictus sit ille, qui illos terminos protulit, quia poena ibi dictata est ob laesionem publici, et ob loci reverentiam violatam, et quia secus melior esset conditio illius, qui in loco tali dehonestat alterum, quam alibi, quia minori onere, marca levi deposita, satisfacere potest, quod quidem in Dehonestatorio Processu non currit, quia ibi majus onus, id est totam poenam in 100 fl. consistentem luit 1ae. 69. ubi contra distinguitur sententia propter Violationem Sedis lata ab aliis minoribus sententiis (id est ab illis, quae non ob violationem Sedis dictantur,) quales sunt Dehonestationis, et Violentiae, in quibus onus majus deponi jubetur. Imo etiam Judex, si non qua talis, id est non in re Officii est dehonestatus, Actionem adhuc privatam praeter publicam habere videtur, si vero qua talis laesus est, non habet, quia tunc alioquin totum onus depositum est, ex quo laesus unam tertiam participat.

Tertio poena temere Litigantium. Qui Processum ad supremum forum perducit, et in merito nullibi sententiam favorabilem, saltem inviatoriam, vel remissoriam, reportat, verum aequaliter et simpliciter in omnibus foris succumbit, punitur per sen-

ſententiam Septem-Viratus ad ſummum in 100 fl. niſi lex aliam poenam dictet expreſſe; praeterea in refuſione fructuum, et expenſarum, licet ſecus illae non currerent. De hac re egimus alias.

Quarto Silentium Procuratori imponitur ob delictum contra fidem, et officium patratum. Poteſt noviſare, ſi in Proceſſu eſt impoſitum, aut per gratiam Regis relevari a ſilentio, poteſt proprias cauſas et active, et paſſive agere. Silentium hoc eousque ſe extendit, prout Judicis imponentis auctoritas, v. gr. cui per Comitatum impoſitum eſt ſilentium, coram illo Comitatu non poterit agere, ſi vero per Curiam imponitur, nullibi poteſt in Regno. Hac poena punitur, ſi colludat cum adverſario, et literas ſui Principalis cum illo communicet. 2) Si intempeſtive deſerat ſuum Principalem absque juſta cauſa, et per id illi damnum inferatur. 3) Si amicam compoſitionem impediat. 4) Si legitima auctoritate impulſus cauſam pauperis aſſumere nolit. 5) Si falſas literas conficiat, aut illis ſcienter utatur, illis inhaereat. 6) Si praecipue pauperum Advocatus de quotta litis cum principali paciſcatur. 7) Si ſaepius admonitus Proceſſum tamen trahat etc.

Quinto Emenda Linguae, id eſt, proprie mulcta Linguae, in ſenſu lato ob delictum linguae imponitur, propter Dehoneſtationem, Violationem Sedis Judiciariae, venit a voce Gallica Amende mulcta, quae vox, ut et aliae multae locutiones, et voces, v. gr. aviſare, cum gentibus, querere, blada (frumentum) etc. a temporibus Caroli Roberti ex Gallo-

Gallorum Regum Familia orti in Hungaria invaluisse videtur. In sensu stricto incurritur Emenda Linguae per Procuratores, si adversarius petat, 1). Si absque Mandato id est Procuratoria constitutione agant, aut si jam illa exspiravit, nisi constaret esse Fiscalem ordinarium ejus pro quo agit. 2). Si quis causam a Principali transactione sopitam resuscitat, promovet, appellat, licet sit legitimus Mandatarius. 3) Qui in allegando laesivis terminis utitur 2ae. 70. Emenda Linguae facit 100 florenos, quae si statim deponatur, marca gravis, marca levi redimitur, secus, totum deponi debet, et quamdiu non deponat, non permittitur coram illo foro allegare.

Sexto Infamia alia est facti, quae contrahitur factis turpibus, de quibus notorie constat Effectus habet hos: excipi potest contra testimonium diffamati 2ae 26; 1729: 27. Adimit Actionem ob Dehonestationem in eo genere, in quo quis est diffamatus. Alia est Infamia Juris, quam lex dictat, et Judex, id est Curia Regia infligit, si petat adversa pars, uti diximus, de proditoribus fraterni sanguinis, de Tutoribus infidelibus, notoriis in Processu per Fiscum moto, aut Criminis Laesae Majestatis reis, Falsarum Literarum Confectoribus, Perjuris, Depositi Detentoribus, Procuratoribus cum adversa parte colludentibus 27: 1567. §. 4. Praeterea incurrunt hanc poenam Larvati, Mandatis Judicum Regni Ordinariorum non obtemperantes, omnes malefactores Criminales condemnati, quamdiu crimen non expient, ut et illi, qui se ad poenam infamiae contractu

medi-

mediante obligant, et fidem violant. Duellantes ex usu Effectus hujus poenae sunt. 1) Inhabilitas ad omnia Officia. 2) In nulla materia potest agere ad poenam Dehonestationis. 3) Contra testimonium illius non tantum impune excipere licet, verum prorsus rejici debet, fecus ac infamia facti notatorum, quia licet contra illos exceptio impune formari possit, non tamen semper debent rejici, nisi de perjurio sint infamati notorie. Infamia facti factis contrariis tolli potest, verum infamia Juris nonnisi per contrariam sententiam, aut per gratiam Principis tollitur, ita tamen, ut per illam tertio praejudicium non inferatur.

LIBER TERTIUS.

De Actionibus in genere, seu de mediis legitimis Jus suum persequendi, et defendendi. Huc pertinent.

I. *Jurisdictio, et personae judiciales.*

II. *Actus judiciales.*

III. *Remedia juridica.*

I.

De Jurisdictione, et Personis judiciariis.

CAPUT I.

De Jurisdictionum varietate, competentia Fori, et de Judice.

Jurisdictio est vel voluntaria, quae extra causas controversas exercetur, etiam extra fines territorii v. gr. Plenipotentiarium, vel Procuratorem constituere possum coram Judicibus Regni ordinariis etiam extra Regnum constitutus, 24: 1729. aut coram Vice-Comite, vel Judlium, et Jurassore etiam extra fines Comitatus, imo et extra Regnum, v. gr. Viennae, vel contentiosa, quae in causis, et rebus controversis exercetur intra limites territorii, vel loci lege defixi. Est adhuc Jurisdictio vel Politica, vel Judiciaria, haec vel Civilis, vel Criminalis, et in genere omnis Jurisdictio vel est ordinaria,

id eſt ex lege vi muneris executur, vel extra ordinaria, v. gr. vel per Delegationem, cum nempe Princeps in cauſis legali Judice deſtitutis aut ob aliquod grave incidens etiam in aliis aliquem Judicem conſtituit, aut Palatinus loco ſui vel per Compromiſſum, cum partes contractu mediante ſibi Judicem eligunt; vel per Prorogationem, cum vel Princeps, (ubi lex contrarium non conſtituit) vel lex, vel partes intereſſatae extendunt Judicis auctoritatem ultra ſuam competentiam. Eſt adhuc Jurisdictio vel primae Inſtantiae, vel Appellationis vel ſupervíſionis; et vel ſolitaria, quando directe tantum coram uno foro, et Judice poteſt moveri Proceſſus; vel concurrens, quando Actor poteſt eligere hunc, vel illum Judicem, et ſi coram uno inchoavit, jam coram altero absque poena calumniae agere non poterit, quia ſe ipſum per praeventionem ligavit.

In his omnibus Jurisdictionibus Rex habet ſupremam Jurisdictionem alii Judicis vero ſubordinatam. Verum cauſae controverſae, praeter Res politicas, non poſſunt ad Principem deferri, niſi ex aliquo incidenti, aut impedimento, v. gr. pro Mandato Judiciali poteſt ad ipſum recurſus ſumi.

Hic in memoriam revocanda ſunt illa, quae de rerum Judiciariarum adminiſtratione ex Statiſtica Hungariae ſciri debent.

Competentia Fori ordinarie eſt vel ratione rei, quae ſub lite eſt, pro ſitu nempe, et qualitate illius nullo reſpectu habito ad perſonam,

vel

vel ratione personae, vel ratione residentiae, aut comprehensionis. Sic etiam Nobilis malefactor potest condemnari coram Sede Dominali ejusdem Domini, in cujus territorio deliquit, et in flagranti comprehensus est, si illud Dominium Jure gladii gaudeat. Ulad. 2: 19. 3ae 20, 32. 15. 569. quia alioquin non potuit comprehendi per Dominium, vel homines illius, nisi in flagranti. Idem valet etiam de Civitatibus, licet malefactores Nobiles in territorio earundem deprehensos Comitatui resignare soleant, quod tamen cum cautela facere solent, ne per id Juri suo derogasse, aut illi renunciasse videantur. Qui vero Jure gladii non gaudent omnes malefactores debent resignare Comitatui, secus convincuntur in 500 fl. ad rationes Comitatus cedentibus 16: 659. per quem 32: 3ae alteratus est.

Extraordinarie vero competentia fori praeter Delegationem, et compromissum, aut prorogationem, fit etiam per Reconventionem, quae habet locum, ubi praetensio Incatti nexum habet cum praetensione Actoris, et ex eodem fonte promanat, uti vidimus de Divisionali, Proportionali, Metali, et Computuali, et in illis casibus, ubi poena Talionis dictatur Actori, v. gr. in violentialiali poena Indebitae, aut propter accusationem aliquam 7: 1715. 9. 1567.

Denique competentia fori extraordinarie potest esse ratione accessorii, cum persona, vel res principalis, aut objectum principale coram aliquo Judice est, et accessorium ibi judicari debet 52: 2ae v. gr. evictor citatur ad idem forum,

rum, ubi evincendus ftat, fic repetitio literarum in Proceffu invalidatorio, fic liquidatio, imputatio, damnorum refufio faepe fit coram Tabula Regia accefforie etc.

Pro varietate Jurisdictionum varii funt etiam Judices, qui vel funt ordinarii Regni Judices, vel tantum Judices fimpliciter. Alii funt Judices fuperiores, v. gr. Tabula Regia, et Septem-Viralis, et Tabula Banalis. Alii funt Judices inferiores, feu Pedanei etc. Judices debent effe modo legitimo conftituti, et juramentum corporale debent deponere fecundum formulam, quae habetur 33: 1492 feu Ulad. 1: 34.

Judex inferior Commiffioni fuperioris non parens convincitur in 25 marcis gravis ponderis Ulad. 1: 73. fi vero Mandato Judiciali Judicis Regni Ordinarii non pareat, convincitur in amiffione officii, in 50 marcis gravis ponderis, id eft 200 fl. et infamia, uti alias dicemus,

An Judex fecundum allegata, et probata, vel fecundum privatam fcientiam debeat judicare? diftinguendum an in quaeftione facti, vel Juris verfetur, Si in quaeftione Juris, non indiget capacitatione, et licet pars aliqua male fe defenderit, tamen iftum fupplere debet, et fententiam in lege, quam melius intelligit, quam pars illa, et in natura rei fundare debet. Si vero in quaeftione facti diftinguendae civiles caufae a criminalibus, fententia abfolutoria a condemnatoria, et obfervandum:

1. In nulla caufa poteft condemnari non probatus reus, licet Judex fciat effe reum, quia ordo

Juris

Juris perverteretur, et via aperiretur fraudibus, v: gr. posset Judex corruptus dicere se aliter scire, quam probatur. Sed nec potest suspendere negotium, quia debet judicare, nec absolvere, quia scit reum esse. Ergo debet testem agere, non Judicem. Si non possit esse testis, debet absolvere, sive civilis, sive criminalis sit causa.

2. In causa civili non potest absolvi, qui probatur reus, licet Judex sciat non esse, verum officium deponere, testem agere debet, si non possit, debet condemnare, quia bonum publicum privato praevalet, et habet Jus Civitas in bona privatorum.

3. In causa criminali non potest condemnare illum, qui probatur reus esse, et sciat non esse, verum debet officium deponere, et testem agere, si officium non possit deponere, debet absolvere, Nec valet objicere, quob sic ordo Juris turbabitur, et dolis, ac fraudibus via aperietur, quia ordo Juris inventus est in conservationem hominis, et ordo ille est propter hominem, non homo propter illum, ergo potius pereat ordo, quam homo, et potius fraudibus via aperiatur. Nec potest objici: quod si in civilibus potest condemnare innocentem contra conscientiam, ergo et in criminalibus, quia ibi agitur de bonis, hic de vita, Civitas habet Jus bona Civium ob utilitatem publicam adimendi; sed vitam adimendi Jus non habet, et potius dissolvatur, et pereat Civitas, quam unum innocentem occidat, quia respublica non habet plus Juris in privatos, quam privati transtulerunt, atqui nec privati habent Jus in propriam vitam, er-

go

go nec transferre potuerunt. Quod Civitas habeat Jus malefactores occidendi, contra quos se defendere aliter non potest, ibi habet originem, quia singuli privati illud Jus habuerunt, et in rempublicam transtulerunt.

Obj. Potest hostibus tradere innocentem, aut cogere, ut bellet contra hostes, ibi morietur. Ergo

Resp. Tunc non occidit Civitas, sed tantum periculo exponit, ad id habet Jus, sed directe, et immediate occidere nunquam habet. Nec privatus tenetur se ad salvandam patriam directe occidi curare, et si hoc facit, peccat; verum si se periculo exponit, bene facit, et debet facere, et si non facit, potest per Civitatem occidi, si nempe alias Civitas salvari non posset.

Sed haec magis scholae, quam vitae causa dicta sunto, quia difficultates supra recensitae ad casum apud nos vix veniunt, plures enim sunt Judices, ex quibus si aliqui propter aliquod impedimentum Judices esse non possint. alii tamen sufficienti numero adsunt, vel adesse possunt. Pro usibus vero vitae praecipue in civilibus sufficit observasse; quod Judex circumstantias facti non allegatas, et non probatas attendere non debet, immo nec illas, quae post sententiam definitivam allegantur, licet probentur, quia talium errorum resanatio ad viam novi pertinet. Fora tamen altiora, praecipue Tabula Septem - Viralis, pro summa sua disinteressentia, prudentia, et aequitate, et ratione circumstantiarum, aliquid de rigore Juris, quoad probas post sententiam nefors allatas, re-

mit-

mittere potest, ne pars clarissime probans novo oneretur, et ita lites incassum multiplicentur.

CAPUT II.

De Actore, et Ingerente.

Actor est persona Judicialis, quae coram Judice aliquid contra adversam partem petit. Debet habere.

Primo Actoratum personalem, seu habilitatem ad agendum, id est, ut nec impediatur agere, ut stultus, nec prohibeatur, ut

1. Pupilli illegitimae aetatis.

2. Ignobilis contra personam Nobilem intuitu personalium laesionum, aut proprietatis bonorum, a:e 31. excepto eo, si bona materna successionali, vel pignoratio Processu quaerat. In aliis personalibus vel Fiscalis Magistratualis, vel Dominus, vel Civitas, id est Judex pro Ignobilibus agit. Sic Actoratum personalem non habent exteri, quia sunt Ignobiles in Regno nostro. Omnes tamen Ignobiles in contractualibus, et inde enatis caussis. v. gr. pignorantiis habent Actoratum. In aliis vero omnibus caussis potest Actoratus personalis quoad Nobilitatem etiam in medio Processu negari, verum uti diximus, praeter causas actus Majoris Potentiae, est poenale negare, si Actor, instantanee probet. Si vero Incattus tantum capacitari petat se de Nobilitate Actoris, hoc non attenditur, nec propterea Actoratus Actoris per Judicem suspendi debet, verum Incattus declarere debet, an simpli-

simpliciter velit negare, vel minus? quia secus tantum vexaret Actorem, et poenam vellet effugere.

3. Filii sub patria potestate existentes, quoad Jura parentum non habent Actoratum personalem, verum in laesionibus personalibus ipsis illatis, aut aliis cum patre nil commune habentibus habent actoratum, si legitimae aetatis sint.

4. Religionem ingressus non habet Actoratum quoad bona, nisi qua administrator communium Ordinis bonorum, aut intuitu decimalitatis sibi ex lege, ut dictum est, competentis. In personalibus tamen omnes Religiosi habent Actoratum. De infamibus observandum; quod si sit infamia facti id est, quae turpibus factis contrahitur, non possunt agere ad poenam dehonestationis propter objecta talia delicta, de quibus notorie constat. Si vero sit infamia Juris, id est, quam Judex imposuit, propter nullius speciei dehonestationem habent Actoratum in materia honoris, sed in aliis materiis habent.

Secundo, debet habere Actor Actoratum realem, id est, Jus persequendi id, quod in Actione continetur, eo fine debet probari per Actorem fundamentum praetensionis suae, uti jam in plerisque Processibus vidimus. Sic si quis fateatur bona apud alienas manus existentia perennaliter, jam ad illa revindicanda non habet Actoratum, (verum Fassionarius suo nomine debebit litigare) nisi Fassionarius aeque solemniter fatenti refateatur. Sic donec colonus legalibus oneribus sub priori Domino contractis satisfaciat, tamdiu non datur Actoratus Domino posteriori pro eodem colono.

Qui

Qui possessorii incapax est, non potest Actoratum realem Actoris ex incapacitate possessorii agentis disputare, ut nec Incatti Ignobilis novisantis Actoratus personalis disputari potest per novisatum, quia novisans est revera Incattus, quia novum est continuatio prioris litis.

Ingerens est persona Judicialis accessoria, quae lite adhuc pendente se in litem immittit. Cum ergo sit Actor accessorius, iisdem qualitatibus debet praeditus esse, quas de Actore retulimus, praeterea, in regula debet cum Actore principali communionem Juris, et sanguinis habere, et probare, et expensas actoreas secundum limitationem Judicis a proportione praetensionis suas refundere. Ubi communio Juris, et sanguinis non adest, nec ingessio admittitur, Fisco itaque ex nota, vel ex defectu procedente nemo potest semet ingerere, quia in talibus nemo habet cum ipso communionem Juris; sic si mares agant, et foeminae se ingerere velint, communionem Juris, et sanguinis, vel debent probare, id est id omne, quod ad Actoratum debent probare, si actrices essent. Cum ingerens sit Actor accessorius, sequitur quod firmius Jus non possit praetendere, quam est Actoris; quia sic esset contra Actorem, hinc Jure proximioritatis nemo potest se ingere, quia esset contra Actorem, nec plus potest praetendere, quam Actor inactionavit, quia secus non esset accessorius Actor, verum principalis; atqui hoc alio diverso Processu deberet facere. Etiam Incattus potest se ingerere, si Jus cum Actore commune edoceat,

et

et Juri suo alias quaesito cedat, expensasque actoreas bonificet.

Ingessio ante definitivam sententiam debet fieri, hinc non admittitur post prohibitam, vel appellatam, quia licet haec Juridica remedia interponantur; sententiam tamen non cassant, sed tantum effectum ejus suspendunt. In novo tamen, id est si Actor in fundamentali Processu succumbens novisset, admittitur, quia adhuc pendet lis, quia novum est continuatio. Si Actor principalis a te producta ad meritum causae pertinentia Literalia cedat liti, vel eam deponat, vel transigat, ruit Ingessio, et Ingerens, si quid sperat, diverso Processu quaerat, verum si post producta talia Literalia, vel prorsus post sententiam definitivam transigat, sua rata Ingerenti extradari debet, quia Jure suo, quod jam clarum est, facto alieno privari, vel ideo ad aliam litem relegari non potest. 84. 85. sae.

Quando quis ad poenam violentiae, vel repositionem procedit, vel oppignorans, aut illius successores Processu reluitorio agunt, non Potest se ille ingerere, qui illa bona ad se pertinere praetendit, verum Actor solus reponi, vel vero pignus ipsi adjudicari debet, et alter quaerat sua Jura diverso Processu, nisi bona illa communia sint, et per communem antenatum abalienata, et sic factum communis genitoris, vel antenati in lite subversetur, quia tunc omnes condivisionales possunt se ingerere.

Si Ingessio ob defectum probarum non stabiliatur, Ingerens tamen postea diverso Processu ratam

tam sumtu ab Actore poterit petere, si vero stabiliatur Ingessio, et Actor neget communionem Juris Ingerentes secum habere, potest respective prohibere, vel appellare, vel novisare contra Ingerentes, si ne fors probas habeat contra illos, quia secus poena proditionis fraterni sanguinis punietur. Is, cui aliquid promissum est ex bonis recuperandis, non potest se ingerere, verum exspectet triumphum Actoris, tunc agat ad implementum.

In Civitatibus in concursuali Processu admittitur Ingessio, absque eo, ut Actoris prioris expensas posterior bonificet. Extra Civitates separato Processu uti solet quilibet creditor.

Fiscus, vel privatus aliquis, qui Jus Regium sibi collatum praetendit, potest se in causam privatorum ingerere pariter absque bonificatione expensarum, quia non est penes Actorem, imo contra utrumque, et utroque in proba deficiente Fiscus vel Jure Regio se ingerens acquiret bona, si vero alteruter, id est, vel Actor contra Incattum, vel Incattus contra Actorem triumphaverit, Fiscus, vel Jure Regio utens, peculiari Processu debet agere, et probanda, uti alias diximus, probare, secus Jus Regium praetendens convincetur in perennali aestimatione bonorum eorundem.

CAPUT

CAPUT III.

De Incatto, et Evictore.

Incattus seu reus est persona Judicialis, a qua aliquid coram Judice petitur. Rex non citatur, verum Fiscus, seu Director causarum Regalium, ab eodem petitur etiam Impensio de Jurisdictionatis Fisci. Propter personales Actus Regis nec Fiscus ejus potest citari. Defunctus sub poena homagii ejus citari non potest. 23: 2ae Uti nec Nobilis, vel Civis potest Juri statui peti, sed de his omnibus uti etiam de pupillis illegitimae aetatis. Licet autem pupillus legitimam aetatem attigerit, et ideo Incattus esse possit, tamen si juramentum per ipsum deponi debeat non statim, potest ipsi imponi, sed maturior aetas exspectanda est. Religiosi in illis materiis, ubi Actores esse possunt, et Incatti esse debent, v. gr. in personalibus laesionibus, aut propter bona communitatis.

Evictor est persona Judicialis accessoria per Incattum Jure requisita ut illum in rei traditae possessorio contra Actorem defendat, vel in aequivalenti satisfaciat. Est ergo accessorius Incattus, et easdem qualitates debet habere, quas principalis Incattus.

Evictio alia est Legalis, quam lex imponit; v. gr. detentoribus Literalium Instrumentorum. Alia est Naturalis, quae in omnibus onerosis contractibus naturalit r inest, licet expresse non adsumatur in contractu, nec lex im-

ponat in specie, sic in Cambio, Emptione, Venditione. Sic naturaliter inest divisionibus fratrum, et sororum, id est, si unus impetatur quoad ratam divisione sibi obventam, reliqui ad evictionem citantur, et eodem Processu, particula amissa Incatto per reliquos compensatur, nec eo fine ad rectificatorium Processum inviantur. Verum si frater portionem suam vendat extraneo, et extraneus ille per tertium aliquem impetitus ut et pro evictione vendentem, vendens vero fratres suos, hi evictionem praestare non tenentur, quia frater alteri fratri pro conservatione bonorum tenetur, hic jam id non obtinet. Inest etiam naturaliter pignoribus Judicialibus, Donationi, vel Inscriptioni mixtae quoad pecuniam, quia Fiscus illam tenetur Donatario refundere, si Donatarius bona ob infirmitatem Juris amittat, licet non assumserit evictionem, si vero assumsit, et Donatio sonat etiam quoad Cessionarios, et Legatarios, etiam illos tenebitur evincere, nisi expresse evictio ad impetratricem Familiam est restricta.

Quando Incattus ad evictionem provocat, et pro illo evocando respirium petit, potest Actor exigere ab illo fundamentum evictionis, quia illius interest scire, nonne tantum morae nectendae caussa ad evictorem provocetur. Licet autem evictor sponte assumat evictionem, tamen evictionales, in quibus nempe assumsit evictionem; Incatto sunt applicandae, ut appareat, quod illum ipsum teneatur evincere, quia secus etiam violenti occupato-

res

res possent provocare ad illum, qui priorem possessorem evincere debebat, et saepe possent Incattus, et praetensus evictor conspirare, ut eo diutius causam trahere possint. Evictor debet ad litem citari, licet Actor summam evictionalem offerat.

Ubi plures sunt Incatti, et unus illorum alteri evictione tenetur, per eundem citari debet, licet jam in lite stet, quia non ab illo est citatus, et non respectu illius, nisi sponte absque ulteriori citatione assumat evincendi defensam. Evictor citatus potest ad superevictorem provocare, et sic porro. Si Incattus principalis evictorem in fundamentali Processu evocari negligat, novisare debet contra Actorem triumphantem, et tunc ad evictorem provocare potest, 35: 1659. qui tamen fructus ab executione per triumphantem perceptos illi non restituet, quia culpa ejus eatenus non intercessit. Si incattus citat suos evictores, non comparet, evictores comparent, Incattus convincitur, evictores ab onere evictionis absolvuntur, Incattus vero, ut supra dictum est, contra Actorem, et Evictores suos novisare debet.

Evictor in merito tantum debet Incattum defendere, non in exceptivis, et non nisi, ubi quaestio infirmitatis Juris translati subversatur, non ergo v. gr. cum Incattus propter suam culpam impetitur, praeterea evictio tantum contra legitimum impetitorem habet locum, non habet ergo contra violentum ejectorem, quia potest ejectus violentiali, vel repositionali Processu uti, aut via facti

intra

intra annum. Si quis vitiosam translationem faciat, v. gr. portiones fratrum suorum vendat, quoad summam tenetur evincere, id est non in natura, et non quoad bonorum substantiam, quia egit illicite, et secus illud factum illicitum alio facto illicito cumularet. Sic oppignorans, tantum quoad summam per ipsum levatam tenetur evincere, non quoad substantiam bonorum.

Si Incattum evictor in bono conservare, et defendere non possit, debet ipsi deponere pretium tempore translationis praeexistens, vel summam tunc defixam (quia inter extraneos solam indemnitatem, inter fratres vero conservationem in possessorio importat evictio, id est Juribus possessionariis debet bonificari, quod amittitur) praeterea investitiones quoque refundendae, si nempe illas Incattus amisit, nec non expensas, si vero Actor non triumphet, non debet evictor expensas Incatti refundere, quia talis Actor non fuit legitimus impetitor, atqui tantum contra illum currit evictio.

Successores evictoris tenentur ad vires successionis evictione, ut et Cessionarii, et Legatarii illius. Si per Processum metalem, aut proportionalem decedat aliquid emptori, et bonum, cum justis suis beneficiis, appertinentiis, metis, in genere sit vendita, non tenetur venditor evictione, quia id quod decessit, non pertinebat eo. Si vero determinata sunt in specie beneficia, et illorum quantitas, aut metae, et aliquid postea Processu amittatur, evictio locum habet 76: 1ae.

Evictio in Transactionibus non currit, nisi expresse assumatur. Aeque non currit in gratuitis,

nisi quis rem alienam scienter donaverit ignoranti, is quoad expensas, et sumtus in rem factas evictione tenetur, quia est causa damni, imo nec in onerosis contractibus currit, si expresse renunciaverit emtor, aut non est obligata, et emtor scivit rem alienam esse; quod venditor ignoravit, quia tunc emtor censetur pecuniam suam donasse, ergo illam repetere non potest. Quod stricte loquendo et tunc verum est, si uterque mala fide egerint, id est et emtor, et venditor sciverint rem esse alienam, cum tamen favorabilior debeat esse conditio illius, qui de damno vitando agit, v. gr. emtoris, quam qui de lucro captando, v. gr. venditoris, (qui alioquin, si onerosa titulo possedit, habet regressum ad illum, a quo emit; si gratuito, nullum damnum sentit,) tenendum est; quod venditor debeat pecuniam emtori restituere. Nec valet dicere, quod emptor talis veluti propriam turpitudinem allegans Actor, non debeat audiri; quia hoc verum est, si ex turpitudine sua lucrum captet, non cum damnum vult vitare. Si vero emtor versatus est in ignorantia, ut primum rescit rem esse alienam, statim potest agere ad restitutionem pretii.

Evictionalis Processus est accessorialis, id est in illo Processu, quo Incattus impetitur, penes Libellum Evictionalem in 74: 75, 76. ... fundatum, atque ita, uti Incatti principales solent, citatur evictor per idem Judicium, et convincitur; si fundus non adsit, persona illius adjudicatur, et comprehenditur, si id in Actione petit Incattus.

CAPUT

CAPUT VI.

De Plenipotentiario, et Procuratore.

Plenipotentiarium ille debet constituere, qui id ipse etiam posset agere; quod Plenipotentiario agendi facultatem dat, hinc talem actum, quem Dominus ipse non potuisset legaliter, et valide facere, nec Plenipotentiarius poterit. Plenipotentiarius talis persona debet esse, quae in propriis negotiis idem posset agere, quod ipsi alter, id est Constituens, committit. Quis, quid, et qualiter possit agere, hoc vidimus sparsim. Plenipotentiarius legitime constitutus, illa valide potest agere, ad quae Plenipotentia extensa est, v. gr. si ad universalia negotia sit extensa cum absoluta potestate, potest tam oeconomica, quam Juridica agere, emere, vendere, (si nempe ad id extensa sit constitutio) Officiales absolvere, non obligatur rationes dare, nisi se in perceptiones, et erogationes immiserit, quod ad officium ejus non pertinuisset, sed tamen neque in illo casu judicatur coram Sede Dominali. Potest adhuc talis Plenipotentiarius Procuratorem constituere, active, et passive litigare, Procuratorem revocare, transigere. Si vero tantum ad extrajudicialia est extensa Plenipotentia, non potest se ad res Juridicas, et litigiosas immittere, uti neque Judicialis, seu ad res Judiciales factus Plenipotentiarius ad res oeconomicas, et extrajudiciales.

Quae intra fines Mandati agit Plenipotentiarius, debet Dominus illis stare, etiamsi incuria, et negli-

gligentia sua damnum dederit Plenipotentiarius, quia contra factum proprium nemo potest agere, atqui Plenipotentiarius repraesentat Dominum. Si vero dolose agat, potest ad invalidationem facti illius agere, quia tunc Mandati fines transgressus est Plenipotentiarius, et Dominus in fraudem et dolum non consensit, licet nec omnem praejudiciosum actum possit invalidare. Si Plenipotentiarius ipse non versabatur in dolo, verum ab altero deceptus est, id observandum, quod circa factum proprium ex dolo, et fraude, ac circumventione alias diximus.

Constitutio Plenipotentiarii aliter fit intra Regnum, aliter extra Regnum. Intra Regnum Constituens semper personaliter, adesse debet coram illo loco, vel persona, coram qua constituit; et vivae vocis ministerio, vel si mutus sit, scripto, aut aliis signis declarare debet praesens, se determinatam aliquam personam in Plenipotentiarium suum velle constituere., si Constitutio facta fuerit coram causae Judice, vocatur vulgo Verbalis, quia non est necesse in scriptum redigere, et restricta est tantum ad illum Judicem, et ad illam causam, duratque quamdiu illa causa duraverit, nisi vel constituens, vel Constitutus moriatur, aut Plenipotentia vel coram eodem Judice aeque tantum verbaliter, id est absque expeditione, vel coram aliquo loco authentico, et credibili, aut personis ad id autorisatis revocetur, et talis revocatio scripto per locum credibilem expedita Judici ostendatur. Si vero Constitutio fit coram Judicibus Regni ordinariis, id est Palatino, Judice Curiae,

(vel

(vel illorum vices gerentibus, id eſt Vice-Palatino, vel Vice-Judice Curiae) aut Perſonali preſentiae Regiae, vel coram Capitulo, Conventu, vel coram exmiſſis Conventualibus, vel Capitularibus, aut coram Univerſitate Comitatus, vel coram Vice-Comite, aut Judice Nobilium cum Juraſſore, facta, in forma teſtimonialium Litererarum debet expediri, et vocatur vulgo Literaria Conſtitutio. Vice-Judex Curiae, et Vice-Palatinus, nec non Protonotarii Perſonalitii cum ſigillum non habeant debent referre ſuis Principalibus, Protonotarii Palatini, et Judicis Curiae poſſunt ſub Nomine et Sigillo Principalium ſuorum expedire, exmiſſi Capitulares et Conventuales debent referre Capitulo, vel Conventui, et recognoſci debet in expeditione illos exmiſſos fuiſſe, et retuliſſe. Vice-Comes et Judex Nobilium cum Juraſſore, aeque debent Univerſitati in Congregatione, aut Sede Judiciariá referre, et ita expedietur.

Extra Regnum Plenipotentiaria Conſtitutio ſuper negotiis in Hungaria gerendis ſemper eſt Literatoria, et

1. Poteſt fieri coram Cancellaria Hungarica Viennae.

2. Si tales perſonae ibi deprehendantur commorantes, coram quibus in Hungaria poſſet conſtitui, poteſt etiam extra Regnum coram illis conſtitui, quia eſt Jurisdictio non contentioſa, verum voluntaria.

3. Si in loco illo extraneo nulla talis perſona deprehendatur, ſub ſcriptura, et ſigillo pro-

propriis potest quis sibi Plenipotentiarium consti- tuere, et talem scripturam in Provinciis quidem Suae Majestatis haereditariis ad supremum illius Provinciae Tribunal, aut Dicasterium; in aliis vero ad Legatum Austriacum ibi existentem, aut residentem; si vero miles sit, ad Superioritatem suam debet deferre, ut tribunal illud vel Legatus, aut Residens, vel vero Legio suum sigillum imprimat, et recognoscat praesente Constituente, et ad petitionem illius esse sigillo munitum. Praeter ea dicit lex 24: 1729. quod si scriptura, et sigillum Constituentis esse in Judicio negetur, debeat probari illius esse, verum vix de eo dubitari poterit, si modo praedeclarato sigillum fided gni loci impressum, et recognitio illius praedeclarata adsit.

Omnis Literatoria Constitutio Plenipotentiarii seu intra, seu extra Regnum celebrata debet ita comparata esse, ut clare contineat, an sit generalis, id est, vel pro omnibus negotiis in universum, vel tantum Judiciariis, aut tantum extrajudiciariis. An sit specialis, id est pro determinato negotio. Praeterea requiritur id omne, quod in aliis documentis Litterariis v. gr. ut absit rasio, cancellatio, praecipue circa nomina, et in aliis substantialibus, ut adsit datum etc. Debet inseri, quod ratum, et acceptum habebit id omne, quod Plenipotentiarius egerit in negotiis sibi commissis.

Cessat Plenipotentia morte naturali Plenipotentiarii, vel praesertim quoad Juridica, morte ejus civili v. gr. Infamia.

2. Morte Principalis.

3. Spe-

Specialis Plenipotentia cessat cessante negotio, vel per Revocationem. Generalis durat usque annum, verum prius quoque per revocationem cessat, usque revocationem facta, cessat per revocationem, vel finita re. Usque reditum celebrata Plenipotentia, v. gr. per illos, qui absunt a patria, cessat per reditum, vel ante reditum per revocationem. Reditus debet notificari Plenipotentiario. Revocatio Plenipotentiarii ita fit, ut Constitutio, et coram talibus locis, vel Personis. Per Revocationem ita cessat Plenipotentia, si tam Plenipotentiario revevocato, quam illis, cum quibus Plenipotentiarius ad agendum habet, et jam tractare incipit, insinuetur, quod quidem 35: 1723. et 24: 1729. nonnisi de Plenipotentiariis extra Regnum existentibus, dicitur, verum ex identitate rationis, ne, nempe cum Plenipotentiario contrahentes per revocationem eludantur, etiam ad alias extenditur, nisi quod Judicialiter facienda insinuatio tantum quoad extra Regnum existentes referri, et quoad alios etiam non Judicialis insinuatio sufficere videatur.

Capitula, et Conventus sigillis autenticis utentes, sub sigillis propriis constituunt Plenipotentiarium, verum coram alio loco credibili, vel persona debent revocare, 41: 1723. et inde testimoniales extrahere.

Cives Liberarum, Regiarumque Civitatum, aut etiam oppidorum privilegiatorum pro negotiis coram Magistratu suo tractari solitis ibidem, id est coram Magistratu, vel coram Judice faciunt, et revocant Plenipotentiarium.

Com-

Communitates autem, v. gr. Civitates Liberae, Regiaeque, et aliae aeque publico Senatus Consulto, et determinatione constituunt tales homines, qui ipsarum negotia curent, aut pro illis intra limites Mandati agant, quod quidem Mandatum magis Credentionales, quam Plenipotentiam sapit.

Procurator in eo differt a Plenipotentiario, quod tantum quoad Juridica fiat, nec ad illa eum tanta auctoritate, ac plenipotentiarius. Ille potest Procuratorem constituere, qui ipse capax est agendi, vel in Judicio sive active, sive passive standi Procurator absque Mandato non potest aliena negotia gerere, si gesserit in Emenda linguae convincitur, de qua alias. Si Actori adstiterit absque Mandato, Incattus absolvitur, praeterea Actor in expensis Incatti, Judicio item Regali 6 marcas gravis ponderis faciente aae, 86. convincitur, ac si causam non levasset. Incattus vero, cui nefors Procurator absque Constitutione procuratoria adstitit, convincitur, ac si non comparuisset.

Procurator debet juramento adstrictus esse, quia gerit munus publicum; usitata formula juramenti est illa quae est in Corpore Juris ad finem Decretorum inter alias juramenti formulas. Non possunt Procuratores de quotta litis, aut de palmario aliquo, id est extraordinario praemio in casum victoriae accordare 28: 1723. verum de minori proemio, et mercede possunt, licet secus Judici incumbat mercedem Advocati habita dexteritatis, et laboris insumpti ratione conscientiose limitare, eodem 28: 1723. Possunt Principales suos

utili-

utiliter, et in proprium eorum commodum ad vires 200 fl. obligare, transigere, vendere, oppignorare, 2ae, 81. Si Procurator legitimam Constitutionem habens aliquod byrsagium incurrat in Processu, executio in bonis Principalis peragitur, qui ad suum Procuratorem regressum non habet Math. 6: 69. quia ipse est in causa, quod talem sibi Procuratorem elegerit, verum si scommaticas, et injuriosas ejus allegationes voluit Principalis expungi facere, vel revocare, et Procurator non admisit, Procurator luit. Si Procurator per Tutorem, vel Plenipotentiarium sit constitutus, etiam id debet legitimari coram Judicio procedente, quod Constituens revera Tutor, vel Plenipotentiarius sit, si id adversa pars difficultet. Procurator potest esse quilibet sive Nobilis sive Ignobilis sit (non obstan e 22: 2ae, ubi Procurator pro Actore habetur, et in illa causa, in qua Judex fuit, agere, et versa vice, in illa causa, in qua egit, judicare prohibetur, velut in propria) modo sit praevie examinatus, et adjuratus. In sacris sedibus tamen soli Romano Catholici admittuntur ex usu.

Constitutio Procuratoria, quae fit coram Judice causae, inservit pro illa unica causa et coram illo tantum Judice valet, vocatur Verbalis, seu cum Nostris; id est coram ipso Judice facta, talis Constitutio durat, donec causa terminetur, vel coram eodem Judice alter constituatur, licet ex usu ita sit, quod in qua causa semel licet verbalis tantum Constitutio intercessit, in eadem causa alter Procurator etiam possit postea absque ulteriore Constitutione agere, si vel prior mo-

ria-

riatur, aut agere recusat, vel discedat ex illo loco, sed hoc non rite fit, si Constitutio tantum Verbalis est, id est ex loco autentico non est expedita, hic abusus habet suum fundamentum in altero abusu, quod scilicet Verbalis Constitutio soleat in nonnullis locis generaliter fieri, quin persona Procuratoris, et nomen determinetur; quod quidem ineptum est, quia non sciet Judex an ille Procurator, qui agere vult, sit revera requisitus per illum, qui coram ipso Procuratorem verbaliter constituit, et nomen illius non expressit, ergo tantundem est, ac si nulla intercessisset Constitutio; aliter est in Constitutione Literatoria, quia licet in illa nomen agere volentis non sit insertum, tamen si ille Literas Procuratorias e loco ad id autentico emanatas ostenderit, plene capacitabitur Judex de eo, quod ille requisitus sit. Meminit quidem §. 1723. Procuratoriae Constitutionis generaliter emanatae, verum illa generalitas non ad personas Procuratorum, verum ad causas Constituentis omnes, et coram quocunque foro movendas, vel motas referenda est, et tantum in Litteratoria Constitutione potest locum habere, vel ex eo ipso, quod lex dicat: emanatae:

Constitutio Procuratoria Literatoria tam intra, quam extra Regnum ita fit, uti de Plenipotentiario diximus, omnis Constitutio verbaliter facta seu cum Nostris, est specialis; Literatoria vero, seu in forma testimonialium Literarum per locum autenticum redacta, est vel generalis, id est pro omnibus causis, et quoad illos, qui in Regno

exi-

existunt, durat intra annum a dato testimonialium. Vel specialis, quae durat, donec causa illa specifica duret. Hinc semper praestat specificare causas, etiam si illae plures sint; quam in genere constituere Procuratorem, eo magis, si unica sit tantum causa. Si usque reditum constituatur per talem, qui peregre proficiscitur, etiam generalis usque reditum durabit. Usque revocationem Procurator non constituitur, quia leges de tali revocatione agentes, ut desinat persona aliqua nomine alterius aliquid valide agere, tantum de Plenipotentiariis loquuntur. Ergo quoad Procuratorem sic debet procedi; alteri committitur res agenda, et a priori repetita Constitutio alteri datur, si vero verbalis tantum fuit Constitutio, secundum nostram sententiam, qui nempe negamus verbalem Constitutionem generaliter quoad omnes Advocatos fieri posse, alter deberet coram eodem Judice constitui.

Capitula, et Conventus sigillis autenticis provisi, Procuratoriam in suis negotiis sub sigillis propriis expediunt, 1ae, 13. 41: 1723. Archi et Episcopi actuales, id est Dioecesani, nec non Regni Barones sub suis privatis sigillis. Verum de omni Literatoria Constitutione observandum, quod requisita generalia documentorum adesse debent, v. gr. datum etc. Diversitas Constitutionis specificari debet, an nempe generaliter, vel specialiter sit? haec clausula inseri debet: Et alios Juramento adstrictos praesentium ostensores, quia sine hac nec penes Literatoriam

am Constitutionem poterit Procurator allegare, cujus nomen non est insertum in Constitutione 1723: 36. verum si illa clausula inserta est, quilibet, qui in manibus habet Constitutionem, potest allegare. Inseritur etiam quod: ratum gratum etc. habiturus sit, quod Procurator egerit, sed tamen potest revocare, ut alias videbimus.

Civitates, aut aliae communitates per exmissos constituunt Procuratorem coram iisdem locis, vel personis, quibus alii privati. Cives vero in negotiis suis civilibus coram Senatu, vel Judice.

II. De

II.

De Actibus ad Judicium spectantibus.

CAPUT V.

De Admonitione et Processu in genere.

Admonitio est, actus, quo quis alterum ad aliquid faciendum vel omittendum adurget. Est vel amica, quae fit inter privatos absque persona Judiciali. Vel Judicialis, quae fit medio personae publicae Jurisdictione fungentis intra ambitum loci, in quo Jurisdictionem et activitatem habet, v. gr. Judices Nobilium et Jurassores in Comitatu suo. Jurati Tabulae Regiae ubique in toto Regno. et quoad omnes causas. Cancellistae Civitatum intra ambitum Civitatis, et in negotiis Civili Jurisdictioni subjectis. Quoad negotia Sedi Dominali subjecta admonitio potest fieri medio hominis Dominalis, vel Juratorum possessionis, aut oppidi. Quoad causas Magistratui oppidorum privilegiatorum subjacentes medio lictoris, vel servi publici, semper tamen penes commissionem, vel exmissionem, aut mandatum suae superioritatis. Amica admonitio nullum effectum civilem producit, praeterquam in debitis, ut diximus. Judicialis vero tollit praescriptionem, et bonam fidem, potest id efficere, ut post admonitionem admonitus fructus non faciat suos, imo etiam alias poenalitates post se trahere, uti vidimus sparsim.

Judi-

Judicialis admonitio vel est scripta, vel verbalis, verum etiam verbaliter peracta in formam testimonialium Literarum debet redigi per admonentem, una cum responso admoniti, quod responsum 15 diebus exspectari debet, et tunc admoneri curanti testimoniales extradari. Judicialis scripta admonitio fit vel personaliter, cum admonitio directe ipsi admonito administratur, vel de domo: cum nempe in domo illius relinquitur admonitio, si semel, iterumque domi non deprehendatur, nec Jurisdictionatus illius ullus sit, vel deprehendatur, vel si domus quoque clausa sit, potest affigi januae ipsius, et hoc eo melius fit, si coram testibus fiat. Fit adhuc de Bonis, quando nempe alicui Jurisdictionato admoniti traduntur admonitoriae Literae, et per illum admonito transmitti jubetur. Nomen Jurisdictionati inseri debet testimonialibus super peracta admonitione extradandis, quoad alias admonitiones vero scriptas, specificari debet in testimonialibus an personaliter, vel de domo facta fuerit.

Vidimus sparsim per decursum operis, quando sit admonitio necessaria ad sternendam Actioni vel poenalitati viam, quando vero sit utilis? exploratorio modo quando sit operae pretium praemittere? circumstantiae determinant?

Si ad admonitionem amicabiliter satisfactio non fiat, descendunt partes in litem, quae fit vel Compromisso, vel Processu formali.

Compromissum est litis, vel praetensionis sub dispositionem partium interessatarum ca-

den-

dentis, per Judices arbitros communi earundem voto electos, et id muneris assumentes legitima discussio, et decisio. Hinc ubi publici ratio subversatur, v. gr. in Fiscalibus Actionibus non habet locum compromissum. A sententia arbitratrivi judicii appellata non datur 30:, 1729. nisi expresse id sibi reservaverint Compromitentes in contractu Compromissionali. Si vero appellatam reservarunt, etiam alia Juridica remedia reservasse censentur, novum vero in dubio semper reservatum censetur, licet Apellatae renunciatum sit. Compromissum semper scripto debet concinnari, et omne suum robur, et extensionem a contractu habet. Sententiam exequitur unus ex missus ex arbitris, si convictus non admittat executionem, movetur Processus coram Judice publico competente ad executionem, fundatur in Ulad. D. 6. art. 2mo et praeterea ad desumptionem vinculi, si quod est. Si vero Processus quidem in fundamento compromissionalis est, verum in sententiam talis fori est compromissum, quod alioquin legale, et publicum forum est, coram eodem foro publico, cujus sententia contempta est, potest agi ad dandam rationem oppositionis.

Arbitri impari numero solent eligi, ne vota sint aequalia, si fieri potest, debent esse personae publicae, licet et aliae possint esse. Si arbitri pari numero essent, et media pars condemnaret, nulla ferri posset sententia.

Cessat compromissum morte compromittentis alterutrius, nisi expresse compromisso ligaverit suos haeredes. Morte arbitri unius, nisi in soli-

dum

dum fuerint electi, (et non copulative,) id est, ut mortuis etiam aliquibus possint reliqui causam decidere. Eadem intelligenda sunt de morte eorum civili, v. gr. Infamia. Cessat adhuc cessante conditione qualicunque adjecta. Cessat re peracta, mutuo dissensu partium, ut enata nefors inter alterutrum compromittentium, et arbitrum capitali inimicitia, et alias ob graves rationes, ex quibus vel incapacitas, vel interessentia praesumi possit.

Compromisso non succedente Processu formali agendum est.

Processus est series, et cursus actuum Judicialium. Est vel civilis, vel criminalis, vel fundamentalis, vel secundarius, accidentalis, vel summarius, in quo nempe formalitates non observantur, verum tantum id, quod substantia e et essentiale est. Talis est compromissionalis Processus, ubi nonnisi de merito causae quaeritur; talis est subditorum coram Dominis mota, vel Dominorum contra subditos. Talis modus observatur etiam utiliter in oppidis, imo et aliquibus Civitatibus. Vel Solemnis, in quo omnes solemnitates, et formalitates lege praescriptae observantur, v. gr. Levata, Proclamata, Exceptiones Condescensoriae etc. Est adhuc Processus vel verbalis, vel scriptus. Verbalis est plerumque summarius, in forma Protocolli describit Notarius allegata partium verbaliter prolata. Scriptus potest esse vel Summarius, vel Solennis. Summarius, si neglectis formalitatibus meritoria allegata scripto praesentantur Judici, hoc fit, ut plurimum Libellatice Solennis vero, ut supra diximus, et jam uberius dicemus.

CAPUT

CAPUT VI.

De Actibus Judiciariis, qui ad Inchoationem Processus pertinent.

Hic notanda est: Primo Actio. Actio apud Juristas in sensu proprio ipsam acquisitionem, et praetensionem Actoris quoad intrinsecam illius indolem, et meritum significat, et hoc sensu solet dici, quod v. gr. habeat quis Actionem ad violentiam, ad invalidationem, damni etc. aut quod sit locus Actioni Fiscali, vel non sit. Hoc sensu diximus alias, Actionem aliam esse realem, aliam personalem; aliam mixtam, quae quidem distinctio tam quoad illum, cui Actio competit, tam quoad illum, contra quem competit, aut utriusque successores notanda, et in memoriam vocanda est. Ex his intelligi potest Actionem hoc sensu sumptam non esse idem vel cum activitate, seu capacitate litigandi, id est: Actoratu personali, vel cum Actoratu reali, id est Jure id coram Judicio disquirendi qualiter meritum causae se habeat? vel cum ipsa praesentatione praetensionis et acquisitionis Judici facta, ejusque imploratione, quae improprie tantum vocatur Actio; scriptura vero illa, in quam praetensio, et acquisitio illa redigitur, et cujus quasi vehiculo Judici praesentatur, et Justitiae administratio imploratur, vocatur Libellus Actionalis. Hinc Actio improprie dicta, et Libellus Actionalis sunt idem.

Quemadmodum vero Actioni proprie dictae, hoc est essentiale, ut praetensio justa, et fundata sit; ita etiam Actionalis Libellus justam, et fundatam praetensionem continere debet quidem, verum cum hoc ad meritum causae, seu ad intrinseca Actionis pertineat, et vel convictionem, vel absolutionem post se trahat, hoc nunc omittimus, et tanstum illa, quae ad structuram Actionalis Libelli, et illius externas qualitates pertinent, et quorum vitiositas condescensionem causae simplicem post se trahit, recensebimus, scilicet:

1) Actio non debet esse cumultata, verum singillativa, id est diversae praetensiones non connexae in unam Actionem glomerari non debent. Nisi a) praetensiones illae diversae ejusdem Fori, et instituti sint; b) ad eundem finem tendant, c) si praetensiones compatibiles sint, ita ut una alteri natura sua non opponatur. Sic potest quis ex Jure, vel ad dandam contradictionis rationem, vel ad obtinendam successionem principaliter, et accessorie ad remotionem obstaculorum acquisitioni officientium agere; uti vidimus sparsim, vel ad invalidationem conditionum et reluitionem, sic potest quis etiam contra diversos Incattos ratione aeque diversarum ratarum, partim ad reluitionem pignorum, vel ad invalidationem fassionum nefors illis superinductarum, partim ad invalidationem fassionum agere, si allegative Actio contra quemlibet ad suam speciem reducatur.

3. Nomina personarum in Actione memoratarum rite debent specificari cum characteribus distinctivis, si habent tales, sic si qualitati alicui ini-

ni-

nitatur Actio, debet addi: qua tamen Tutor, Curator, Provisor etc. vel si duplicem personam gerat in lite, id est privato, et aliorum nomine stet, sic: qua etiam fratris natu majoris etc.

3. Debent nomina, et situs locorum, ubi nempe jaceant, rite specificari, ut et datum Actionis etc. circa quae tamen observandum, quod errores, qui Judicem in judicando perplexum non reddunt, calamo Judiciali corrigi possunt.

4. Debet petitio esse clara, praecisa, determinata, non alternativa, vel disjunctiva, nisi ubi natura rei, vel lex admittit, sic subsisteret Actio, ut solvat pretium rei emptae, vel reddat rem, vel cedat bona, vel superinscribat, uti alias diximus.

Denique, quis? quid? coram quo? quo Jure petatur? et a quo? recte compositus quisque Libellus habet 30: 1723.

Actio constat tribus partibus, nempe Expositione, Applicatione ad legem, et Petitione. Non tamen est de essentia, ut lex in actione, citetur vel specificetur, (licet soleat citari) quia Judex debet scire legem; an ulla sit, cui Actio applicari possit? tamen non semper est consultum Judici tantopere confidere; verum in memoriam ipsi debet lex revocari, saltem allegative.

Olim penes Mandata praeceptoria Regis, vel Judicum Regni ordinariorum movebantur Processus; sed jam post 1723: 30. penes simplicem Libellum Actionalem, cujus adornandi modus, et externa

forma varia est: Si plures sint evocandi ad Tabulam Regiam, praestat Actionem in Mandati Evocatorii formam redigere, quod per Personalem extradatum alicui Jurato Tabulae Regiae sonat, qui paria illius Mandati Incattis, unum cuique exhibebit. Si unus, et alter tantum sint evocandi, porrigitur instantia Actionem redolens in originali cum totidem copiis quot erunt citandi, quas copias certificatoriis suis clause confectis, id est obsigillatis, et in forma litterarum missilium Incatto intitulandis adnectet Personalis, tales Evocatoriae exhiberi possunt sive per Juratum, sive per Judicem Nobilium cum Jurassore. In Comitatibus multum diversae sunt Actionum externae formae pro varia eorundem consvetudine. Potissimum tamen viget hic modus, nempe, ubi exmissio specialis ab universitate pro singula causa requiritur, instantia Universitati in Congregatione, vel in Sede Judiciaria porrigitur, illa instantia debet sapere Actionem, id est praetensionem Actoris continere, et legibus applicari, saepe solet advolvi eidem instantiae documentum, principale nempe fundamentum Actionis, v. gr. in liquido debito paria obligatorialium. Demum petitur exmissio. Qua determinata, et per Notariatum extradata, Judici exmisso, paratae Certificatoriae, a tergo id est in aversa parte instantiam, seu Actionem cum exmissione, et fundamentali documento inscriptam habentes, in duobus exemplaribus (si nempe tantum unus est citandus) praesentantur, et per illum subscribuntur, unumque par talium Certificatoriarum in forma missilium Incatto intitu-

latum,

latum, non tamen clausse, exhibetur. Si Exmissio nulla est necessaria, vel quod omnes Judices tempore adepti officii, generaliter exmissi sint, vel quod pro consvetudine Gomitatus, pro Judice Nobilium, ut ille valide Judicatum exerceat, sufficiat Commissio Vice-Comitis, ipsae Certificatoriae ad nomen Judicis in forma Literarum missilium Incatto sonantium appositae continere debent Actionem, quarum Certificatoriarum in duobus paribus subscriptarum par exhibetur Incatto. Actio violentialis in forma Mandati, vel potius Commissionis Judici Nobilium, et Jurassori sonantis in duobus paribus adornari, et utrumque per Vice-Comitem subscribi, et alterutrum exhiberi solet. Sed haec magis se mechanice ostendi, et enarrari, quam breviter describi patiuntur.

Secundo notanda est Citatio, quae debet peragi per Personam ad id auctoritate publica pollentem, v. gr. Citatorias Judicis Nobilium exhibet Jurassor ejusdem Comitatus. Vice-Comitis Citatorias Judlium cum Jurassore, vel duo Jurassores. Citatorias Tabularum Districtualium, et Regiae, exhibent aut earundem Jurati, aut Judex Nobilium cum Jurassore Districtualium Tabularum autem etiam duo Jurassores 30: 1723. Jurati Tabulae Regiae cujuscunque Judicis Citatorias valide exhibent. In Civitatibus vero Cancellistae Civitatis. Sedium Dominialium Citatorias homo Dominalis, si vero Nobilis sit ad Sedem Dominalem citandus v. gr. ad exaestimationem, potest Judex Nobilium, vel Jurassor exhibere, verbo per illos debet peragi Citatio, per quos Admonitiones peragi diximus.

Cita-

antur, 26: ae; una cum qualitate; si in tali citetur, v. gr. qua Provisor, ut dictum est supra. Debet exprimi locus, quo citatur, clare; item terminus, pro quo cit tur, qui terminus non debet esse dies *Festus*, aut feritatus, vel Juristitialis.

Obs. Ferias alias esse Divini, alias humani Juris. Divini Juris sunt dies Dominici, dies Festi S. Ladislai 1: 38. recensiti, alias Decretales dicti. Dies Rogationum, Festum Corporis Christi, Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes. Feriae humani Juris sunt: vel Ordinariae v. gr. Messorialis a Festo Sancti Ladislai ad Festum Sancti Stephani. Vindemiales a Festo Sancti Michaelis ad Festum Sancti Martini. Ultimi dies Bachanaliorum usque ad Domimminicam 1am quadragesimae, ante et post tria majora Festa Divina feriae sunt sic: feria Nativitatis Domini a Festo Thomae usque Dominicam 1mam post Epiphaniam. Feriae Paschatis, a Dominica passionis ad Dominicam 2am post Pascha, Feriae Pentecostes, per hebdomadam Sacri Pentecostes usque ad Dominicam Trinitatis 29: 1723. Extraordinariae humanae feriae sunt: 30. Dies ante Diaetam, et sub toto Diaetae tempore usque reditum Nunciorum. Tempore item Insurrectionis generalis. Divinis feriis nec per Compromissum potest renunciari, bene vero humanis. In Civitatibus sub Diaeta indiscriminatim omnes processus fluunt. In Comitatibus vero nonnisi causae liquidi debiti, violentiales, repositoriae, nec non Fisci Magistratualis, et matrimoniales. Pro Executione potest terminus praefigi ad

fe-

ferias humani Juris 16: 1792. id est ad Juristitia sic dicta

Requiritur adhuc ad citationem, ut terminus competens assignetur in citatione; v. gr. in eodem Comitatu, in quo locus comparitionis est, habitanti non infra 15. dies, remotius autem habitantibus competens terminus adsignari debet, (qui quidem terminus per Tabulam Regiam, imo et alia fora ita assignari solet, ut in altero Comitatu habitanti non infra 30, in 4to vero vel 5to Comitatu habitanti non infra 60. dies ad comparendum dentur) 26: 1723. 23: 1613. Licet illi dies cum die exhibitionis, et comparitionis compleantur, tamen stat citatio. Imo licet unus, et alter dies desit, non tamen debet Judex condescensioni subjicere citationem, verum Incatto post comparationem respirum pro sui praeparatione, si necesse sit, potest dare.

Debet datum citatoriarum, id est locus, dies mensis, annus rite positus esse 17: 2ae. verum tam levis error calamo Judiciali corrigi, nec condescensionem post se trahere debet. Exhibitio debet fieri de die, non de nocte, quia est actus solennis, potest autem fieri qualicunque demum Festo die, modo in casibus illis, ubi Judex Nobilium cum Jurassore debet exhibere, vel duo Jurassores, ambo simul in actu exhibitionis praesentes sint. Locus exhibitionis debet esse usibus profanis destinatus, sic in Templo facta exhibitio non valeret:

In testimonialibus super citatione, et exhibitione peracta extradandis, et vel separatae chartae,

vel

vel vero originali Certificatoriarum, quarum paria exhibita sunt, inscribendis, debet rite specificari locus, tempus, modus exhibitionis; item locus, tempus datarum testimonialium. Si medio Jurisdictionati peracta est exhibitio, debet nomen illius in testimonialibus apponi.

Citationis effectus sunt:

1) Rumpit Praescriptionem.

2) Inducit Litis pendentiam.

3) Facit approbari personam Incatti, id est, jam Actor contra personam illius excipere non potest, verum talis Incattus licet secus active incapax esset, potest omnia illa facere, quae ad defensionem cuicunque lex dat, v. gr. appellare, novisare etc.

4) Operatur praeventionem, idest, absque calumnia, ad aliud forum, non possum Incattum citare.

Licet in citatione vitium sit, si tamen Judex, qui terminum posuit, est capax, et activus in aliis citati Judex, licet in causa substrata incompetens, tamen debet comparere citatus, et condescensionem vel ob citationis vitium, vel ob Judicatus incompetentiam urgere, verum si incapax citet, si v. gr. Nobilem Civitas extra casus alibi recensitos, id est in quibus qua Civis consideratur, citet, non debet comparere, quia non est incompetens, verum incapax Judex.

Tertio notanda est Levata. Adveniente termino per Judicem praefixo, Actor causam suam levare debet in solenni Processu, id est in scripturam redigere, quando, quo die, mense, et anno;

cu-

cujus, contra quem sit inchoatus processus, et an Actor per se causam levet, vel per Procuratorem, ut et nomen Procuratoris inferi, nec non Actio in origine, item testimoniales super peracta legitime citatione advolvi, et in Levata provocari, et talis scriptura Judici praesentari debet, in Tabulis cum taxa Levatae, in partibus vero cum media Processus taxa. Si Judicium fixum est v. gr. in Tabulis, Judicii Locus in Levata apponi non debet. In Tabula Regia tertio etiam die potest levari Processus a die in citatione praefixo. In foris Comitatensibus, et Civitatensibus ipso die termini debet levari Levata in omnibus conformis esse debet Actioni, secus condescendet, quia Actio regulat Judicem, et partes; debent omnium Incattorum nomina inseri, si Incatti non sint unius ordinis, distingui debet 1mi ordinis, 2di ordinis etc.

Si Actor modo enarrato causam non levet, Incattus in Tabula Regia quarta die a termino, in foris inferioribus vero eodem die, qua Actor debuisset levare, levat causam ex paribus ipsi exhibitis, petit Actorem convinci in Judicio Regali 6. marcarum vi, aae: 82. in 1/3 Incatto cedenti. Actor in Regali Judicio convictus novo debet uti. Si vero nec Incattus levavit ex paribus, non indiget novo, uti nec tunc, si propter Judicis absentiam exspiravit terminus, quia tunc ita consideratur prior citatio, ac si nulla fuisset. Actor, qui per Levatam contra ipsum ex paribus causam, Incattus factus est, potest comparere in foris inferioribus quidem eadem die,

die, et Levatam suam porrigere Judici, et tunc cessat poena; in Tabula Regia vero idem beneficium habet, quod omnis Incattus, id est si intra triduum compareat, potest Levatam suam praesentare, et absque difficultate, et ulla solutione, admittitur ad causae suae prosecutionem. Imo licet post triduum, intra tamen 15. dies compareat, et rationem det morae, ab omni poenalitate absolvitur. Si nec intra 15. dies compareat, etiam in expensis convincitur. Hinc non semper expedit levare causam ex paribus, praecipue in Tabula Regia. Si Actor serotione levet causam, et tamen Incattus compareat, non potest contra Levatam serotionam excipere.

Quarto Proclamata vocatur actus ille Judiciarius, quo Incattus prae foribus domus, in qua Judicium considet, vel saltem in domo, apertis tamen foribus ad comparendum terna vice provocatur. In Tabula Regia, lecta per Protonotarium in Judicio Levata fertur per Juratum ad Procuratoriam, ibique prima, secunda, tertia die comparitionis, cujus, et contra quem sit causa, proclamatur.

Licet proclamata non intercesserit, non temere tamen intermittenda est comparitio, verum comparendum est, et ita urgeri potest condescensio causae ob non factam proclamatam, quia consvetudo, et ordo Juris immutari non debet. Ulad. 1: 10. 2ae, 6. Sed tenendum talibus minutiis generosi animi Advocatos non immorari, licet stricto Jure possent talia controvertere.

Quin-

Quinto Comparitio in solenni Processu aeque scripto debet fieri, scribi debet nempe post Levatam ab Actore introporrectam, Incattum vel per se comparere, vel per Advocatum nomine tenus exprimendum. Etiam verbaliter facta coram Judice comparitionis declaratio sufficit, et potest etiam Judex Processui inscribere, Debet fieri in conformitate citationis, quia in Jure idem est non esse, et vitiose esse. Debet fieri die praefixo comparitionis ante occasum solis, quia tota dies cedit comparitioni 723: 32. imo etiam post occasum solis facta comparitio acceptari potest, quia non adest contemptus Judicii, et praetor minima non curat, aliqui dicunt ante mediam noctem posse comparitionem fieri, cum adhuc sit dies naturaliter idem; hoc certum est, quod licet Judex procedens non acceptaret comparitionem, tamen Judex Regni Ordinarius daret mandatum cassatorium, cum non fuerit contemptus Judicii in Incatto. Si vitium est in comparitione, id Actor statim debet controvertere, antequam ad alia se immitat, imo eodem die. In Tabula Regia tertia quoque die a termino praefixo potest comparitio fieri.

Si comparitio non est adornata, vel vitiosa est, fertur sententia contumaciae ad petitionem Actoris.

In genere contumacia dicitur id omne, si alteruter causantium non faciat id, quod Judex mandat, v. gr. sententia per non venit, per non defendit, id est quando quis comparuit quidem rite, sed non vult se defendere, non deponit

ponit juramentum, vel non exhibet instrumenta etc.

Sententia contumaciae ex non venit, id est ob non comparitionem, in foris inferioribus eodem die, qui in citatione praefixus est, vel illa die, ad quam Processus in Comitatibus defluens deliberatione mediante rejectus, et per Actorem reassumptus est. 35: 1729. debet per Actorem peti, per Judicem ad lucem candelae ferri, et in praesentia Actoris in pleno Judicio pronunciari, allegatorum antea jam ne fors in Processum inductorum ratio haberi, atque in hoc casu sententia non simpliciter in omissione comparitionis fundari, imo sententiam taliter ex allegatis latam appellandi facultas admitti, secus potest se Incattus opponere, eo magis sententiam Mandato Judicis Regni ordinarii cassari curare. In Tabulis Regia, Banali, Judiciaria Croatiae, nec non Districtualibus, aeque fertur sententia contumaciae contra debito tempore non comparentem ad petitonem Actoris, et quidem in Tabula Regia, et Banali die quarta a termino petitur sententia contumaciae, verum licet feratur, suspenditur effectus sententiae usque 15. dies. Si intra illos comparet, et in sensu 2ae, 59. rationem non comparitionis adsignat, in Tabulis Districtualibus, et Judiciaria Croatica relevatur a sententia contumaciae. In Tabula Regia vero, et Banali, in causis brevis litis aeque debet, et potest rationem non comparitionis reddere, et si dederit, admittitur ad defendendum. Si non dederit rationes, vel nec intra 15. dies comparuerit, executioni datur sententia con-

contumaciae una cum expensis morae nova deliberatione limitandis. Verum si plures sint Incatti, tunc executioni subjicietur, si Processus contra illos termniatus fuerit. In causis longae litis si intra 15. dies compareat, etiamsi non dederit rationem comparationis, expensis morae statim refusis, admittitur ad agendum. Si vero det rationem, nec expensas debet refundere. Comparitio post 15. dies ob nullas, licet justissimas rationes acceptatur, nec ulla remedia Juridica adhiberi permittuntur, nisi novum extra Dominium 32: 1723. 37: 1729. Ante latam sententiam contumaciae, licet illa per Actorem petita sit, semper potest comparitio fieri, quin ratio debeat dari serotinae comparitionis.

Sententia contumaciae per non venit Incattus in totali acquisitione Actoris convincitur, id est in totali praetentione illius, 32: 1723. verum tantum eatenus, quatenus tale quid petit Actor, quod ex facti combinatione penderet, et ex probis externis prodiret, an ipsi competat, vel non, quia in facti quaestione non debet Judex supplere partes, quia non potest esse in talibus Judex simul, et opponens, verum talia, quae ex ipsa lege citra defensionem Incatti, Actori non competere palam est, non debet adjudicare, v. gr. Si Actor expensarum refusionem petiit in Actione, et lex non adjudicat illas, nec Judex debet adjudicare.

Si Judex absque exmissione processit, quod quidem non potuit, vel causa talis est, quae intra Dominium appellari debet, sententia contumaciae

non

non potest statim executioni dari, verum Comitatui, nempe Sedi Judiciariae, vel Congregationi referri, et postea penes exmissionem ad Instantiam triumphantis resolutam debet executioni dari, secus locus erit oppositioni. Executio vero etiam tunc debet insinuari convicto, quia secus etiam oppositio habebit locum. Si haec omnia observata sunt, nec appellata, nec oppositio currit contra sententiam contumaciae, ne in illo quidem casu, si quis fundati quid potuisset in Processu contra formalitates controvertere, quod causae condescensionem post se trahere debuisset, quia hoc post comparitionem debuisset facere, cum per Judicem talem citatus est, qui citandi capax fuit, licet fors incompetens.

Ad resanandam itaque sententiam contumaciae in Tabulis quidem ita agendum, uti supra dictum est. Prohibita etiam potest interponi, si quis ipsa die latae in Tabula Regia sententiae talis comparere possit, et penes talem prohibitam agenda agi debent. Nihil tamen officit etiam si interponi non potuerit, imo praestat prohibitam pro majori nessitate reservare.

In foris inferioribus vero, utpote Comitatensibus, Civitatensibus, et nonnunquam etiam Sedibus Dominalibus, si lata sit sententia contumaciae, Mandato cassatorio, vel ut mitiori vocabulo dicitur, Praeceptorio-Continuatorio a Judicibus Regni Ordinariis exoperando, in 2ae. 59. 82. 1723. fundando, utendum est, quale Mandatum facile poterit haberi, si plausibilis aliqua ratio afferri possit, quominus comparitio fieri potuerit,

quia

quia tantum ille poteſt puniri, qui dolo agit, et Judiciariam auctoritatem contemnit.

In Sedibus Spiritualibus non fertur ſententia contumaciae, verum Incattus ſecunda imo etiam tertia et quarta vice citatur; ſi nec tunc compareat, excommunicatur, vel alia coactiva media adhibentur.

In criminalibus ad poenam mortis tendentibus mortis ſententia non fertur ex contumacia, verum Incattus fugiens publicatur, ut per omnes poſſit capi. In aliis ad poenam tantum corporis afflictivam tendentibus fertur ſententia, et Incattus comprehenditur, executionique ſubjicitur.

CAPUT VII.

De Actibus Depulſoriis, et Remoratoriis.

Hic notanda ſunt: Primo Exceptiva. Quidquid reſpondet Incattus, in genere dicitur Exceptio. Verum ſtricte loquendo, exceptio dicitur illa reſponſio, qua Incattus Actorem a ſe amoliri nititur, quin id quaeratur, an praetenſio illius, a parte rei, fundata ſit, vel non; quia poteſt fieri, quod licet fundata ſit; tamen ob aliquod incidens non teneatur ipſi Incattus; item fieri poteſt, ut praetenſionem juſtam habeat, verum in formalitatibus, et modo a lege praeſcripto

erret. Exceptiones vel sunt peremtoriae, vel condescensoriae. Peremptoriae sunt, quae ita perimunt Processum, ut nunquam amplius resuscitari possit. Tales exceptiones sunt potissimum duae, nempe Praescriptio, item Calumnia, de quibus alias legimus. Nunc vero nonnisi hoc observamus, quod tam praescriptionem, quam calumniam etiam post convictivam finalem in merito latam sententiam liceat allegare, penes prohibitam, vel repulsionem, aut novum, quod item licet in ingressu litis in forma exceptionis obversa sit praescriptio, vel calumnia, tamen aliis meritoriis defensis viam non pracludat. Condescensoriae exceptiones sunt, quae non perimunt causam in perpetuum, verum tantum praesentem Processum ob extrinsecum aliquod vitium, quod Judex non contraverteret, evanescere faciunt, ita tamen, ut iterum penes aliam citationem, et Actionem possit suscitari absque via novi, toties quoties, quia meritum causae nec abjudicatum, nec adjudicatum est. Cum autem absque condescensione secunda vice citare sit calumniosum, atque ideo poenale, debent testimoniales a Judice super condescensione prioris Processus extrahi.

A sententia condescensoria, Appellata non datur in regula (praeter impensionalem) nisi grave aliquod incidens adsit, vel meritum causae subversetur, quia tunc potest appellari, si vero Judex Appellatam non admittat, potest Mandatum transmissionale peti, postea pro continuatione Processus remittitur ex Curia, nisi jam et meritum pertracta-

tractatum sit; quia tunc etiam in merito sententiam fert Curia.

Exceptionum ponendarum ordo arbitrarius est, non tamen liceret plures, quam tres ponere 16. 1792. aut postea ponere; cum jam lis est contestata, verum majoris momenti exceptiones, v. gr. contra Judicatum, possunt urgeri per totum causae decursum, imo et posteaquam ad Curiam devenit Processus, saepe Judicatus condescendit, et totus Processus ruit, hinc si clara sit Judicatus incompetentia, etiam ante latam eatenus per procedentem Judicem sententiam, potest Mandatum vel inhibitorium, vel transmissionale saltem peti.

Condescensoriae exceptiones hae potissimum formari possunt.

1. Contra Judicem, si nempe Judicis persona non sit apta v. gr. interessatus sit ob nexum sanguinis propinquum, vel propinquam affinitatem, aut aliam ob rationem.

2. Contra Judicatum; ut vidimus passim, si nempe vel ratione personae, vel loci, vel rei sit Judex incompetens. Si Judex incapax, et inactivus citet, neque comparere debet citatus, quia talis Judex est nullus Judex.

3. Contra Actionem, uti supra vidimus, v. si vitiose specificetur locus, et tempus patratae violentiae etc. 2ae, 26. 82. et ob alias externas qualitates, et structuram tantum Actionis concernentes errores, vel defectus, talis exceptio cum meritum ipsum non tangat, nec sententia actionem ob illos defectus condescensioni subjiciens

potest appellari, quia potest error emendari per aliam Actionem, verum si sententia feratur contra Actionem proprie sumptam, ut alias vidimus, et Actor ab actione sua deliberative amoveatur, potest appellari, quia ipsum meritum subversatur, non formalitas. Si non possit petitio legibus actionalibus applicari, condescendit actio, si vero talis sit praetensio, quae nullis legibus applicari posse videatur, tunc quoque contra actionem fertur sententia, verum jam haec meritum rei attinget, atque appellari poterit.

4. Contra citationem si vitiose peracta sit, vel non sit sufficiens terminus datus etc. ut supra.

5. Ob difformitatem actionis cum Levata in substantialibus v. gr. nominibus, vel si paria actionis aut citationis sint difformia ab originali.

6. Contra Institutum, differt haec exceptio ab exceptione contra actionem, uti Institutum differt ab actione. Actio proprie dicta est ipsa praetensio, Institutum est causa, et titulus illius praetensionis. Actio improprie dicta, seu Libellus actionalis est vehiculum actionis, seu praetensionis. Potest Actor contra Incattum actionem habere, sed in Instituto aberrare, id est non illo titulo agere, quo debuisset. Potest Instituto bene uti, id est titulum suae praetensioni accommodum praetexere, tamen actionem non habere. Verum qui institutum nullum habet, nec actionem potest habere, quia Jus, vel obligatio absque titulo non datur. Qui itaque contra Institutum excipit, ille actionem in medio relinquit quidem (id est, nec negat illam, nec admittit, verum id adstruit, quod

Actor

actor rem, et materiam ſubſtratam alio titulo debeat perſequi) tamen poteſt evenire, ut ruina inſtituti ruinam ipſius actionis quoad ipſum meritum poſt ſe trahat, ſaepius vero, ſalva actione, Judicatum tantum ſecum evertit: ut plurimum autem rem ſubſtratam ſaepe et Judicatum in ſalvo adhuc relinquit.

7. Contra Actoratum perſonalem nempe, vel realem, Contra perſonalem non ſemper licet impune excipere, verum contra realem ſemper licet. De competentia Actoratus vidimus jam ſupra. Si impedimentum Actoratus ſit perpetuum, id eſt vel incapacitas perpetua ſit, vel defectus Juris id disquirendi, qualiter ſe meritum Proceſſus habeat? ſit perpetuus, haec exceptio eſt peremptoria, ſecus tantum condeſcenſoria. Cum ergo plerumque ſententia Actoratus realis etiam ipſum meritum cauſae involvat, Actori talem ſententiam appellare licet, vel vero noviſare, in Tabula Regia vero aeque vel appellare, vel prohibere, poſtea noviſare. Si vero ſtabiliatur Actoratus, a tali ſententia velut interlocutoria Incatto- appellare non licet, verum in Tabula Regia poteſt prohibita uti. Inania vero ſubterfugia, et cavillationes Procuratorum Judex calamo Judiciali amputare, et crucifigere poteſt 49: 1563. videantur leges ad iſtum Articulum citatae.

Secundo D i l a t i o. Eſt termini in cauſa jam pendente legitima extenſio. Talem extenſionem vel partes mutuo conſenſu faciunt, vel ſolus Judex, et quidem vel deliberative, cum v. gr. ad alium terminum rejectat Proceſſum per ſententiam in fi-

gl-

gura Judicii, et terminum taliter praefixum non tenetur insinuare partibus, verum partes debent scire, et comparere, secus si Actor causam reassumserit, Incattus non comparens qua contumax convinci potest In Judiciis fixis, v. gr. Tabula Regia talis rejecta cum specificatione termini, id est diei, non solet fieri, verum initio termini Actor reassumit causam, et Incattus comparet. Si vero Actor non reassumat causam per duos, tresve terminos, expungitur Processus ex serie, quem nonnisi penes novam citationem reflexoriam poterit Actor continuare, si vero prorsus Incattus absolutus est, Instituto novi debet uti. Incatto vero per duos, tresve terminos non comparente, idem ex hactenus allegatis et probatis per non defendit convincitur, Instituto novi remedium sibi quaesiturus. Si Judex vel sua sponte, vel ad requisitionem alterutrius partium terminum extrajudicialiter differat, novum terminum debet alteri parti Judicialiter insinuare 32 · 681. secus pars, quae dilationem exoperata fuerit, solvet expensas alterius inaniter causatas.

Tertio Prorogatio est beneficium legis, quo certae personae ab onere passive litigandi ad certum tempus eximuntur, et causae ne fors jam contra ipsas pendentes suspenduntur. Eum in finem Mandatum prorogatorium debet peti. Quod in genere omnibus Judicibus Regni sonat, id solus Rex dat. Judices Regni Ordinarii possunt pro foris inferioribus praeter Curiam dare. Qui falsam expositionem faciendo impetrat Mandatum tale, convincitur in emenda Linguae Math. 2: 6.

Per-

Personae prorogationis beneficio gaudentes sunt:

1. Neopraelati, quoad Jura possessionaria beneficialia separatim a Capitulo, vel conventu possessa.

2. Viduae ex ratione legis 52: 2ae et consvetudine, quoad Jura, et bona maritalia aeque ad annum a morte mariti. (non itaque in personalibus, vel quoad propria bona)

3. Illi, qui reipublicae causa absunt, v. gr. Legati, vel Milites. Math. 2: 6. Ulad 1: 71. 2: 14. donec illud impedimentum duret.

4. Pupilli illegitimae aetatis intuitu omnium causarum passivarum usque attactam legitimam aetatem, et intuitu omnium bonorum, et rerum. Verum intuitu causarum contra patres ipsorum suscitatarum nonnisi ad annum, quia 130. quidem 1ae, dicit pupillos quoad tales causas Juri stare teneri, verum 2ae, 50. etiam quoad tales prorogationem dat, ergo ita ne fors conciliari possunt, si dicatur intuitu talium causarum non ad totam illegitimam aetatem, verum uno tantum anno habere illos prorogationem, quoad alias vero omnes, per totam illegitimam aetatem. Si tamen juramenti depositio subverfetur, semper aetas pupilli juramento deponendo apta exspectanda est. Si vero pater tunc moriatur, cum jam filius est legitimue aetatis, nonnisi quoad Jura, et bona paterna habet annuam prorogationem 1ae, 50. etiam quoad causas vivo parente suscitatas, quod etiam intelligendum, si bona fuerint materna. Si quis cointeressatos, coincattos communionem Juris, et sangvinis foventes

tes habeat, prorogationis beneficium cessat, quia illi poterunt defendere. Math. 2: 6, 7. Captivis quoque competit prorogatio, quia sunt civiliter mortui, et quidem etiam domesticis captivis, (non tantum apud hostes existentibus,) ut aliqui dicunt.

Beneficium prorogationis eidem personae in eodem negotio et ex eodem titulo, et motivo tantum semel datur, secus potest etiam pluries dari.

CAPUT VIII.

De Contestatione Litis.

Contestatio litis est meritoria responsio, seu responsio ad ipsam petitionem in actione positam. Alia est expressa, cum disertis verbis, et aperte respondet pars I. ad petitionem. Alia est Tacita, quae ex facto Incatti elicitur. v. gr. si in exceptivis agere volendo, Incattus testes actoreos in probam actionis adductos subsumeret, jam litem contestatus est. Alia est Generalis, alia Particularis, prout vel ad totam, vel ad aliquam tantum praetensionem respondet. Alia est negativa, alia affirmativa, alia qualificativa prout nempe vel negat praetensionem Actoris directe, vel indirecte, vel eam confitetur simpliciter, vel confitetur quidem, verum ex aliquo incidenti se non teneri praetendit.

In genere qui litem quomodocunque contestatur, non potest amplius ad exceptiva regredi, nisi meritoria responsio Procuratoris depulsoria negligentis revocetur. Litis contestatio, determinat

quis

quis, quid debeat probare? ex actionibus, et praetensionibus personalibus facit reales, et ad haeredes tam active, quam passive transeuntes 2ac, 61.

In specie contestatio affirmativa, cum sit Judicialis cofessio, habet hos effectus:

1. Quod jam ad negativam transire non possit I.

2. Liberat Actorem a proba, praesertim in civilibus, in criminalibus non semper.

3. Sententia ex propria confessione lata Juridico remedio everti non potest; nisi quid praeter et supra confessionem est adjudicatum; verum de confessione notandum, quod tunc habet Judiciales effectus, si 1mo fiat a majorenni, in minorennitate jam non valet tantum, eo minus in aetate illegitima. 2do. Debet esse spontanea, quia secus vel est revocabilis, vel ipso Jure nulla, nisi sit metus, et vis a tali, qui jus incutiendi, et verum moderate etiam per coactionem exigendi habet, sed nec talis confessio sola valet quidquam. 3tio A. rationis compote, et intelligente debet progredi. 4to. De facto proprio. 5to. Serio, non ex joco. 6to. Determinata, et certa, non vaga. 7mo. Rei naturae conveniens, et de eadem re litigiosa quae tractatur. Extra Judicialis confessio nihil operatur in lite, et potest revocari, quia est actus privatus, nec ulla confessio nocet tertio in lite, nisi Plenipotentiarii, quia illa habetur pro confessione Domini.

Qui qualificative respondet, neque ille potest ad negativam transire, verum qualificatam suam

pro-

probare tenetur, quia jam substantiam praetensionis agnovit, et confirmavit.

Negativa contestatio probam in Actorem retorquet.

CAPUT IX.

De Probatione in genere, et in specie de Probis internis.

Probatio est medium, quo Judici de re dubia, et simul controversa fides fit. Alia est plena, alia non plena, haec si dimidia parte convincat Judicem, vocatur semiplena, si ultra exsurgat, plusquam semiplena, si nec dimidiam probam efficiat, minus quam semiplena dicitur. Ejusdem speciei probae vocantur uniformes, secus mixtae. Probatio, quae est ex interna rei qualitate, seu ex visceribus causae, vocatur interna, seu artificialis, secus externa v. gr.

In regula Actori incumbit proba, nisi 1mo. pro Actore aliqua praesumptio Juris, vel privilegium, id est beneficium legis pugnet, v. gr., si in possessorio sit, rationem sui possessorii dare non tenetur, nisi proba alterius gravetur. 2do. Nisi Incattus temere, vel ex fiducia in probam se immittat. 3tio. Nisi Incattus qualificet, vel absolute aliquid affirmet, aut aliquam formalitatem vitio laborare dicat, quia semper affirmanti incumbit proba, negans contra nihil probat in regula. Verum observandum 1mo. negativa facti non de-

debet probari, v. gr. si dicam: non feci, vel non vidi, verum negativa Juris probari debet, v. gr. citationem non esse legalem probari debet per Incattum, aut quid simile, quod legi non esse conforme diceretur, sic si testes non esse capaces diceret quis, negativam qualitatis probare deberet, hae negativae sunt praegnantes quia affirmativam includunt.

Probae vel impugnantur directe, vel indirecte, prius, si probas alterius immediate debilitare quis intendat v. gr. quod testes, vel instrumenta alterius fidem non mereantur etc. Posterius, quum probae, alterius in salvo relinquuntur, verum oppositae probae adferuntur, v. gr. quum non oppugno testes, vel instrumentum alterius, verum pro me contrarios testes, vel contrarium instrumentum produco.

Plena proba si non enervetur seu directe, seu indirecte eam vim habet, ut pro illa feratur sententia. Semiplena suppleri debet. Si probae utrinque sint aquales, pronunciandum pro Incatto, vel pro possessore. Aliter est in metali, quia ibi uterque est Incattus, quia habet locum reconventio.

Ad probas internas pertinet fama, quae probam non facit, quia nititur quidem certo auctore sed tantum uno, uni vero testi nec Jurato creditur. Eo minus facit rumor, quia est incerto auctore, nec suspicio, id est opinio levis operatur plus quam rumor, et fama, si ex illis originem ducat, quam ipsi fontes; verum si suspicio ex circumstantiis nascatur, pro ratione illarum jam majus, jam minus pondus habet, licet vero probam prorsus

sus nullam faciat, tamen pro prudenti Judicis arbitrio ansam potest dare contra Ignobilem quidem capturae, contra Nobilem vero inquisitioni, sed prudenter hoc agendum, et ita, si veritatem taliter eliciendi spes non vana adsit. Praeterea talis inquisitio debet esse tantam generalis, id est in deutri punctis nemo debet nominari ad evitandam injuriam, si factum non evenerit. Majoris momenti est Praesumptio, seu opinio fortis de aliquo quod ipsi aliquid imputari possit. Praesumtio alia est **hominis**, quae nempe per ratiocinium, ex circumstantiis, et indiciis deducitur; est vel **levis**, quae nihil aliud est quam suspicio, vel **gravis**, seu probabilis, quando ex combinatione circumstantiarum facile potest factum deduci, et cum illis connecti. Vel **violenta**, dum nempe perpensis, et intellectis circumstantiis illae ita arctum nexum habere inveniuntur cum facto, ut non possit quis de facto non judicare. Alia **praesumtio** est **Juris**, quam ipsa lex ex aliquo facto ut certum deducit. Estque vel **Juris** tantum, quam leges formant quidem, verum probatio in contrarium admittitur. v. gr. praesumptio Juris est, quod testis adjuratus verum dixerit, sed tamen saepe potest contrarium demonstrari, et lex admittit contrariam probam. Sic praesumptio Juris est, qui non comparuerit ad citationem Judicis, contempsit Judiciariam auctoritatatem, sed tamen potest demonstrari contrarium, id est quod non contempserit, verum impossibile fuerit comparere. Vel **praesumptio Juris simul, et de Jure,** quae non admittit probam in contrarium, v. gr. illum,

illum, qui ad Tabulam Regiam nec intra 15. dies comparuerit, Judiciariam auctoritatem contempsisse est talis praesumptio, nec admittit probam in contrarium. Quia lex casum talem impossibilem praesumit, quod a die exhibitionis usque terminum, vel saltem a termino adhuc intra 15, dies nec per se, nec per Advocatum possit comparare, si velit, imo nec admittit, ut quis probare velit contrarium, id est, quod non potuerit.

Praesumptio hominis, et levis in civilibus prorsus sperni debet. In criminalibus id efficit, quod de suspicione dictum. Grávis in criminalibus nullam probam, in civilibus minorem quam semiplenam facit, et ansam praebet juramento. Violenta in civilibus aequivalet semiplenae, suppletur juramento per Actorem. In criminalibus minus est, quam semiplena proba, quia delicta non praesumuntur, verum probam sole clariorem exigunt. De praesumptione Juris dictum supra.

Probae externae sunt testes, oculata revisio, Literialia instrumenta, et juramentum partis alterutrius.

CAPUT X.

De Testibus, et oculata revisione.

Primo Testis est persona ad fidem Judici in re controversa faciendam adhibita. Talis debet esse, qui nec impediatur verum dicere, ut stultus, aut persona illegitimae aetatis propter immaturitatem Judicii 2ae, 27. 1ae, 176. nec prohibeatur, ut infames, seu infamia Juris, seu infamia facti notati,

tati, aut perjuri Col. L. 1. cap. 27. aut illi, qui non sunt christiani, si christianus possit haberi S. Steph. L 2do cap. 3. Servi, et subditi in criminalibus, praeter Crimen Laesae Majestatis, non admittuntur, nec pro, nec contra Dominum; in civilibus admittuntur, si alter desit 729. 26. Sed haec non sunt tam stricte accipenda, uti nec id, quod Ignobiles tantum tunc admittantur contra Nobiles, si aliter veritas resciri non possit. Prohibentur etiam interessati, quia pro se nemo potest testificari. v. gr. in metalibus, et aliis territorialibus loci incolae. Item illi, qui pro una persona haberi possunt cum illo, contra quem testandum esset v. gr. Tutor pro, vel contra pupillum; Plenipotentiarius, Advocatus in causa, quam gerit, vel defendit. Prohibentur gravi laborantes inimicitia contra inimicum, quia odio pervertitur veritas Prol. Tit. 4to. ut et propinqua cognatione sibi invicem conjuncti, praeter casum Criminis Laesae Majestatis 1ae, 32. Prohibentur socii sceleris, excepto aeque casu, ubi pernicies reipublicae immineret. Notandum vero, quod plerique ex his tantum ita rejiciuntur, si exceptio contra illos coram Judicio obvertatur per illum contra quem testantur; quia ex partium consensu possunt testes agere etiam tales, qui secus exceptioni obnoxii essent, sic in levioribus negotiis vel si summarie tantum proceditur, non tam stricte ad has plerasque qualitates respiciendum.

In Testibus requiritur:

1. Libertas, id est, ut libere fateantur. Ad id ut fateantur, quod sciunt, possunt cogi, ut

videbimus, verum ut hoc, vel illud specifice fateatur, non possunt.

2. Aetas, talis nempe, ut pateat illos negotium intelligere, hic nullus annus lege determinatus est, verum si legitimae aetatis sint, et judicio polleant, possunt adhiberi pro prudenti arbitrio Judicis: praeterea talis aetas debet esse in testibus, ut negotium, vel rei gestae tempus, et circumstantias illi scire possint, et illarum meminisse. In regula ultra 60. annos humanum testimonium de propria scientia non admittitur, nisi quis senex valde vegetae memoriae sit, verum de auditu, si valde multi sint, probant etiam ad 100 annos praecipue in rebus non transitoriis, verum continuativis, v. gr. in territorialibus, aut cum de possessoribus antiquis quaeritur, non autem in Genealogia 43: 1ae.

3. Modalitas, id est rationem debet dare suae scientiae, hinc qui tantum ex auditu fatetur, non meretur fidem, nisi in talibus, quae ex auditu debent sciri, aut a patratore ipso audivit, talis admittitur, et vocatur testis auritus.

4. Conditio, id est bonae famae debet esse, quia id an Nobilis, vel ignobilis sit? non curatur.

5. Juramenti corporalis depositio secundum formulam, quae ad finem Decretorum habetur. Corporale vocatur, quia penes actum corporalem, elevationem nempe trium dextrae manus priorum digitorum fit viva voce. De catholicis Sacerdotibus dictum alias. Nec faeminae praegnantes, et partui proximae deponunt juramentum corporale ex consvetudine, verum ad felici-

tatem

tatem partui futuri asseverant se omnia bona fide revelaturas. Officiales in rebus ad officium pertinentibus sub illo juramento fatentur, quod deposuerunt tempore aditi officii. Testes testamento subscripti non debent jurare, verum aliis privatis contractibus subscripti debent, si negotium et fides instrumenti in dubium revocetur, verum, si nefors semet ad fuisse recognoscerent, et tamen contra positivum tenorem contractus, et conditionum faterentur, non acceptaretur illorum fassio. Si Officialis publicus de re ad officium non pertinente det testimonium, habetur qua privatus, et debebit autenticari. Juramentum partes interessatae remittere possunt, verum ubi de Publico agitur, non potest remitti. Reo criminali delictum negante, Testis praevie in figura Judicii examinatus, et adjuratus cum illo confrontatur, et ad caput ejus genua flectere coacti jurat. Si valde multi sint testes, possunt aliquot ad semel adjurari, modo ita ut adjurans observare possit, an recitent juramenti formulam, taliter adjurati deinde singillative debebunt examinari.

Testes ad plenam probam faciendam ad minimum duo uniformiter fatentes, et omni exceptione majores, id est idonei, requiruntur. In rebus tamen ad officium pertinentibus, v. gr. Chirurgi visum repertum, Medici testimonium plenam probam facit. Si testes dissentiant, erunt tantum singulares, et quidem si singularitate sibi invicem opponantur, plenam probam non faciunt, quia diversa fatentur, quilibet pro diversa re semiplenam probam facit, eodem redit singularitas

ras diversificativa, seu discrepans, dum nempe diversa narrant, non tamen opposita, verum talia, quorum unum alterum non juvat. v. gr. si unus dicat negotium evenisse hic, alter ibi, unus dicat numeratos 100 alter 200. Si vero sit singularitas cumulativa v. gr. unus dicat se vidisse furem, cum furatus est, alter dicat se audivisse ex ipsomet, quod furatus sit, vel unus dicat, vidisse domum intrantem, alter exeuntem, tales testes plene probant, licet singulares sint, quia narrationes ad idem tendunt. Testis vacillans, fluctuans nihil probat, (nisi in autenticatione praecise loquatur) eo minus probat testis sibi contrarius, et tali nec unum, nec alterum credi debet, imo si utrumque in autenticatione fassus est, qua perjurus puniendus est. Non item si tantum collateraliter fassus est contraria. Testes duo contrarii, si se mutuo conquassant, nec unus, nec alter meretur fidem, nisi alteruter longe fortiorem rationem scientiae adsignet. Juramentum credulitatis, quo nempe conjuratores, seu ad latus jurantes affirmabant sub juramento se credere, quod alter dicit, et quod ille fide dignus homo sit, jam cessavit. Ut etiam id, quod unius juramentum plurium personarum juramento aequivaleat, v. gr. Baronum Regni, Praelatorum acceptabatur pro juramento 10. Nobilium.

Testium adjuratio vocatur inquisitio. Peragi debet per personam Jurisdictione publica fungentem in loco illo, et in illos, ubi, et quos adjurat, et quidem penes Comissionem, vel Mandatum Superioris, nisi sit per ipsum Judicem causae, aut ex

Judicio exmissum, vel ex Magistratu, Congregatione etc.

Inquisitio, quae ad unius tantum instantiam, et pro una tantum parte fit, vocatur Partialis, si vero testes pro utriusque parte, et ex utriusque voluntate, vel etiam invita utraque ad dubietatem, quae ex responsis partium in Judicio enata est, tollendam, ad eadem puncta deutri simul adjurentur, vocatur Inquisitio communis 2ae, 27. Inquisitionem communem sapiunt etiam investigationes Magistratuales ex determinatione Comitatus in rebus Publicum tangentibus et aliis etiam privatis, ad petitionem partis utriusque, vel tantum alterius peractae. Aut si quis ad Regem recurrat, et Rex Comitatui mandat, ut det informationem, sicque Magistratuales aliqui exmittantur pro investig tione, quia talibus utraque pars poterit suos testes statuere, imo iidem testes pro utraque parte, id est in genere de re substrata adjurabuntur, etiamsi alterutra partium illos non statuat.

Inquisitio est adhuc alia collateralis, quae a Persona quidem publicam auctoritatem ad id habente peragitur, non tamen per Judicem causae, nec in figura Judicii, et servit tantum pro informatione, nec facit probam in Judicio. Collateralis Inquisitio fit vel penes Mandatum Compulsorium, vel tantum penes commissionem Vice-Comitis. Penes Mandatum compulsorium Jurati, vel Judex Nobilium, cum Jurassore, si nempe illis sonet Mandatum, peragunt Inquisitionem, Jurati quidem in toto Regno, etiam in Civitatibus inter cives, et in qualicunque causa, exceptis Criminalibus, et Ur-

b-ria-

barialibus, Nobilitaribus, verbo Magistratualibus, stricte ad Comitatus pertinentibus. Judices Nobilium vero cum Jurassore in Comitatu suo. Penes Commissionem vero Vice-Comitis ad petitionem privati alicujus, Judlium cum Jurassore peragit, ad quam Commissionem; solent Ignobiles et debent deponere juramentum, si vero Nobilem velit quis privatus adjurari curare, Mandatum compulsorium ipsi ostendi debet, secus non tenetur jurare, imo si juret, erit suspectus, quod se obtrudat. Imo etiam Ignobiles contra Nobilem, praecipue propter Personalia, penes Mandatum compulsorium debent adjurari ad petitionem privati. Sed in negotiis Publicum tangentibus sufficit exmissio Magistratualis.

Si testes prima quoque vice in figura Judicii, vel (praecipue cum consensu partium) extra figuram Judicii per exmissos Judices causae examinantur, et adjurantur, vocatur Inquisitio autentica. Contra talium testium fassiones exceptio potest formari peracto examine, contra qualitates vero eorum personales, ante fassionem. Autenticata vero illa dicitur que collateraliter peracta in figura Judicii per ipsos causae Judices reexaminatur, et testes ibidem iterum adjurantur. Autentica vel autenticata Inquisitio plenam probam facit in Judicio. Collateralis quoque probat, si pars contra quam producitur, acceptet illam pro autenticata. Hinc qui Inquisitionem collateralem in Processu producit, petat terminum pro autenticatione praefigi deliberative, et nisi altera pars declaret allegative, se eam pro autentica ac-

ceptare, non curet sententiam ferri ex fassionibus testium ante autenticationem, quia post sententiam controvertet alter, quod non mereantur fidem, cum non sint autenticati. Contra testes ante autenticationem solet excipi, quod scilicet non possint admitti ad autenticationem ex illis, quae supra in teste requiri, diximus 2ae. Saepe vero reservatur facultas post autenticationem excipiendi. Ob graves rationes etiam post autenticationem admittenda est expcetio contra qualitates testium, fassiones ipsorum alioquin post autenticationem debent per combinationes, aut aliter quocunque modo oppugnari.

Si testes collateraliter examinati ante autenticationem judicialem mortui sunt, dicitur inquisitio morte autenticata, si aliqui testes supersunt, fassionemque suam confirmant, et reliqui habentur pro autenticatis, si omnes mortui sunt, et negotium in cursu ac sub prosecutione fuit, sed mors autenticationem praeverterit, acceptatur pro autenticata, non item si nec inchoatum, vel derelictum est negotium, et dolose exspectata est mors testium, ut sic pro morte autenticatis obtrudi possint.

Inquisitionem peragens sub sigillo et subscriptione sua debet seriem peractae Inquisitionis parti inquiri curanti, imo etiam contraparti petenti 42: 1723. in forma testimonialium in paribus extradare, Originale vero ad Archivum loci autentici, ad quem pertinet resignare 1729: 25. et post factam resignationem inde debebunt expediri tales Inquisitiones, aut quaecunque demum Literae, quia

si

si nefors Juratus, vel Judex Nobilium ex fragmento apud se remanso vellet alicui postea extradare, fidem non meretur.

Processus hic enascuntur:

Primo contra testificari nolentes. Actor est ille, pro cujus parte fiebat Inquisitio. Judex est contra Nobiles vel Liberos, (imo ut aliqui dicunt etiam colonos) Vice-Comes 49: 635. licet secundum 35: 1729. etiam Judex Nobilium posset procedere. Contra cives Judex est Civitas, nec valet paritas a colonis, quia coloni etiam Comitatui subsunt, non item cives. Actio fundatur in 28: sae, 49: 1635. probari debet testimonialibus ab inquirente Judiciali persona extractis, ad legitimam Commissionem Judicis Regni Ordinarii, Incattum noluisse deponere juramentum. Ignobiles qui solvendo non sunt, puniuntur poena corporali 1563: 81. secus 16. Marcae gravis ponderis sunt deponendae absque appellata 30: 1729. et quidem toties, quoties legitime requisitus non juraverit, vel non fassus fuerit. Ignobiles puniuntur licet ad Commissionem, vel Sigillum Vice-Comitis noluerint jurare, si Statutum, vel consvetudo Comitatus ita ferat, quia 81: 1563. dicit: legitime requisiti, atqui consvetudo, et statutum est legitimus modus. Medietas byrsagii hujus cedit Judici, medietas Actori. Excusantur ab hac poena, qui contra consanguineos, debuissent fateri, vel si deutri puncta ipsos feriebant, quia contra se nemo tenetur fateri, excusantur et omnes illi, de quorum testimonio diximus, quod contra illud excipi possit, id est quos diximus prohiberi ab attestatione.

Secundo. Idem Processus, et eadem poena habet locum contra illos, qui inquirentem ad bona sua non admitterent, vel homines suos a deponendo subtraherent, vel talem Inquisitionem ad requisitionem privati faciendam quoquo modo turbarent. 39. 1635. et hoc etiam de communi Inquisitione intelligendum, quia dicit quidem lex antiqua, tales in Actu Majoris potentiae convincendos esse Ulad. 5: 5. et aliae, verum cum 1723: 12. taceat, eo ipso ad poenam ordinariam est reductum (nisi quis ipsum inquirentem verberet) hoc idem est de oculatae revisionis turbatoribus intelligendum. Licet aliqui ad violentiam reducant utrumque.

Tertio Fisco Magistratuali competit Actio contra illos, qui Inquisitionem publicam praecipue contra malefactores instituendam in bona sua non admitterent, vel illam turbarent, fundatur 60: 1638. et ibi citatis, sub poena 100 fl.

Quarto ad poenam perjurii. Perjurium apud nos significat pejerationem, aut mendacium juramento confirmatum, in fraudem, et periclitationem jurium alterius, cum nempe quis contra positivam scientiam fatetur, seu cum moraliter falsum dicit. Quia potest fieri, quod quis falsum dicit logice, id est res non ita se habet, verum ille ita sentit, ita est persvasus, ergo non peccat, quia moraliter verum dicit. Perjurii poena est infamia, et praeterea, si contra Fiscum juravit quis amissio bonorum, si contra privatum, homagium suum solvit 2. 30. Tales perjuri vocantur aucarii id est Ludas a voce ö k e, anser,

Move-

Movetur processus coram S. Sede ad cognoscendum delictum, ad poenam vero infligendam coram Tabula Regia

Perjurium sumitur adhuc, pro juramenti violatione, seu pro perjurio grammatico, et proprie tali, id est cum quis aliquid sub juremento promisit, et non praestitit, hoc perjurium raro trahit poenam dictam post se, et est magis fori interni, quam externi.

Secundo Oculata Revisio est actus, quo res controversa proprio Judicis visu legitime cognoscitur. Habet locum in talibus negotiis, ubi de situ locorum, et extensione agitur v. gr. 41. sae, in violentis occupationibus, in pignoribus, in metalibus in damnis, seu factis, seu infectis, ut vel aestimatio, vel cautio fieri possit, in vulneribus, in quibus si per Chirurgos, vel Medicos fiat, vocatur visum repertum. Debet esse actus publicus manifestus. Si negotii natura exposcat, debent eo citari testes, ut praesentes omnia demonstrare possint. Item saepe vicini, commetanei, qui sub poena 16. marcarum comparere tenentur, saepe in oculata artis periti adhibendi sub juramento. Peragitur per Judicem, vel exmissos ex Judicio. Nomina testium praesentium in testimonialibus super oculata extradandis recensenda sunt.

CAPUT

CAPUT XI.

De Literalibus Instrumentis.

Tertio Literalia Instrumenta sunt scripturae ad fidem de re controversa Judici faciendam legitime confectae. Alia sunt Publica, quae ab illis, vel coram talibus confecta sunt, qui publica auctoritate ad tale Instrumentum conficiendum gaudent, aliter vocantur autentica, et sunt varia, prout sigilla publica, sub quibus confecta sunt. Alia vero Literalia, quae per privatos tantum fiunt, vocantur privata. Utraque vel sunt originalia, vel non originalia, haec vocantur alias transsumpta, quae vel sunt autentica, id est, quae per locum, vel personam publicam auctoritatem tales Literas conficiendi, aut transsumendi habentem, transsumuntur, tale instrumentum est vel transsumptum primum, vel transsumptum transsumpti. Transsumpta non autentica aut privata vocantur alias Copiae, quae ex originali per privatos tantum descripta sunt, suntque vel Vidimata, quae per aliquam fide dignam personam, privatam tamen, per publicam quidem, sed talia instrumenta conficiendi, vel transsumendi auctoritate ex officio non gaudentem, alii documento conformia esse recognoscuntur, vel non vidimatae, id est quae simplices tantum Copiae sunt. Illa Literalia, quae per personam, vel locum autenticum transsumuntur, vocantur per excellentiam transsumpta.

In

In genere omnium Literarum requisita sunt haec: nomina, et cognomina illorum, per quos, et coram quibus Literae conficiuntur, sunt accurate exprimenda. 2: 17. Subscriptio conficientium, et sigillum, datum, id est tempus, et locus, quo nempe literae confectae sunt, vel etiam tempus, quo negotium actum est. Debet omnis rasio, correctio abesse, praecipue in substantialibus, si quid vero correctum, debet per expedientem, vel subscribentem recognosci, quali linea, et pagina, in qualibus verbis correxerit 729: 39. Literae ignoto sermone confectae debent explicari illis, quorum interest scire, v. gr. contrahentibus, non esse explicatas, negans debet, probare, quia praesumptio stat pro affirmante.

Requisita vero Literarum autenticarum, seu publicarum sunt: Ut locus ad id auctoritate publica instructus sit, porro, ut personae tales juramento ad id sint adstrictae. Ut in Literis recognoscatur ad declarationem confici curantis viva voce vel coram ipso loco, vel coram exmissis facam, esse confectum. Debet instrumentum ita confectum per conficientes subscriptum in protocollum induci, et in originali in Archivo reponi. Debet instrumentum ex certa scientia confici, non vero ex opinione, aut auditu, vel relatione aliorum, nisi exmissorum. Exmissio semper debet sub subscriptione duorum Capitularium, vel Conventualium fieri, et in confectione Instrumenti, exmissio facta esse recognosci.

In

In specie: Literae ex Cancellaria majore (quae est Viennae ad latus Regis, Cancellaria minor vero est Cancellaria Personalis) emanandae debent subscribi a Rege, (praecipue privilegia) a Cancellario, et uno Secretario ex usu. Si Subscriptio Regis non adest, debet recognosci: ad Mandatum suae Majestatis proprium. Sigillum Regis Hungariae adesse debet 608: 9. ante Cor. Stylo antiquo, et recepto debent Literae confici. Insolitae clausulae omitti.

Literae apud judices Regni ordinarios conficiendae debent nomine ipsius Judicis confici, et manu illius propria subscribi, et sigillo ejus muniri. Personalis nomine Regis extradat, et se ipsum subscribit, Protonatarii nomine Principalium suorum, et sub sigillo eorum. Vice Tavernicus aeque sub nomine Tavernici, verum seipsum subscribit, uti Protonotarii. Debet in paribus extradari confici curantibus, aut etiam petentibus, contra quos sunt, Originale vero in Archivo debet conservari. Protonotarii omnia instrumenta coram ipsis confecta singulis annis debent referre ad Archivum principalium suorum, illi vero in genuina copia quot annis ad archivum Regni 45: 1723.

Capitulares, et Conventuales ad minimum 3. esse debent in Capitulo, et Conventu, et quotquot sunt, omnium nomina subjungi debent documento expedito. Lector, vel in Conventibus superior, aut illis non existentibus aliquis ex Capitularibus, vel Conventualibus cum nominis proprii appositione subscribere debet, et nefors cor-

rectam

rectam apponere, omnes vero expeditiones priusquam subscribantur, et sigillentur coram Capitulo perlegi debent. Exmissi Capitulares, vel Conventuales ad minimum duo debent esse 559. 50. et sub juramento, sub quo ingressi sunt Capitulum, referre. Universae illorum relationes cum subscriptione eorum, et lectoris, debent ad Archivum reponi, et per Notarium improtocollari.

Comitatus sub nomine Universitatis, et subscriptione Notarii extradant Literalia. In quibusdam expeditionibus subscribunt etiam Magistratuales, qui judicarunt in causa v. gr. diximus de Processu Nobilitari. Omnia acta debent per Notarium improtocollari, et ad Archivum reponi 723: 58. uti etiam omnes instantiae adsumptae, officiales quid quid ex officio agunt v. gr. admonitiones, inquisitiones, debent quolibet anno ad Archivum in originali cum elencho actorum referre sub poena 500 fl. Extractus protocolli cum subscriptione Notarii sub proprio ejus sigillo absque solennitate, absque determinatione, et nomine Comitatus extradati, fidem habent quam vidimata. In genere de expeditionibus Comitatuum, Civitatum, Communitatum notandum, quod in negotiis eo pertinentibus, sunt publicae, et autenticae.

Transumptio fit vel per processum in Curia motum, de hoc vidimus alias. Vel vero locus, vel persona autentica documentum in Archivo suo existens vel per instantem allatum ad petitionem ejus in forma solenni copiari, et extradari facit. Si vel ipsius loci credibilis Jura tangerent Litera-

ra-

ralia, ante annum interressatis absque, post annum vero erga Mandatum requisitorium (secus fidem non merentur) sub poena 500 fl. debent extradari cuicunque 1723: 43. Attingi debet in expeditione transumptorum, an originale adsit in loco autentico, vel vero ille attulerit, secum, qui transumi fecerit. Si exstet in Capitulo, vel Conventu, attingendum erit, an autentico protocollo loci insertum, vel vero tantum inter fragmenta, et signaturas sine ulla protocollatione, vel qualicunque demum autenticatione repertum sit. 42: 1723. In transumpto transumptorum testari debet locus credibilis, an originale exstiterit in loco autentico, et fato periverint? Notario pro expeditione ad hospitium possunt acta dari, verum debent statim reponi. Aliis vero extraneis nullibi licet volvere, et investigare acta talis loci credibilis, nisi in praesentia duorum Capitularium, vel Conventualium 25: 1741, verbo antiquae consvetudines circa expeditiones, ut stylus, cera, zona modo solito observandae 729: 39.

Fides, et vis Literarum desumitur ex requisitis, quibus instructae sunt. De reliquo observandum 1mo. Literae Originales publicae, et autenticae id, de quo ex professo, et principaliter tractant, plene probant, non vero id quod tantum accessorie narrant 1ae: 37. §. 12: 723. 42: adae. Transumpta in talibus originalibus, quae in Archivo alicujus loci credibilis improtocollata, et solemnisata exstant, aeque probant in Judiciis, ac ipsa originalia 42: 1723. Sic etiam transumpta Tabularia, ist est quae in Processu transumuntur.

3tio.

3tio. Transumpta, quorum originalia in Archivo loci autentici exſtant quidem, verum ſine improtocollatione, non probant, quia nec pro ipſo - orignali ſtat fidedignitas Capituli, ergo ipſum originale debet produci in Judicio, et ibi diſcuti an ſit validum, vel non. 2ae, 15. 723: 42. Idem tenendum de talibbus transumptis, quae ad locum autenticum adferuntur pro transumptione, quia non ſtat locus autenticus pro valore originalium illorum, ſed tantum pro eo, quod ita transumpſit, uti illud ſe habet 2ae, 15. 4to. Transumptum transumptorum in Judicio Jus radicale non probat, verum ſi locus autenticus recognoſcat praeexſtitiſſe originales, verum fato periviſſe, valet pro defendendo quamdiu contrarium non docetur, ſed non petitorio, id eſt cum illo uti volens extra poſſeſſorium eſt. Idem dicendum in genere de omnibus inſtrumentis, quod ſi quis vel humano teſtimonio, vel Literis (et non juramento) probet praeexſtitiſſe aliquod inſtrumentum, et vel omnia ſua Literalia, vel illud in ſpecie fato periviſſe, ad defenſionem ſufficiet, non vero ad acquirendum 70: 1715. Math. 2: 20. 38: 1545. Juramentum ad praeexiſtentiam probandam ne quidem pro ſupplemento admittitur, eo minus ad id probandum, quod quis amiſerit, et ne tunc quidem cum defenſionem vult ſibi per id procurare, ergo eo minus admitti debet Juramentum ſuper praeexiſtentia, et amiſſione, cum per id acquirere intendit.

Literae ſub ſigillis privatis emanatae contra conficientes plene probant, ſed pro conficiente

non

non probant, ſi ſint tantum unilaterales, et alter, cujus intereſt non recognoſcat. Hinc annotationes domeſticae privatae pro nemine probant. Excepto libro Mercantili. Inter Literas diverſas ſibi contradicentes illa praevalet, quae majori autenticitate, et ſolemnitate gaudet, uti de teſte diximus; ſi pares ſint ſe invicem elidunt, neutra probat. Si inſtrumenta ſpeciei facti non ſint applicabilia, poſſunt impugnari, vel ſi teſtes ſubſcripti negent ſe ſubſcripſiſſe, aliud eſt ſi non recordentur. Teſtamentum vel uno teſte cotradicente corruit. Contra id, de quo principaliter agit, inſtrumentum ſuis externis formalitatibus rite inſtructum non admittuntur Teſtes, verum an quoad expoſitionem falſe ſit inſtrumentum confectum, admittuntur teſtes, praecipue ſi nulli adfuerunt tempore facti inſtrumenti, vel mortui ſunt, qui adfuiſſe praetenduntur, uti etiam quoad extrinſecum valorem, aut falſitatem extrinſecam, ſi nempe quoad formam externam falſe ſit confectum v. gr. per larvatum etc. propter falſitatem externam eſt inſtrumentum ſeponibile, propter falſitatem intrinſecam vero praejudicium eſt, invalidabile.

CAPUT

CAPUT XII.

De Juramento.

Quarto: Juramentum est contestatio, qua ad vindictam Divinam provocamus, sub conditione falsiloquii moralis, seu in istum casum si sermo noster a mente diversus fuerit) non ergo in istum casum, si sermo noster a re, et objecto diversus fuerit, quia errare humanum est.

Juramentum est vel Promissorium, vel Assertorium. Assertorium juramentum est vel Judiciale, id est, quod in Judicio propter rem controversam deponitur, vel Extrajudiciale, de hoc nos non agimus. Judiciale est vel voluntarium, vel necessarium. Voluntarium, quod inter partes tractatur, absque Judiciali auctoritate; nec debet statim deponi, verum sunt media illud a se amoliendi. Hoc juramentum voluntarium est triplex. Nempe, oblatum, quod quis promittit se depositurum, si alter a praetensione sua recedat. Vel cum quis offert se deponere paratum esse penes suum assertum. Delatum est, quod quis alteri defert, et dat facultatem jurandi penes id, quod asserit. Relatum, quod ille refert alteri, cui delatum est juramentum. Necesarium juramentum est, quod Judex imponit, et deponi debet, nisi quis convinci malit. Est vel revelatorium, quod illi, de quo vel lex praesumit, quod res alienas, vel saltem communes apud se habeat, vel ad quem de-

deventio rei probatur, imponitur eo fine, ut occulta res, vel quantitas, aut qualitas illius rescíatur. Ante appellatam debet deponi, quia sententia interlocutoria mediante imponitur, nec finit litem, verum praeparat ad finem. Vel litis decisorium, quod in defectu probarum imponitur per Judicem, et finit litem Hoc juramentum si illi imponitur, qui semiplene gravatur, vocatur purgatorium, si ille deponat, qui semiplene probat, vocatur suppletorium.

Regulae juramenti Judicilales sunt:

1. Alterutra parte plene probante, vel plenam probam offerente, non imponitur Juramentum 729: 27.

2. Actore nihil probante, reus simpliciter absolvitur, (demptis casibus occultis) juramentum per Judicem neutri imponitur. Nec tenetur Incattus oblatum Actoris juramentum acceptare, eo minus delatum praestare, vel referre.

3. Si Actor probet quidem semiplene, verum Incattus aeque semiplene probet pro se, vel Actoris probas evertat, et diluat, redit casus, ac si Actor nihil probaret.

4. Si Actoris semiplenam probam Incattus non diluat, et Actori res sit cognita, cum versetur in facto proprio, illi imponitur suppletorium juramentum, v. gr si diceret Actor, ego numeravi, vel dedi tibi mutuo, et hoc semiplene probaret, possent partes inter se invicem offerre, deferre, referre, quia uterque versantur in facto proprio, si tamen hoc nolint, Actori imponet

Judex

Judex necessarium juramentum. Si vero Actor versaretur in facto alieno, Incattus vero in proprio, vel illi cognito, v. gr. diceret Actor, pater meus dedit tibi, tunc voluntarium juramentum poterit Incattus deponere; si nolit, illi imponet Judex purgatorium necessarium. Si vero uterque in facto alieno versentur, vel in facto utrique cognito, v. gr. probaret Actor semiplene, quod pater ejus dederit patri Incatti mutuo, licet Incattus probam non dilueret, tamen nec voluntario, nec necessario juramento esset locus, verum Incattus absolveretur.

5. Si casus in occulto intercessit ita, ut nec humano testimonio, nec Literali documento probari possit, si Incatto et Actori simul cognitum est factum, potest Juramentum offerri, deferri, referri, si hoc nolint, Incatto imponit Judex juramentum. S soli Incatto sit factum proprium, aeque illi imponet juramentum, atque expensas eidem per A. temere causatas adjudicabit. Si neutri est factum proprium, vel cognitum, neuter potest deponere voluntarium, nec Judex imponere ulli, verum Incattum absolxere debebit.

6. Si ille, cui ex his regulis deberet imponi juramentum perjurus, et infamis sit, alteri parti, si illa omni exceptione major, et intemeratae vitae sit, atque in facto proprio versetur, debet imponi juramentum. Dicit quidem lex, quod hoc etiam respici debeat, an Nobiles, vel Ignobiles sint partes, sed hoc in timorem Dei nullum habet influxum. Hinc eadem lex 27: 1729. dicit 7mo, quod etiam ignobilis semiplene gravatus, possit se jura-

mento purgare, si non gravatur, absolvi debet Actore non probante.

Si utraque partium offerat juramentum, Judex debet ex datis regulis uni, vel alteri imponere. Quo magis gestit Actor Juramentum suum offerre, et deponere, eo suspectior est. Quó magis gestit Incattus Actori deferre, eó justior est, quia Actor scit se certo Incraturum, si juramentum ipsius acceptetur, Incattus vero scit certo amissorum, si Actor delatum ipsi deponat. et tamen tantam in Actore fiduciam habet, illum non juraturum penes praetensionem suam, si illa falsa sit. Qui in damno vitando versatur, ut plerumque Incattus, circa illum majus est periculum perjurii. Si deferens honestae famae, et omni exceptione major sit, atque aliquid probet, alter delatum a tali juramentum deponer debet, vel referre deferenti. Si deferens nihil prober in casu non occulto, non videtur alter deponere, vel referre debere juramentum, si nolit, quia lex dicit, quod tunc Incattus simpliciter absolvi debeat, praesupponendo hoc, quod de voluntario juramento inter se convenire non potuerunt, quia liberum erat illis tam oblatum acceptare, quam delatum deponere, vel referre, si illi, cui delatum est deponere; vel referre placuit. Ergo 30: 1729. cum dicit delatum juramentum vel deponi, vel referri debere, ita intelligendus, et de tali casu, cum deferens Actor probet aliquid, simul bonae famae sit, sic conciliatur cum 27. 1729. Si vero Incattus deferat juramentum, et sit bonae famae, tunc necessario deponi per Actorem, vel referri debet

debet Incatto. Si quis delatum semel juramentum revocet, non amplius poterit deferre. Si deferenti Juramentum referatur, illud necessario deponere debebit, secus causam amittit.

Juramentum etiam per Judicem impositum potest pars altera remittere, quia si Actor est, potest praetensioni suae cedere, si Incattus, potest praestare; quod alter praetendit; ergo illa parte volente absque juramento feretur sententia. Hinc potest pars talis hominis juramento contentari; contra quem secus excipere, imo appellare posset; quod tali impositum sit v. gr. perjuro.

In criminalibus juramentum non habet locum, verum in dubio semper absolvitur Incattus, quin se purget juramento. Nec in aliis ubi vita, vel fama subversatur. Imo nec in casibus civilibus arduis ob metum perjurii, vel non sine maxima circumspectione, et necessitate. Nec in causis matrimonialibus, verbo in nulla causa, ubi liquidae probae requiruntur.

Effectus depositi juramenti Judicialis sive necessarii, sive voluntarii est: qui juramentum deponit, ille lucratur causam et habet vim transactionis, nec datur appellata, si secundum juramentum, et pro illo judicetur, qui deposuit, hoc significat illud, a juramento non datur appellata. verum quod ultra juramentum adjudicatum est, vel contra juramentum, id est; si in illis convincatur Incattus, quae in juramento ipsius seu voluntario ex consensu alterius partis deposito, seu necessario, comprehenduntur vel vero ubi Actor deposuit juramentum, tamen In-

cattus absolvatur, in talidus casibus datur appellata, et quidem si Incattus est convictus, contra juramentum intra Dominium potest appellare, quia si Actor appellat, hoc alioquin semper intra Dominium Incatti fit, quia absolutus est.

Effectus vero recusati juramenti per Judicem rite impositi est omissio causae, id est si Incattus est, convincitur, si vero Actor est et recusat juramentum, nihil acquirit, verum Incattus absolvitur. Sic etiam effectus delati juramenti, si illud nec deponatur, nec referatur, est causae amissio. Observato tamen eo, quod supra de tali juramento diximus. Effectus relati juramenti, si non deponatur, semper est amissio causae.

A juramento litis decisorio, per Judicem imposito datur Appellata ante depositionem juramenti 30: 1729. v. gr. si Actor putet se plene probasse, et tamen vel illi suppletorium juramentum imponatur, vel Incatto purgatorium, potest appellare, verbo, contra regulas supra dictas imponitur, vel tali imponitur, contra cujus personam alter excipit, et probat illi non posse tuto imponi juramentum; ita si in tali negotio imponeretur, quod alias probas re quirit, v. gr. ubi praeexistentiam rei, et amissionem deberet probare Actor, qui rem illam, quam sibi periivisse praetendit, in altero desumere vult. Quia talia vel evidentia rei, vel testimonio humano debent probari, et postea erit quaestio, cui imputetur talis res perdita? aliud esset, si jam de damni realitate in genere constaret, verum tantum quantitas illius, et qualitas igno-

ignoraretur, verum etiam in illo casu non secundum juramentum Actoris, verum secundum limitationem Judicis refundi debet 27: 16 8. Lex quidem dicit in casibus occultis locum habere juramentum, verum illud aut est purgatorium, et absolutorium, quod tantum illi imponitur, contra quem praetensio est, et tantum tunc si ille sciat de re, et obligatione praetensa, super qua jurari deberet; aut revelatorium, rei nempe alienae vel saltem communis, non vero acquisitorium, id est, non tale, quo quis aliquid vult acquirere, imo nec defensorium, quo id, quod actu habet, et quod alter ipsi controvertit, retinere, et se in possessorio firmar vult, uti in capite praecedenti diximus. In talibus itaque aut aliis id genus casibus appellare potest ab impositione juramenti ille, qui per illam se gravari putat.

Si partes impositionem juramenti uni, vel alteri factam non difficultent, a formula juramenti per Judicem elaborata ante depositionem appellare non possunt.

Dum litigatur respectu rerum, quae ad haeredes trenseunt, transit etiam obligatio deponendi juramenti ad successores v. gr. ad filium natu maximum, qui si non sit aetatis tantae, ut juramentum deponere possit, exspectanda est aetas idonea, si quis filios non habeat, et bona filias nonconcernant, in fratrem transit juramenti depositio. Si impositio juramenti in foro appellatorio approbetur, et interea donec Processus redeat, moriatur ille, a cui facta impositione alter appellaverat,

ju-

juramentum pro deposito habetur, quia appellans est in causa, quod non fuit depositum.

CAPUT XIII.

De Actibus Judiciariis, qui ad Terminationem Litis pertinent.

Hic notanda est: Primo Sententia, quae vel est interlocutoria, qua incidens aliqua quaestio superatur v. gr. sententiae condescensoriae simp ices, vel circa testes, aut incidentalia Byrs gia latae, aut de eo, quid cui incumbat probare, aut facere in Processu; vel est Definitiva, quae ipsam principalem quaestionem Processus definit, et Incattum vel convincit, vel absolvit. Interlocutoria simplex, quae nec attingit principalis quaestionis decisionem, non potest appellari, verum pro appellata declarari. ut forum revisorium post conclusum Processum, eo magis in attentionem sumat, an illa sententia Interlocutoria rite sit lata vel minus? Innterlocutoria vim definitivae habens est, quae ita afficit principalem, et meritoriam quaestionem, licet indirecte tantum, ut illa prorsus jam quaeri non possit. A tali sententia potest appellari, v. gr. si Actoratus ruat, vel ab actione quis simpliciter amoveatur, uti supra dictum, vel cum Juramentum litis decisorium parti imponitur, quod nempe absolutionem, vel convictionem post se trahit. Aut sententia calumniae fertur, aut

quo-

quocunque demum modo meritum causae periclitatur.

Sententia praecipue definitiva debet convictionem, vel absolutionem, vel formaliter, vel saltem virtualiter in se continere. Debet esse clara, secus alia sententia debebit illustrari, et declarari. Debet esse praecisa, et absoluta, id est non conditionata, quia secus non esset sententia. Debet esse de praesenti, et non pro futuro, quia secus esset conditionata, si a tempore suspenderetur. Ubi natura causae, et petitionis actoreae secum ita fert, potest esse alternativa, et disjunctiva, v. gr. vel superinscribat creditor, prior, aut pignoratarius, id est, exsolvat creditorem proprietarii posteriorem, vel levet summam inhaerentem, et remittat bona etc. Sententia non debet excedere actionis sphaeram, (nisi quoad illa, quae necessario cum petitione in actione apposita connexa sunt, licet non sint expressa) quia secus oppositio habebit locum, quia tantum quoad illa est quis citatus, quae in actione sunt. In criminalibus etiam de illis potest ferri sententia, quae in actione non sunt, verum in defluo Processu prodiverunt Si quid in sententia omissum est, quod tamen non debuisset omitti, debet alia sententia suppleri ad petitionem partis interessatae. Ergo potest addi sententiae, id decidere potest Judex, quod hactenus indecisum reliquit, sed mutari non potest, praecipue definitiva, licet nec alia temere mutanda. De Judicibus Pedaneis primae instantiae notandum, quod illi partium momentosiora argumenta in deliberatione adducere

so-

soleant, imo etiam in fororum Supremorum sententiis valde bonum est, si funtamentum sententiae uno, alteroque verbo attingatur, quia novisare volentem valde juvabit, si sciat, quid debeat evertere.

Saepe praeter principalem petitionem, fertur etiam et debet ferri sententia de fructibus, et expensis refundendis, et damno, ac detrimento corporis compensando 31: 1659. Fructus qualiter currant, et quando? vidimus sparsim. In genere notandum, quod malae fidei Poessessor, praecipue admonitus, illos refundere tenetur 2: 71. Imo: si extra Dominium appellans in foro supperrevisorio triumphet, eidem res cum fructibus, medio tempore ab ad adverso perceptis, reexecutione mediante restitui debebit in omnibus Processibus, quia res vero Domino debet fructificare, et damnificatus in illum statum debet reponi, qui fuit ante executionem. Si vero quis appellet intra Dominium, et in foro superrevisorio succumbat, atque per omnia fora convictus fuerit, aeque fructus, et expensas a die appellatae interpositae triumphanti refundet, quod quidem quoad causas in partibus ventilari solitas, a die appellatae Sedrialis sententiae intelligendum 32: 1729. An invalidata, vel seposita ex dolo, vel metu fassione, vel contractus fructus refundi debeant? dubitari potest, quia expressa lex non jubet, praeterea habet titulum possessorii licet invalidabilem, nec potest ita tractari, sicut violentus, quia pecuniam numeravit, quae laeso fructificat; dicunt praeterea non semper esse verum, quod malae fidei possessor absque lege expressa fructus refundat, quia 27: 1ae, admonitionem fuisse praesupponit.

Cir-

Circa expensas aeque sparsim diximus, qui sint illi casus, ubi lex adjudicationem illarum ordinat? de aliis casibus, de quibus nempe lex tacet, notandum: in poenalibus nisi expresse lex jubeat, expensae non sunt adjudicandae (hic tamen usus Comitatuum etiam attendi potest.) In non poenalibus vero absque expressa dispositione legis tantum tunc debent refundi, ubi Judex videt absque ullo fundamento, et prorsus temere, vel vexae studio litigatum esse, quia litigator talis est causa damni sive sit Actor, sive Incattus; verum si Actor sponte sua cedat liti, Incattus non poterit expensas praetendere Nec refunduntur expensae per Incattum, quae vitio Actoris ipsius sunt accumulatae, licet secus ex lege currerent expensae v. gr. male adornavit Processum, ut vel condescendere, vel hinc inde mitti, et remitti debuerit, v. gr. pro uberiore elucubratione etc. vel dolose ipse protraxerit litem, licet in fine triumphaverit etc.

Fructus, et expensae possunt vel in ipso Processu, formali sententia mediante limitari, ac determinari, quod etiam praestat, vel vero ad actum executionis reservari, et tunc per exequentem limitari. Executionales expensae alioquin tunc debent litimari, id est tempore executionis.

Quoad externam formam sententiae adhuc notanda sunt. Quod ferri debeat in pleno Judicio, in Tabula Septem-Virali undecim ad minimum adesse debent Judices. In Tabula Regia novem, in Tabulis Districtualibus ad minus 3. in foro Vice-Comitis Vice-Comes, Judlium et Jurassor, in

fore

foro Judicis Nobilium unus Judlium, et Jurassor, in Civitatibus prout moris est, in Sedibus Dominalibus Judlium cum Jurassore, praeter Praesidem et Convocatos duos, vel plures. In Sedriis non est numerus determinatus. Ordinaria constat ex Vice-Comite, Judlium, et Jurassoribus, et aliquot Tabulae Assessoribus. Nec comparere tenentur Incattus, nisi adsit plenum Judicium, quia tantum in pleno Judicio poterit sententia contumaciae ferri, et pronunciari. Sententia debet ferri de die (excepta sententia contumaciae, quae in foris non fixus noctu potest, et debet ferri.) Debet pronunciari in pleno Judicio, et praesentibus partibus, vel illarum Mandatariis. Ad contumaciae sententiam per non venit latam, sufficit praesentia unius partis. Si ad vota res redeat, ultimus Judicum solet primo dare votum, si paria sint vota, Praesidis votum concludet 31: 1723. Die feriali non potest sententia pronunciari, secus est nulla, et licet se tali sententiae opponere, ut et tali, quae non in pleno Judicio, vel non de die est pronunciata. Sic, non tantum ex inactivitate, et incapacitate, verum etiam ex Incompetentia Judicatus est sententia ipso Jure nulla, et licet se opponere, si manifesta est incompetentia, verum praestat Mandato ante sententiam quidem Judicatus Inhibitorio, post vero latam sententiam talem, aut etiam definitivam per Judicem incompetentem pronunciatam, praecipue si causa extra Dominium est appellabilis, Cassatorio, vel saltem Transmissionali intra Dominium ut, ex motivo illo, quod tales quae-

stio-

stiones subverſentur, quae fori Pedanei activitatem excedunt, aut pro re nata aliis ex motivis. Hic tamen observanda, quae de contumacia dicta sunt quoad Judicatum, quod scilicet sententiae contumaciae per incompetentem Judicem latae non possim me opponere illo fundamento fretus, quod sit nulla, quia si citandi capax fuit, debuissem coram incompetente etiam Judice comparere, et contra Judicatum excipere, si non curavit exceptionem, possum me opponere sententiae definitivae per ipsum latae, et per me appellatae.

Ex his prodit, quid sit sententia ipso Jure nulla, quae in rem Judicatam nunquam abit. Verum sententia, quae non est ipso Jure nulla, verum tantum injusta v. gr. si nocens absolvatur, vel innocens condemnetur, abit in rem judicatam, nisi tempestive, et modo legali, Juridico remedio infringatur. Excipe causas Criminales et Matrimoniales.

Secundo notanda est **Executio**, quae est Actus Judicialis, quod id, quod adjudicatum est, realiter adsignatur triumphanti. Executionem peragit Judex primae instantiae, licet Processus ad fora altiora devenerit, et inde remissus sit, nisi Byrsagia in Curia adnexa fuerint. Quia tunc Judex tabularis exequetur. Si ex Curia Processus pro executione, vel reexecutione remissus est, is cujus interest executionem peragi, exmitti petet Judicem procedentem pro executione. Si causa extra Dominium appellabilis fuit, in aliquibus Comitatibus, sententiam Vice-Comitis Ju-

dex

dex Nobilium cum Jurassore, Judicis Nobilium vero Jurassor solus exequitur. Sententiam Tabulae Regiae Protonotarius, aut aliquis ex Assessoribus exmittendus, Tabularum Districtualium aeque unus exmissus Assessor, Civilis Magistratus sententiam, prout moris est, vel Senator exmissus, vel Capitaneus Civitatis. In Sedibus Dominalibus exmissus e Sede Dominali Officialis Dominalis, requisito ad illum Actum etiam testimonio articulari, id est Judice Nobilium cum Jurassore. Sacrarum Sedium Sententiam Judex secularis penes Compassuales.

Executionis terminus per modum citationis Judicialiter insinuandus est Incatto exequendo, secus poterit se opponere. Si vero lata sententia statim executioni detur, aut in convictiva sententia tempus executioni praefigatur, non est necesse insinuare. Debet executio peragi coram testibus convocatis, ut sit actus solemnis, et eorum nomina in acta debent inferi 2ae, 74. Judex exequens debet exmissionem habere Ulad. 2: 16. 17. verum in causis extra Dominium appellabilibus, in quibus judicandis penes exmissionem processit, potest absque ulteriori exmissione procedere, quia ab initio etiam ad Executionem exmissus est. Etiam ipsam sententiam contumaciae potest Judex exequi in tali causa, in qua cum exmissione processit, si sit extra Dominium appellabilis, secus si absque exmissione processit, causa ad Comitatum reportanda, et exmissio petenda est, licet extra Dominium appellabilis sit causa, eo magis si intra Dominium appel-

appellabilis est. An vero cum exmissione procedens, sententiam contumaciae in tali Processu latam, qui in merito intra Dominium deberet ad Sedriam appellari, exequi possit ante Comitatui faciendam relationem? dubitari potest, favorabilior videtur opinio, referri debere talem Processum ante executionem. Huszti negat, verum non clare, quia non distinguit an cum exmissione, vel sine illa processerit Judex, licet praesupponere jure potuit absque exmissione, praeter querulosum Processum, non procedere.

Debet sententia per exequentem Judicem publicari, id est perlegi, et explicari in facie loci, ubi executio peragitur. Si fundum denominandi facultas convicto competat, nempe in casibus debiti, damni, aut Byrsagialibus, debet ipsi deferri, ut denominet 1723: 32. verum fructuosa, et in pecuniam convertibilia 31: 1659. Si haberet fundum sub Jurisdictione Judicis exequentis, et tamen alibi denominaret, non acceptatur, verum Actore denominante executio peragitur. Si non habeat fundum sub Jurisdictione Judicis procedentis, penes compassuales, et sententiam convictivam alteri Judici transmissam fit executio 2ae, 65. 1723. 32. Compassuales non potest Civitas ad Comitatum mittere, verum Comitatus potest ad Civitates, in caussis debiti, damni, in causis vero bona civilia tangentubis, non habent locum Compassuales, quia quemadmodum bona Nobilitaria civili foro non subsunt, ita nec civilia Nobilitari. Ad reexecutionem remissa per Curiam Causa, Judex non indiget Compassualibus,

quia

quia auctoritate Tabulae Regiae agit. et in quocunque Comitatu sita bona potest reexequi. Potest tamen Processum remissum ad aliorum Comitatuum Judices mittere, qui aeque reexecutionem peragent. Si convictus habeat bona in manibus suis et tamen talem fundum denominaret, qui est apud alium in pignore, hoc non debet acceptari, quia superinscriptio tunc habet locum, quando nullus apud convictum fundus superest. In Byrsagialibus; prout etiam damnis, in defectu paratae pecuniae res mobliles primo debent executioni subjici, juxta verum valorem, si illae non adsint, immobiles 86: 2ae.

Si exequendus bona cum reliquis fratribus indivisa habeat, prius illorum portiones a convicti portione sunt exsciendendae 60. 2ae, sententia intra annum a die latae sententiae debet executioni dari. Si executio vitiosa fuerit v. gr. denominatio non concessa convicto, vel ultra sphaeram actionis est lata sententia, et executio peracta etc. Executus potest se opponere, reoccupare, Actor laesus vero seu triumphans ad correctionem executionis agere, vel Mandato correctorio uti. Si res in specie fuerit in sententia adjudicata, illa debet in executionem sumi, et manet apud victorem, quia ut propria sunt adjudicata. Si vero pro debitis, damnis, byrsagialibus etc. est executio peracta, bona erunt in pignore Judiciali. Nobilitaria quidem quandocunque, civlia vero intra annum, et diem redimenda, mobilia vero, vel nunquam redimuntur, vel vero

non

non nisi intra 15. dies ab executione peracta aut intra terminum per Judicem Exequentem praefixum.

Tertio notanda est Aestimmatio, quae est vel Communis, vel Condigna, vel Perennalis. Communis est quae in titulo 133: iae est expressa. Condigna fit juxta verum rei valorem. Perennalis decies tanta est, quam communis v. gr. una sessio populosa aestimatione communi aestimatur una Marca, 4. fl. faciente; perennali aestimatione vero secundum 133: iae, 40. fl. Communis aestimatio tam in rebus mobilibus, quam immobilibus habet locum, perennalis vero, nonnisi in rebus immobilibus. Communis aestimatio hodie nonnisi ibi adhibetur, ubi lex expresse praecipit, vel contractus ita jubet, quia 95: iae. 27, 1638. condignam, et conscientiosam aestimationem praecipiunt, v. gr. res mobiles tanti aestimandae, quanti emi, et vendi possunt. Fundi immobiles fructuosi, ut agri, vineae, prata aestimantur a proportione proventuum tanti, qualis capitalis interusurium sex per centum in puro lucro important, v. gr. ex fertilliori agro 1100. orgiae ad unum jugerum computantur, ex steriliori 1200. vel plures, et convocati aestimatores interrogandi sub juramento, quot diebus, et pro quali pecunia aratura, seminatura, occatio peragatur, pro seminatura quanti valoris frumentum requiratur, quot cruces procreentur, quantum una crux det, quanti constent messores, trituratores? haec omnia ex procreatione in pecuniam conversae summae subtrahantur, et quod remanet, id erit purum lucrum.

erum. Si tertius annus vacet a feminatura 1/3 adhuc ex data summa fubtrahi debet. Sic quoad prata, quanti possit fenum vendi, quod crescit in uno jugero, quid remaneat fubtractis expensis? idem observandum de vineis, cum in executionem fumuntur. Res, quae per naturam fundo immobili affixae sunt, v. gr. arundo, fylvae etc. pro ratione utilitatis aestimandae. Res per industriam humanam fundo affixae v. gr. aedificia, in reluitoriis, vel invalidatoriis Processibus aestimantur, per artis peritos quidem elevata, et exstructa, aeque per artis peritos sub juramento cum impensarum specifica appositione, v. gr. quot orgias faciat murus, quanti orgia constet? etc. rurali opera facta aedificia vero per rusticos tantum, et Juratos possessionis aestimantur summarie, id est non cum specificatione tam exacta, vineae per possessorem plantatae pro ratione qualitatis, situs, numeri fossorum, qui ad eam colendam requiruntur pro consvetudine loci aestimandae. Exstirpaturae, pro difficultate vel facilitate laboris, prout dumeta densiora, vel rariora fuerint, secundum numerum dierum, quot nempe diebus peragi potuerunt, aestimandae; arbores fructiferae plerumque numerantur, et quid fingillatim pro locorum consvetudinibus valeant, computatur. Si proventus bonorum absque fumptibus possessoris creverunt, hoc aestimari, et refundi non debet; sic, nec medio tempore in conservationem aedificiorum factae expensae veniunt in censum, nec illa materialia, quae ex ipso fundo accepit possessor. Bene vero omnes expensis procuratae meliorationes.

Ae-

Aedificia, aut alia superinvestita, si v. gr. pro debitis etc. fiat executio, non tanti aestimantur, quanti constiterunt, verum tanti, quantum important, aut quanti cum fundo vendi possunt, pro ratione utilitatis, hoc in Civitatibus fit per licitationem.

Haec omnia ex praxi certius, et melius discentur.

Processus ex hac materia sunt:

Primo Executionalis. Executio plerumque peragitur ita, uti descripsimus absque ulla ulteriori levata, et formali allegatione, aut sententia. Verum si res sit paullo intricatior, et multae quaestiones adhuc tempore executionis enasci possint, ne res per mutuos partium clamores, et pertinaciam in longum extrahatur, bene facit triumphans, si levatam suam paratam servat, illamque Judici praesentet, si nefors pars victa difficultates moveat, ut sic omnia in scripto ventilentur, et per Judicem exequentem decidantur. Levatam illam ita apponet: levata est ad executionem „causa T. contra T. Pro triumphante Actore, „producit sententiam, vel Processum, et prae„terea testimoniales super peracta executionis in„sinuatione etc., producere debet praeterea si quid in rem suam habet v. gr. in Processibus divisionalibus, proportionalibus elaborationem quottalitatis, in debiti Processibus elaborationem interusurii, Expensarum etc. sicque fundamento Ulad. D. VI. articuli 1mi. executionem petere. Si quid convicta pars contra habeat, debet illa post comparitionem allegative adducere, et Judex super

eo deliberare, et quod deliberavit, agere. Hic Processus potest etiam moveri, quando Judex, qui sententiam tulit, non potest exequi, vel quod simpliciter non habeat Jus exequendi v. gr. Sedes Spiritualis in rebus secularibus, aut Camera in rebus, quas judicat, vel quod fundus sub Jurisdictione alterius Judicis jaceat, Actio ad executionem ubi necesse est erecta, fundari potest in Ulad. D. 6. art. 1mo. et 29. citatur exequendus, et simul terminus ipsi pro executione praefigitur.

Secundus ad Renovationem Sententiae, si nempe sententia intra annum non fuit executioni data. Renovatio sententiae praecipue pro foris inferioribus potest fieri vel per Mandatum Renovatorio Executionale in 31: 1557. 2ae, 33: 1723. fundatum, vel vero penes Libellum actionalem, seu instantiam in iisdem legibus fundatam, et Exmissionem petentem. Judex exmissus parti convictae terminum pro executione praefiget, tunc sententiam etiam renovabit, atque exequetur. Licet erga Mandatum procedatur, tamen debet executionis terminus insinuari; quia secus Incattus licite opponet. Si alii sint in bonorum adjudicatorum possessorio, non illorum, qui convicti erant, non potest immediate ad executionem procedi, verum illi citari, et convinci debent, et ita deinde executio praefigi. Qui post latam sententiam omne Jus suum in alterum transtulit, non potest ad renovationem agere. An huic Processui, quoad Jus, Litem, vel utrumque praescribatur, id a natura, primaevi processus pendet. Vid. L. 2. de Praescript.

Si

Si congneerationales agant ad renovationem, Actoratum probare debent, non item Actor ipse, vel filius ejus..

Tertius ad Correctionem Executionis. Potest moveri intra 32. annos tam per triumphantem, quam per convictum, cui in actu executionis aliquid praejudicii illatum est, v. gr. non est bene facta aestimatio, vel non est id omne executum, quod adjudicatum est. Correctorio Processu, vel Mandato non quae nulla est, verum defectuosa et erronea executio corrigitur, non ergo v. gr. si triumphans Incattus executioni subjiceretur, is potest via facti reoccupare. Convictus oppositione, vel reoccupatione etiam potuisset uti, si ad correctionem agere potest, non item vice versa. Potest etiam penes Mandatum correctorium a judice Regni Ordinario datum, et Judici primae instantiae, vel Comitatui sonans procedi, Comitatus ad Mandatum exmittet Judicem, qui partem alteram citat ad correctionem executionis, quae semper fit, coram foro primae instantiae, ut renovatio. Actio fundatur in 33: 1723. Probari debet in ipsa executione intervenisse errorem facto Judicis, non facto partium, vel post executionem. Si in sententia fuit error, v. gr. non est adjudicatum id omne, quod Actor petiit, id ad viam novi pertinet. Si vero plus adjudicatum est, vel sententia ambigua est, potest se Incattus opponere, si contra ipsum interpretetur Judex exequens.

Quartus Contra Judices Sententias exequi nolentes. Contra Civitates sententias Sacrae Sedis, quoad poenas temporales, et bona temporalia latas, et medio compassualium transmissas exequi nolentes, actio fundatur in 29: 1662. Desluit coram illo, quem Comitatui exmittere placebit, v. gr. Vice-Comite, vel Judlium. Poena est, quod ex bonis Civitatis peragatur executio, Appellatur ad Sedriam intra, inde extra Dominium. Hoc etiam de aliis Judicibus intelligendum, qui Sacrae Sedis sententias exequi nollent. Si quis vero sententiam fori secularis nolit exequi vigore Ulad. 5: 9. convincitur in 100 fl. coram Tabula Regia in refusione damnorum, et expensarum; 100. fl. dividuntur inter Actorem, et Judicem Tabularem exequentem.

III. De Remediis Juridicis. Quibus nempe errores in Processu commissi emendantur, vel effectus sententiae suspenditur; ex quibus quaedam ante sententiam v. gr. depositio, revocatio Procuratoris; alia post sententiam, v. gr. revocatio Procuratoris, prohibita, Appellata; alia occasione executionis, v. gr. oppositio, repulsio; alia post executionem v. gr. reocuppatio, via novi, alia vero promiscue adhibentur. v. gr. Mandata Judicialia.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Depositione.

Depositio est remedium Juridicum, quo Actor causam suam pendentem vel per se, vel per Plenipotentiarium, vel tantum per Procuratorem cum legalibus oneribus cassat. Hoc remedio ùtendum est, cum poenale foret actionem erexisse, et litem continuare, v. gr. in casibus calumniae, et indebitae. Aut cum non est quidem poenale litigare, estque actioni locus, verum ita est adornata, ut propriae acquisitioni actoreae noceat, verum licet non possit totum probari, quod in actione est, non tamen opus est depositione, si nempe, non sit poenale, et non noceat actori, v. gr. si inactionavi 10. sessiones, et tantum quoad 5. possum probare, non est necesse depositione uti, verum si volo, possum quoad 5. illas praetensioni cedere. Si actio tota deponatur, ruit Processus totus. Si partem tantum actionis velit quis deponere, hoc ita debet, et potest fieri, ut sensus maneat integer. Potest depositio fieri etiam quoad aliquot vocabula, sed si substantiam actionis tangant, v. gr. gradus genealogicus sit in actione erronee positus, tota actio deponenda est; non enim admittitur talis partis depositio, quae ipsum fundamentum actionis afficit. In ipso limine Processus, id est in Levata quoque potest generaliter deponi id omne, quod velut antiquius factum actioni modernae obsistere posset, v. gr. si nefors jam

CAPUT XV.

De Revocatione Procuratoris.

Revocatio Procuratoris est remedium Juridicum, quo quispiam praeter consensum suum per Procuratorem erronee dicta, et facta, suo modo retractat. Judicialis revocatio debet fieri per praesentem coram Judice sive ipsum Principalem, sive Plenipotentiarium ejus. Quod cum scitu ipsius Principalis, vel Plenipotentiarii est in Processum inductum, id non potest revocari, verum Procuratoris omnia dicta et facta possunt, etiam ipsa Literalia instrumenta per eum absfors intempestive producta, quae tamen per id vim suam non amittunt. Revocatio habet locum in eodem Processu toties quoties, quia lex numerum non defigit, et quidem in omnibus Processibus, praeter Actus Majoris Potentiae, aut illos, in quibus Juridica remedia lege, vel contractu praescissa sunt. Allegationes revocatae statim nova allegatione suppleri debent, nec possunt tales allegationes iterum in Processum induci, nisi propterea sit revocatus Procurator, quod depulsoria media, id est exceptiva neglexerit, et se incaute in meritum immiserit, quia talis meritoria defensa licet revocata iterum adhiberi poterit 39: 1729. Si vel unam exceptionem neglexerit Procurator, potest revocari, qui tamen ob quamcunque rationem revocatus, absque ulteriori constitutione in eodem Processu allegare permittitur.

Ut

Ut tempus revocationis sciri possit, sciendum est alias causas brevis litis, alias vero longae litis esse. Brevis litis sunt causa omnes in foris Pedaneis tractari solitae. In Tabula Regia moveri solitae, aliae sunt brevis litis, aliae longae litis. Longae litis sunt omnes Juris Processus lato sensu ita dicti, id est in quibus privilegii discussio subversatur, qui sint illi, vidimus sparsim. Praeterea longae litis sunt invalidatorii ex praejudicio, brevis litis sunt invalidatorii ex non facta praemonitione, ut omnes reliqui.

Cum adhuc octavalia Judicia vigebant, quaedam causae uno, quaedam vero pluribus terminis octavalibus debebant decid, et hinc orta est distinctio inter brevis, et longae litis Processus, prout nempe uno, vel pluribus, et ad summum quatuor terminis definiebantur. Licet vero jam Tabula Regia fixum et stabile forum sit, adeoque octavales termini cessaverint, et una quaeque lis tot terminos habeat, quot terminis Judicialibus finiri possit, tamen longae litis causae hucdum plurium terminorum esse dicuntur, sub nomine autem talium terminorum non tempus illud, quod inter duo Juristitia intercedit, et quod terminus Judiciorum vocatur, verum variae Processus periodi intelliguntur, scilicet: fundamentalis Processus vocatur primus causae terminus, repulsionalis Ulterior, Novum vero Ultimus. In fundamentali, et repulsionali, Processus in anterioribus, in Novo vero in ultimo termino verti dicitur. Brevis litis Processus tales terminos non habent, licet enim etiam in illis liceat novisare,

adeo-

deoque nova convicto argumenta adferre. hoc tamen in talibus Processibus nonnisi post executionem fit, adeoque licet convictus executionem non admittat, verum se opponat, in oppositionali Processu tamen nova argumenta ad meritum causae pertinentia adferre non potest, verum oppositionis rationem ex formalitatis tantum vitio debet, et potest dare, quam si non dederit, in poena oppositionis convincitur, si vero dederit absolvitur quidem a poena, verum prior sententia executioni datur, et nonnisi extra Dominium poterit via novi illam evertere, in longae litis Processu vero, si convictus executionem non admittat, atque adeo repellat, in repulsionali Processu potest se in merito defendere, atque ita dicendo intra Dominium novisare, salva adhuc extra Dominum novo utendi facultate eidem permanente.

His praemissis observandum 1mo, Ante sententiam definitivam semper admittitur revocatio, sive sit causa brevis, sive longae litis, sive versetur longae litis causa in anterioribus, sive in ultimo termino, sive allegationes ejusdem termini revocentur, in quo actu Processus decurrit, sive priorum terminorum, 2do, Post sentenitiam definitivam vero, alia est ratio longae litis, alia brevis litis Processuum, horum autem iterum alia ratio est coram foris Pedaneis, alia coram Tabula Regia verti solitorum, nempe in brevis litis Processibus coram foris Pedaneis verti solitis, post definitivam sententiam, nonnisi in novo admittitur revocatio allegationum fundamentalis Processus,

in

in Tabularibus brevis litis vero penes prohibitam, et in novo. In longae litis Processibus autem, in anterioribus, etiam post sententiam definitivam admittitur penes prohibitam, in ultimo termino vero post sententiam definitivam non admittitur 39: 1729. nisi fors in anterioribus prohibita adhuc bis non sit interposita, adeoque in ultimo termino interponatur, quia sic revocatio admitti posse videtur. 3tio. In novo solus novisans potest allegata fundamentalis Processus revocare, non novisatus, quia novisans utitur novo. Verum novi allegata etiam novisatus potest revocare. 4to. Si quis levatam vel comparitionem vult revocare, hoc eadem die debet facere, quia secus alia levata, vel comparitio adornari non poterit.

Onus revocationis est vel majus, vel minus. Onus majus est 200 fl. Onus minus est coram Tabulis 6 fl. coram Comitatibus, et civitatibus vero 3 florenorum, nisi in Civitatibus quibusdam aliter esset in praxi 3ae, 11.

Judicialia acta Procuratoris in regula, cum minori onere revocantur, cujus 1/3 adversae parti, 2/3 Judici cedunt, si contra pars allegative admonita ratam suam levare nolit, etiam illa cedit Judici, 3ae, 6. Si quis vero in fundamentali convictus, in repulsionali aeque per omnia fora convincatur, et cum gratia novisét, nonnisi cum majori onere poterit revocare. 80: 1ae, dicitur, quod si die latae sententiae fiat revocatio, hoc absque omni onere fiat, verum usus contrarium obtinet; quia deponi debet minus onus; ibidem dicitur,

quod

quod post sententiam latam ultima Judiciorum die, aut in sequentibus octavis, vel brevibus cum 200 fl. fiat revocatio, in hujus legis locum cessantibus jam alioquin octavalibus terminis 39us. 1729. hoc substituit, ut si post sententiam latam facto partium extrahatur causa in sequentem terminum Judiciorum, et nullo Juridico remedio sistatur executio, reuocatio aeque cum 200 fl. fiat. Verum hoc vix alio in casu fieri potest, quam illo, quem supra in via novi cum gratia diximus, licet aliqui censeant eandem esse rationem etiam novi simplicis, cum nec ibi sit adhibitum, et saepe nec potuit adhiberi ullum Juridcium remedium, quod executionem stitisset, et quidem de omni novo sive brevis litis, sive Tabularium, sive Comitatensium Processuum hoc intelligunt, verum probabilius videtur in novo simplici cum minori onere posse revocari.

Extrajudicialia acta Procuratoris semper cum majori onere revocantur 2ae, 81. et quidem coram loco credibili. Verum talis contradictio, et revocatio tantum Jus sustentat, nec factum Advocati annulat, quia illud adhuc Processu debebit invalidari, argumento 1ae, 60, 61, 128. 2ae, 11, 12.

CAPUT

CAPUT XVI.

De Prohibita.

Prohibita est remedium Juridicum, quo pars succumbens sententiam in Processu Tabulari latam executioni dari vetat, ne nempe per novum Judicium debeat remedium quaerere. Prohibitae ratio statim dari debet per prohibentem, id est: nova argumenta sententiam evertentia debent induci, secus prohibita non stat, et sententia manet. Adhiberi potest sive sit sententia ex merito, sive ex Contumacia lata, sive sit interlocutoria. Sed ad exceptiva non dat regressum, nisi revocatio accesserit. Adhiberi potest in eodem negotio bis sub decursu totius Processus, non autem quoad singulum causae terminum v. gr. si quis in fundamentali Processu bis prohibuit, jam in repulsionali non poterit prohibere. Prima absque ullo onere interponitur, secunda cum onere 6. florenorum in 1/3 adversae parti, in 2/3 vero Judici, id est referenti Protonotario cedentium. Si ideo absolvatur Incattus, quod Actor causam non est prosecutus, tum prohibita ipsi non opitulatur, sed de novo citare debet Incattum. Prohibita eodem die debet interponi, quo sententia lata est, ratio vero prohibitae sequentibus diebus poterit dari. Etiam ultimis 6. termini Judicialis potest prohibita interponi, si sententia illis diebus feratur; praxis eatenus articulo 38: 1729. derogavit.

CAPUT

CAPUT XVII.

De Appellata.

Appellatio est Juridicum remedium, quo, per sententiam inferioris Judicis gravatus, causam pro maturiori discussione ad superiorem Judicem provocat, ac transmitti, vel referri postulat. Qui ergo facto proprio gravatur, v. gr. in contumacia, mere per non venit convictus, non potest appellare, vel qui contractu renunciavit appellatae, quia si tantum in genere Juridicis remediis renunciavit, non censentur appellatae extra Dominium persequendae renunciasse 729 : 28. hoc idem sentiendum de casibus, in quibus Juridica remedia in genere tantum sunt praescissa, nisi expresse appellata praescindatur. Nec ab interlocutoria sententia licet appellare, excipiendo ea, quae alias de Processu Impensionali, actione quando nempe quis ab illa simpliciter amovetur) Actoratus, et juramenti incompetentia diximus. Tamen qualiscunque licet mere interlocutoria sententia feratur, si sit disfavorabilis, pro appellata declarari, vel saltem appellandi, aut id, quod Juris est, faciendi facultas reservari solet, eo quod post finalem causae decisionem, et transmissionem, forum revisorium magis in attentionem sumet sententiam, imo cum saepe fieri possit, quod utraque pars appellare possit, si convictus appellet, triumphans vero non appellet, interim forum revisorium videat triumphanti per forum inferius non totum id esse adjudicatum, quod ipsi Jure debebatur,

batur, tamen si appellare intermisit, nulla illius ratio habebitur, verum sententia in suo esse relinquitur, quia renunciasse censetur. Non possunt appellari causae ex Curia Regia ad executionem duntaxat remissae, licet nova byrsagia ibidem fuissent adjecta. Item ille, qui causam suam ad Curiam Regiam appellat, et ibi etiam amittit, et novisando iterum succumbat, a primae instantiae Judice non potest appellare. Idem tenendum de illo, qui in Processu Tabulari in utraque Tabula succumbit, et cum gratia novisset, verbo de omni illo, ad cujus instantiam jam causa totam Curiam peragraverit. Attestari nolentes, si in 64. florenis convincuntur, aeque non possunt appellare. Neque causae juramento sive necessario, sive voluntario secundum juramentum, et intra fines illius, aut transactione terminata, vel secundum propriam alicujus confessionem decisae admittunt appellatam.

Novum, et appellata sunt diversa, et incompatibilia remedia, quibus una eadem vice nemo potest uti, potest tamen quis appellatae renunciare, et novisare, sed si non appellavit, aut appellavit quidem, verum illi renunciavit, atque novisavit, non potest a novo recedere, et fundamentalem Processum revideri facere. Appellata debet ipsa die latae sententiae interponi: verum si quis prohibitam interposuit, potest illi renunciare, et tardius Appellatam interponere. Si quis non appellat tempestive, vel appellet quidem, verum appellatam non prosequatur, abit sententia

in

in rem judicatam. Hinc Processus ex partibus ad Sedriam intra Dominium relatus, si vitio appellantis intra annum non revideatur, abit in rem judicatam, executioni datur, aliud est si ob publica negotia, et eorum multitudinem, ut plerumque fit, non possit revideri. Si quis vero intra Dominium a Sedria appellet, et transmittatur processus, atque intra 3. menses non prosequatur Appellatam, et non curet triumphantem ad Tabulam Regiam citari, aut adveniente termino non levat causam suam appellatam, sive levet incattus id est triumphans ex paribus, sive non, sententia alia nulla fertur, verum ad petitionem triumphantis Processus pro executione remittitur. In Civitatibus intra 6. septimanas debet appellans Mandatum Praeceptorio transmissionale a Tavernico exoperari, et illud aeque intra 6 septimanas a die emanationis Mandati Senatui praesentare, sicque Processum suum transmitti petere, quod quidem nonnisi in causis circa haereditates motis, aut in debitis supra 60 fl. admittitur, quia alii Processus in Civitatibus inappellabiles sunt vigore articuli XI. Tavernicalis. Ex Sede vero Tavernicali ad Curiam transmittitur. Ex partibus vel a Sede Dominali referri dicitur Processus ad Sedriam, et hoc fit in originali. A Sedria, Tabulis item Districtualibus ad Tabulam Regiam transmitti dicitur, id est totus Processus describitur cum omnibus documentis de verbo ad verbum, et cum brevi praeambulo ad Suam Majestatem directo, atque cum brevi clausula cum Lecta et Extradata, et nefors correctura Notariali, Sigillo Comitatus

muni-

munitus, mittitur ad Tabulam Regiam. Ex Tabula Regia ad Tabulam Septem-Viralem referri dicitur, et hoc fit absque expeditione, et levata, quia revera illa duo fora constituunt unum corpus, unde Tabula Septem-Viralis neque sigillum habet, verum sententiae illius per Personalem extradantur.

Causae criminales praecipue publicorum, et manifestorum malefactorum hactenus in regula inappellabiles erant 30: 1729. et si quae appellari poterant, appellandi tamen facultas solis Nobilibus competebat; juxta legem vero recentiorem utpote 43: 1791. etiam Ignobilibus, aeque ac Nobilibus a sententia capitali, aut illi aequivalente trium annorum, vel centum baculorum, aut scuticarum ad semel infligendarum poena directe ad Tabulam Regiam, ab omnibus Jurisdictionibus Jure gladii gaudentibus appellandi facultas admissa est, a Tabula Regia vero ad Septem-Viralem nonnisi in casu ferendae per Tabulam Regiam capitalis sententiae competit, non tantum, verum omnis capitalis sententia, vel invito condemnato, sua natura semper est appellata, nec abit in rem judicatam.

Appellata a Judicibus oppidorum privilegiatorum pergit ad Sedem Dominalem, vel vero ad Comitatum, prout privilegium, et usus est. A Civitatibus ad Tavernicum, vel Personalem, a Vice-Comitibus, et Judlium, ad Sedriam, ex qua procedentes in partibus Judices tempore revisionis causae, in qua in Partibus judicarunt, exesse debent. A Sedria praeter Urbariales, et Nobili-

tares Consilio Locumentiali submittendas, ad Curiam Regiam, a Tabulis Districtualibus aeque ad Curiam. In Croatia ad Sedriam ita, ut apud nos, a Sedriis vero et Tabula Judiciaria ad Banalem, a Banali, licet illa etiam Juris Processus judicet, ad Tabulam Regiam, inde ad Septem-Viratum appellatur.

Incattus succumbens in causis, quae 28vo 1729. non comprehenduntur, per totum intra Dominium appellat, id est, licet convincatur, tamen si appellaverit, ante revisionem fororum superiorum executioni non subjicitur, verum tunc, si in foris superioribus approbata fuerit sententia. In illis vero, quae in 28, 1729. comprehenduntur, et in sequenti 29no non attinguntur, semper extra Dominium, quae vero ibi attinguntur, a primae instantiae Judice ad Sedriam intra, a Sedria extra Dominium appellat. A Tabula Regia omnes Processus intra Dominium appellantur ad Septemviratum. A Sedibus Dominalibus ita appellantur causae, ut ab aliis foris ejusdem speciei causae appellari solent. Quoad tales causas vero, quae nonnisi coram Sede Dominali verti solent, id respiciendum, an contineantur in 28vo, 29no, 1729, vel non? qualiter in Croatia, et ex Croatia appellationes procedant, 31mo, 1729. 58vo, 1741. recensetur.

Appellata praesupponit sententiam, quae injusta quidem esse praetenditur, et fors etiam est, verum non est ipso Jure nulla, quia si sententia ipso Jure nulla sit, praecipue si extra Dominium est appellabilis causa ad Tabulam Regiam,

giam, vel Mandato Cassatorio, vel oppositione uti licet. Injusta sententia est, quae legali modo est quidem quoad formam externam lata, verum interne vitiosa. Nulla sententia est, quae quoad formam externam vitio laborat, uti alias vidimus, v. gr. absque praevia citatione, vel non in pleno Judicio, non de die verum noctu, vel per Judicem inactivum, et incapacem, aut (praeter sententiam contumaciae) per incompetentem, aut die feriali, etc. lata est, licet quoad fundamentum et meritum justa, et secundum leges sit, id est absolverit, vel convicerit illum, quem debuit.

CAPUT XVIII.

De Oppositione.

Oppositio est Juridicum remedium, quo exequendus Judiciariam executionem sententiae brevis litis violento quodam facto interturbat. In brevis litis Processibus ante executionem non potest succumbens nova argumenta adferre, aut alios errores in Processu commissos resanare, licet appellare possit: hinc quamvis executionem non admittat, et oppositionem interponat, oppositionalis tamen Processus non constituet causae terminum, id est non admittitur in regula, ut meritorie se defendat Incattus, et in fundamentali neglecta argumenta adferre possit, verum nonnisi ex formalitate aliqua debet rationes oppositionis, dare,

ſententiam vero fundamentalem, vel Appellata, vel novo debet opponens emendari curare. Hinc pro Juridico remedio, tali, prout eſt repulſio, haberi non poteſt, verum tantum pro defenſa naturali. In antiquioribus legibus venit quidem ſub nomine repulſionis, verum recentioribus legibus 33tio, 34. 1729. diſtingui cepit a repulſione proprie dicta, quae in longae litis Proceſſibus locum habet, et terminum cauſae ulteriorem conſtituit.

Oppoſitio competit ſuccumbenti, et exequendo, hinc ſi Actor per reconventionem, aut aliter convincatur, poteſt etiam oppoſitione uti. Tantum tunc debet acceptari oppoſitio, ſi ſit ad defenſionem bonorum adhibita, quae nempe Judex exequi vult. Hinc ſi ſententia perſonam feriat (v. gr. in criminalibus) non acceptatur oppoſitio. Aliud eſſet, ſi vel citatio, vel convictio nulla praeceſſiſſet, et Nobilem extra caſus alias dictos vellet ſeu Judex, ſeu quiscunque comprehendere, quia talis poſſet ſe pro viribus defendere, et reſiſtere, quia nec in perſona, nec in rebus poteſt laedi, absque citatione, et convictione.

Neque in Civitatibus, Oppidis et ſedibus Dominalibus acceptatur oppoſitio, verum ſententia brachio, id eſt vi mediante executioni datur, nec opponere volens, aut reſiſtens punitur, quia leges de oppoſitione ſonantes tantum de foris Nobilitaribus, v. gr. Tabula Regia, Diſtrictuali, foro Comitatenſi ſonant. Quaeri poteſt an Ignobilis Libertinus foro Comitatenſi convictus poſſit ſe opponere? ob defectum formalitatem v. gr. citationis vitioſitatem

etc.

etc. non videtur se opponere posse, quia contra ipsos summario modo procedi potest, verum si in re, vel persona error subversetur, Ignobilis etiam se opponere posse videtur, ob nullitatis vero vitium Mandato debet uti.

Oppositio fit in ipsa facie loci, ubi executionem Judex peragere vult, per declarationem quod se quis opponat, et simul per ostentationem alicujus instrumenti ad vim inferendam apti, v. gr. baculi, aut gladii, saltem ad speciem factam, aut alio facto minaci ad resistendum comparato, absque tamen tumultu, et absque gentibus Ulad. 4: 19: 729. 33, id est: opponens non debet irruere cum suis hominibus in Judicem, sub amissione causae, aut ante tempus vim adhibere, et turbas concitare. Si plures portiones fund adjudicatae, ubique tentari debet executio, licet oppositionem I. in genere interponat, et ad omnes portiones extendat, verum si in capite bonorum est tentata executio, et ibi oppositio facta est, illa ad accessoria etiam extendi potest, nec est necesse ad faciem appertinentiarium exire.

Processus sunt:

Primo: Ad dandam rationem Oppositionis. Intra 32 annos movetur. Uti executio sententiae per forum revisorium latae ad primae instantiae Judicem pertinet; ita etiam oppositionis discussio ad primae instantiae Judicem, id est ad illum, qui in fundamentali Judex fuit, spectat, quia ille executionem peragere voluit, ergo illius auctoritas est laesa, licet fori altioris sententiam volebat exequi, ergo eo magis, si suam volebat. Actio

op-

oppositionalis fundatur in 33, 34, 729. Ad Actoratum consequendum probari debet executionem legitime intentatam, et per succumbentem ipsum, aut illius Plenipotentiarium, aut saltem Commissionatum impeditam, vel inchoatam quidem, sed turbatam esse. Hoc probabitur per testimoniales Judicis exequentis, aut relatorias illius, in quibus alioquin etiam convocatorum, qua testium nomina inserta sunt. In merito agetur de eo, an ratio oppositionis (quam Incattus adsignare debet) sit rationabilis, et legalis? legales rationes sunt hae:

1. Si quis non citatus convincatur, vel non sit convictus, et tamen executio contra ipsum dirigatur. Verum talis probare debet, se ante finalem sententiam, qua nempe bona illa triumphanti adjudicata sunt, in possessorio fuisse, quia si in possessorio fuit, citari debuisset ad litem, si vero post finalem sententiam ante tamen executionem ingressus est bona, tunc ille punietur in poena oppositionis, qui in ipsum transtulit, quia dolose egit. Si bona indivisa sint, et non citatus se opponat, debet restringere ad suam portionem, secus in poena oppositionis convincitur.

2. Si Judex executionem ad talia bona dirigat, ad quae sententia lata non est; non potuit autem ferri, nisi quoad illa, quae Processui Judiciario inclusa erant, licet sit sententia contumaciae 33; 1729. Sic: subsistit oppositio, si Curiam, vel sessionem aliquam adjudicatam exequatur Judex, et aliquem fundum praeterea, velut appertinen-

tinentiam sessionis, de quo tamen in Processu nihil est actum, velit exequi, quia tempore executionis dijudicari non potest, an sit appertinentia illius sessionis vel non.

3. Si quis appellavit causam, ex lege evidenter intra Dominium appellabilem, et tamen Judex exequi velit, nec admittat appellatam intra Dominium, aut si Mandatum transmissionale attulerit Incattus, quo nempe intra Dominium transmitti jubetur Processus. Item per non defendit convictus si appellavit, et causa intra Dominium sit appellabilis, licite opponet.

4. Si evidenter incompetens Judex non attenta exceptione Judicatus, sibi Judicatum stabilivit, et Incattus convictus causam in merito appellavit, quia secus consensisse praesumitur 715 : 19. His legalibus rationibus analogae, et ad has reducibiles rationes adhuc adnectuntur.

5. Si facultas fundum denominandi convicto denegata est, licet sit sententia contumaciae, vel denominatio quidem illi admissa, verum fundo per illum denominato non contentus Actor, alium exequi voluit, convictus autem se opposuit, in hoc casu in oppositionali Processu hoc discutietur, an fundus per convictum denominatus sufficiens fuerit, v. gr. an chartabiancae in debiti Processu per illum pro fundo assignatae, aut pecunia apud debitorem convicti existens, aut apud alium deposita sufficiens et exigibilis sit?

6. Si Judex exceptionem contra citationem v. gr. propter termini insufficientiam, (quia in Jure idem est non esse, et vitiose esse) aut con-

tra Levatam, etc. interpositam non curaverit, quod aeque in oppositionali Processu dijudicabitur, an fundata fuerit exceptio vel non.

7 Si quis non coram illo Judice conveniatur, qui in contractu expresse positus est. Aut si debitum per duos contractum, in uno desumere velint totum.

8. Si a juramenti impositione non admisit Judex Appellatam, licet deinde per Tabulam Regiam Juramentum Jure impositum fuisse adinveniatur.

9. Si sententia sit obscura, confusa, et adjudicatio non sit in specifico, ubi ita debuisset fieri.

10. Si non sit tempus datum ad justam defensam, non est itaque impossibile ut meritum causae tangat oppositionis ratio, sed tamen semper in procedurae vitio radicata.

11. Si Judex exequens non habeat sententiam v. gr. Sententionales Tabulae Regiae rite expeditas, vel exmissionem; et hoc etiam tunc quando quis ex contumacia est convictus.

12. Si id, quod convicto adjudicatum est v. gr. refusionem, et exsolutionem investitutarum, nolit exequens Judex audire, vel Actor refundere.

13. Si aestimandorum aestimatio non sit peracta.

14. Si Executionis terminus non sit insinuatus tempestive, et Judicialiter, licet sit sententia contumaciae: Verum si praefixa, et insinuata executionis die exequendus nullum fundum denomi-

net,

net, et Judex sequenti die nefors in aliis convicti bonis velit executionem peragere, et illi se opponat, non erit sufficiens ratio oppositionis, quod Executio iterum non sit insinuata, uti nec ille, qui sententiae contumaciae se opponit, potest pro ratione oppositionis impracticabilitatem comparitionis obvertere, quia Mandato debuisset uti.

15. Absolvitur opponens a poena oppositionis, si Judicis in causa procedentis interessentia clare provideriț.

Poena oppositionis, si legalis ratio non adsignetur, est 200 florenorum, in una Actori, in duabus vero partibus Judici cedentium; damnorum, et expensarum, ac fructuum a die interpositae oppositionis refusio 31 : 681. 16, 1792. quae omnia una cum sententia fundamentalis Processus executioni dantur. Imo licet quis in fundamentali Processu per forum revisorium absolvatur, tamen si rationem oppositionis non dederit, in 200 fl. convincitur, non item in fructibus, quia etiam si Executioni subjectus fuisset, post latam in oppositionali convictivam sententiam, atque extra Dominium appellasset, tamen, si per forum revisorium in merito absolveretur reexecutio cum fructibus si non ante saltem post terminatum oppositionalem perceptis deberet peragi. 16: 1792. E contra, licet in merito fundamentalis Processus etiam per forum revisorium condemnetur, tamen potest absolvi a poena brachiali, id est a poena oppositionis, si rationem det. Quia hic duo subversantur, nempe rei, propter quam

in fundamentali litigatum est, acquisitio, et byrsagii desumptio, ergo ruente uno, stare potest aliud. Si quis illam rationem oppositionis det, quod sententia ipso Jure nulla fuerit (quod quando fit? vidimus alias) haec ratio sufficit non tantum ad effugiendam poenam oppositionis, verum etiam ad rem adhuc retinendam; alia vero, licet a poena liberet, tamen ad rem illam retinendam, quae in fundamentali Processu abjudicata est, sola non sufficit, nisi sententiam fundamentalis Processus velut injustam appellatorium forum reformet, quod potest fieri etiam si in poena oppositionis convincatur, vel vero, ratio oppositionis meritum rei tangens, sed tamen in procedurae vitio radicata, v. gr. praecipitantia Judicis etc. adsignetur, et meritoria, ad absolvendum nefors sufficiens defensa, inducatur in oppositionali Processu. Si plurium nomine intuitu communis Juris interponatur oppositio, una tantum poena currit. In Processu oppositionali fundamentalem Processum expediri, hoc est describi, et sub autentico extradari curare, et Processui oppositionali in forma instrumenti annectere debet Actor, absque tali expedito et annexo Processu nec revidetur oppositionalis per Tabulam Regiam. Fundamentalis vero sententia, nisi opponens illam appellavit, prorsus in considerationem non sumitur. Omnis qui in fundamentali habuit Actoratum, habet etiam ad poenas oppositionales, v. gr. Ignobiles ex contractu contra Nobilem. Quia hic magis vindicatur Judiciariae auctoritatis laesio, quam Actoris. Ex Tabulis Di-

ſtrictualibus ob non admiſſam intra Dominium Appellatam factus oppoſitionalis Proceſſus, absque Sententia, ad Tabulam Regiam transmittitur, et ibi cum fundamentali acceſſorie revidetur, atque ſecuta convictione ad Tabulam Diſtrictualem pro executione remittitur, quia non poteſt praeſumi, quod Judex, qui in fundamentali Appellatam intra Dominium non admiſit, illam rationem oppoſitionis pro ſufficienti, et legali agnoſcat 34: 1729. ubi §. 4to hoc: Evidenter: inane eſſe videtur, quia dicitur paulo poſt, quod Tabula Regia dictabit poenam oppoſitionis, ſi ratio non data fuerit, atqui ſi evidenter intra Dominium appellabilis fuit cauſa, Tabula Regia oppoſitionis poenam non dictabit. Hoc quidem nonniſi quoad Tabulas Diſtrictuales, et Judicariam Croaticam diſponit lex, verum etiam in aliis foris ob identitatem rationis, ſaltem Mandato intra Dominium transmiſſionali, tam quoad fundamentalem, quam oppoſitionalem locum eſſe cenſeo, tunc nempe cum propter appellatam intra Dominium denegatam facta eſt oppoſitio. Licet vero propter aliam rationem eſt interpoſita, raro tamen accidit, ut aliquid tale non interveniat, quod Mandato transmiſſionali quoad utrumque Proceſſum locum faciat. Si nihil tale eſt, fundamentalis Proceſſus executioni debet dari argumento etiam 16: 1792. ubi reformata neſors per forum reviſorium ſententia, reexecutio cum fructibus ordinatur. Ergo executio peracta eſſe praeſupponitur, ſaltem quoad fundamentalem. Idem prodit ex 34: 1729. ubi non data ſufficienti oppoſitionis ratione, executio

per

per forum primae instantiae iterum intentanda disponitur. Caeterum observandum, interposita oppositione nec novisare, nec Mandato transmissionali posse opponentem uti, verum prius ad dandam oppositionis rationem citatur, tandem extra Dominium novisare potest.

Secundus Processus est contra illum, qui non attenta oppositione bona occupaverit. Actio fundatur in Ulad. D. 4. art. 19. 33. 1729. probari debet oppositionem intercessisse. Poena est amissio causae perpetua, et bonorum illorum, quae occupavit, licet firmum Jus habuerit ad illa. Hinc oppositio, etiam si illegalis videatur, acceptari debet, modo fiat per actualem fundi exequendi possessorem. Si is se opponet, qui non est in possessorio, non debet acceptari, potest executio peragi. Ubi lege Juridica remedia praescissa sunt, ibi nec possessoris convicti oppositio acceptari debet, ut nec illius oppositio, qui contractu Juridicis remediis renunciavit. Verum si acceptetur, fructus refundet, praeterea punietur opponens. Si debitor praeter bona cum fratribus indivisa nihil habeat, occasione executionis sequestrari debet portio convicti a reliquorum portionibus, si non permittant aliqui fratres, declarare debent, an quoad convicti portionem etiam resistant, quia ita acceptari debebit, et citari debent. Praestat tales ad fundamentalem litem, ut in illa stent, una cum debitore citare, quoniam in possessorio sunt fundi illius, qui creditori obnoxius est. Si hoc praetermissum est, saltem executio illis etiam insinuari debebat.

Ter-

Tertius Processus est contra illos, qui secundaria vice opponunt. Movetur coram Tabula Regia fundatur in 34: 1729 poena est, quae Actus Majoris Potentiae. Si quis tertia etiam vice se opponere velit, cum brachio peragitur executio, cum gentibus, viris nempe armatis, penes Mandatum brachiale a Rege interpretandum. In hoc Processu etiam commune Jus foventes singillative puniuntur, si rationem non dent binariae oppositionis. Rationes eaedem possunt dari, quae in prima oppositione. Nobilitatis edoctio non requiritur, quia non tam Actoris, quam Judiciariae auctoritatis laesio subversatur. Si secundaria vice alter opponat, qui non opposuit prima vice, neuter punitur in poena Majoris Potentiae, verum in 200 floren. Ex talibus possessoribus, qui non sunt citati ad litem fundamentalem, potest unus primam, alter secundam executionem impune impedire. Si quis in violentiali, aut alio processu convictus secundario opponet, sententia prior ex tota massa; Sententia vero Actus Majoris Potentiae ex bonis solum Incattum concernentibus executioni datur, licet 68: 2dae innuere videatur, quod nec propter minorem potentiam amittat quis portiones filiorum indivisorum, quod tamen hodie non attenditur.

CAPUT

CAPUT XIX.

De Repulsione.

Repulsio est remedium Juridicum, quo exequendus executionem sententiae Judiciariae in longe litis Processu in anterioribus latae non admittit, vel interturbat. Repulsio itaque fit in causis longae litis, verum si Actor in fundamentali Processu, qui secus brevis litis erat, ad disquisitionem Juris se immiserit sponte sua, habet locum repulsio, id est, evasit causa longae litis, atque si convictus executionem turbet, novo poterit uti intra Dominum, id est in Processu illo, quo ob turbationem executionis conventus est, poterit se ex merito defendere, et fundamentalis Processus sententiam novis argumentis evertere, hinc qui executionem turbat in longae litis Processu, non tantum illud beneficium habet, quod rationes illas possit adferre turbatae executionis, quas in brevis litis Processu opponens adferre potest, verum praeterea etiam nova argumenta, quia repulsio praeterquam quod ipsam oppositionem in se complectatur, causae terminum etiam constituit, quod oppositioni non competit. Ergo repulsio non tantum est defensa naturalis, verum etiam Juridicum remedium stricte tale, penes quod etiam allegationes fundamentalis Processus revocari possunt, secus ac penes oppositionem.

Re-

Repulsio tantum in anterioribus, id est Terminis admittitur, anterior terminus quoad admittendam repulsionem est tantum fundamentalis Processus, (secus ac de revocatione diximus; quia quoad revocationem etiam repulsionis Processus, est anterior causae terminus) quod vero in plurali dicat lex: Anterioribus, haec est ratio, quia aliqui prohibitam etiam pro termino processus habent, ergo vult dicere lex, quod etiam post prohibitam in fundamentali interpositam admittatur, imo etiam post appellatam ad Septemviratum repulsione, id est novo intra Dominium uti. In ulterioribus vero, aut ultimo termino non admittitur repulsio, id est finito repulsionali Processu, potest quidem pars convicta secundaria vice repellere, verum non jam etiam ex merito rei, verum talem rationem dare debet, qualem in brevis litis Processu oppositionis rationem dare deberet; secundaria enim repulsio reducitur ad secundariam oppositionem quia novum intra Dominium, longae litis Processibus etiam, nonnisi semel competit, seu quod idem est, in repulsionali Processu repulsio non admittitur, verum oppositio, verbo: repulsionalis Processus est brevis litis Processus, hinc secundaria repulsio non est causae terminus.

Repulsio eodem modo interponitur, uti oppositio, nisi quod oppositio in ipsa facie loci debeat fieri; repulsio vero potest vel in ipsa facie loci, vel vero ita, ut nec ad locum executionis, ad faciem nempe rei exequendae, admittatur Judex.

Pro-

Processus repulsionalis defluit coram Tabula Regia, quia illi Processus, in quibus repulsio habet locum, sunt mere Tabulares. Actio fundatur in 33: 1729. 73, aae. Probari debet repulsionem intervenisse. Meritum Processus repusionalis est idem, quod fundamentalis, quia sapit novum intra Dominium, verum cum repulsio etiam oppositionem in se comprehendat, in merito repulsionalis Processus possunt eaedem rationes etiam assignari, quae in oppositionali. Hinc si in repulsionali evertatur fundamentum sententiae fundamentalis Processus, absolvitur Incattus repellens etiam a poena repulsionis, licet rationes non assignet, quas in oppositionali deberet; pariter si non evertat quidem illam, verum tales rationes possit dare, quales in oppositionali diximus, aeque absolvitur a poena repulsionis, verum fundamentalis Processus sententia executioni datur. Repulsio etiam post latam per Septemviratum sententiam locum habet, quia fictione Juris retrahitur repulsio ad tempus illud, ac si post sententiam Tabulae Regiae intentata fuisset executio 33, 38, 1729. In repulsionali convicto, et executo novum duntaxat cum gratia extra Dominium suffragatur.

Poena repulsionis est marca auri septuaginta duos florenos faciens, quam poenam omnes divisi repellentes singillative luunt. Nam quod 74, aae etiam plures repellentes in una poena simul sumptos convincendos esse dicat „ hoc tantum de indivisis intelligendum. Expensae, et fructus non refunduntur, verum damna, et deteriora-

riorationes refunduntur, quia in illo statu debent bona triumphanti adsignari, in quo fuerunt tempore intentatae executionis. Byrsagium, seu potius taxa 72 fl. in duabus Judici, in una partibus vero triumphati cedit.

Secundariae repulsionis poena est actus Majoris Potentiae, vid. supra.

Si quis bona executa in parte, vel in toto Reoccupet, propter reoccupationem quidem ante annum ab executione peracta factam, Processu ad dandam reoccupationis rationem, post annum vero Processu violentiali convincendus est.

Processus ad dandam reoccupationis rationem imitatur naturam oppositionalis. In eadem lege fundatur actio, in qua oppositionalis, Probari debet reoccupatio, quod quidem ipsa Notorietate Possessorii reoccupantis constare potest. Forum, rationes reoccupationis, poena, si ratio legalis non detur, ita se habent, ut in oppositionali.

Aliqui dicunt reoccupationem praeter oppositionalem poenam, etiam violentiali Processu, ac poena vindicari posse, verum hoc tenendum non est, quia lex ita vult tractari reoccupantem, ac opponentem, ergo eo ipso aliam poenam exclusit; poenalia vero absque clara dispositione legis non sunt multiplicanda.

CAPUT XX.

De Novo Judicio.

Novum Judicium est remedium Juridicum, quoquis causam plene amissam rursus resuscitat, et defectus in meritoria fundamentalis Processus allegatione commissos corrigere intendit. Est quasi continuatio fundamentalis Processus. Novisare potest tam Actor, si Incattus in fundamentali absolvatur, quam Incattus in fundamentali convictus, et executionem passus, tam Ingerens, quam Evictor, et quidem Actor tam contra Ingerentem quam contra Incattum; tam quoad meritum causae, quam quoad alia incidentalia, v. gr. Judicium Regale, aut Advocatus quoad Emendam Linguae, quia omnibus competit, novum tam Nobilibus, quam Ignobilibus, sive ex contumacia lata sit sententia, sive ex probis. Si quis in parte triumphet, in parte vero amittat causam, quoad hanc partem potest novisare. Qui novo utitur, vocatur N o v i s a n s, alter N o v i s a t u s. Si omnia Juridica remedia in g e n e r e, aut saltem novum in specie vel lege vel contractu praescissa sint, sola appellata manet salva, licet et illa nonnisi extra Dominium interponenda. Causae transactione, juramento, litis decisorio etc. terminatae non possunt novisari, post revelatorium juramentum datur novum, non item post decisorium, seu necessarium, seu voluntarium. N o v u m s i m p l e x f i t penes simplicem Libellum actionalem 723: 33. N o v u m c u m g r a t i a fit penes Mandatum

tum suae Majestatis. Mandatum novi cum gratia ex majori Cancellaria, id est ex Cancellaria Aulica Hungarica redimitur. Pro colono in Sede Dominali, aut via appellationis convicto, Dominus terrestris petit Mandatum novi cum gratia ad Comitatum, et pro illo Actoratum contra Nobilem triumphantem assumit 17: 1633. Comitatus inviabit Sedem Dominalem ut id admittat. Novo simplici etiam absque Mandato potest agere pro ipso, quia jam novum simplex absque Mandato inchoatur, secus ac anno 1635. Novum simplex semel competit, et qui novo simplici bis resuscitaret Processum, puniretur in calumnia, si nempe in facto proprio versaretur, quia secus tantum condescenderet institutum, et ad novum cum gratia inviaretur, eo magis punietur ergo ille, qui causam via novi cum gratia terminatam resuscitaret. Verum si Processus novi simpliciter condescendat ob citationis, vel actionis vitium, aut deponeretur, adeoque in merito novisans illo non potuisset uti, toties quoties potest novisare, si vero fundamentalis Processus per sententiam mere interlocutoriam condescenderit, absque novo toties quoties potest resuscitari. Imo licet fundamentalis Processus meritoria sententia, aut saltem vim meritoriae habente terminatus sit, tamen diverso actionis titulo eandem praetensionem absque novo potest quis persequi, quia talis Processus non erit continuatio prioris litis, quia diversum habebit meritum, non resuscitabit priorem, sed eodem actionis titulo, quo jam semel, licet per solum fratrem natu majorem actum, et non tri-

umphatum est, absque novo non potest agi. Postquam Processus omnia foro pervasit, ille, qui succubuerit, novo simplici non potest uti, verum cum gratia. Qui cum gratia novisat, et jam semel ad supremum forum deduxit Processum, ibique onerosam sententiam reportavit, non potest a primae instantiae Judice appellare.

Causae transactione, vel juramento terminatae non possunt novisari, uti nec criminales, licet 41: 1563. homicidis ex vinculis novo Judicio uti admittat.

Actio novi, aut Mandatum novi cum gratia Judici primae instantiae sonans fundatur in 77. 2ae 1723. 33. Judex itaque Processus novi est idem, qui in fundamentali Processu. Actio, et citatio reflexe debet fieri ad priora. Actoratus probari non debet, nisi quis propterea noviset, quod Actoratus ejus in fundamentali condescenderit, aut si cessionarius convicti sit, quia in hoc casu debet cessionem probare, hinc potest etiam ille novisare, qui in lite non stetit v. gr. successor, aut condivisionalis commune Jus fovens. Processus hujus meritum est idem, quod fundamentalis Processus. Nova praetensio alioquin non potest induci in actionem novi, quia non potest latius parere, quam fundamentalis patebat, quia secus non esset continuatio illius. Nova argumenta potest adferre novisans, et novisatus novas defensas, sed acquirere aliquid novisatus in hoc Processu non potest, quia non est in illius favorem, verum novisantis, nec datur reactio in novo. Novo praescribitur post 32. annos, licet quis contradictione voluerit

Jura

Jura illa sustentare, quae per sententiam amisit, quia unum remedium alterius substantivum esse non potest. Novisatus in possessorio rei litigiosae existens debet Processum fundamentalem expediri curare, et novo adnectere, sed nonnisi in merito, secus convincitur. Si novilans triumphet, reacquirit bona cum fructibus, si vero novisatus antea in possessorium positus executionem non admittat, vel turbet, licet ex longae litis Processu enatus sit novi Processus; tamen non gaudebit repulsionis beneficio, nec poterit se in Domino ulterius meritorie defendere, verum oppositionis rationem debebit dare, secus qua opponens punietur, et ad illum statum ponetur, ac si in fundamentali non triumphasset; praeterea revera etiam in novo mansit Actor; repulsio vero in favorem Incattorum est inventa, et alioquin novum est brevis litis. Si Actor qua frater natu major triumphaverit, non sufficit solum ipsum citare ad novum, verum omnes possessores.

Causis secundum novum ordinem Judiciarium defluentibus, et vel a sententia Tabulae Regiae, vel ab executione sententiae ab eadem latae, cum morte Josephi IIdi pendentibus, data est novo intra Dominium utendi facultas 46, 47: 1791.

CAPUT

CAPUT XXI.

De Mandatis Judicialibus.

Mandata Judicialia dat Rex, Palatinus, Judex Curiae, vel illorum Protonotarii sub nominibus Principalium suorum, et sigillis eorum; Personalis sub Nomine et Sigillo Regis, et propria sua subscriptione; Banus Croatiae pro Croatia, Sclavonia, et Dalmatia; Tavernicorum Regalium Magister, vel Vice-Magister pro Civitatibus jurisdictioni suae subjectis, licet ad Civitates etiam Judices Regni Ordinarii possint Mandata dare.

Mandata debent juxta leges expediri, nam si contra legem sint, possunt per Judicem, cui sonant, seponi, non vero si praeter legem sint, id est ubi lex contrarium non disponit, praecipue si sit a Principe. Illegitima sunt Mandata:

1) Quae expressa lege prohibentur v. gr. Missilia, id est clause, non patenter confecta 5: 1625. 10: 1630. Ex Cancellaria tamen majore solent etiam Mandata Judicialia (quia de Politicis hic non agimus) clausae confecta dari.

2) Cum insolitis clausulis emanata, 1608. 9. ante Coronationem, v. gr. contra antiquam Regni consvetudinem, vel cum praescissione Juridicorum remediorum etc. 655: 53. 659: 45. 681: 30.

3) Si lege praescriptae causae exmissae sint, v. gr. Justificatoria haec clausula: rebus sicuti praefertur stantibus, seque habenti-

bus

bus 12: 635. 30. 1681. 563: 80. id est: si expositio Mandatum petentis sit vera.

4) Si in lege non fundetur Mandatum praecipue inhibitorium, et dilatorium 681: 30.

5) Si alia requisita Literarum non habent v. gr. Datum etc.

Mandatorum usitatiores species sunt sequentes: 1mo. Evocatorium, seu Praeceptorio-Evocatorium. In Tabula Regia valet actione, et certificatoriis, uti alias dictum; dare solet Personalis, veluti Praeses Tabulae Regiae, et quidem ex praxi solis Juratis sonat, non Judicibus Nobilium, quod quidem pro compendiandis sumptibus uti 30, 1723, de Tabulis Districtualibus disponit, bonum esset. Compulsorium, sonare solet Jurato Tabulae Regiae, vel Judici Nobilium, et Jurassori ejus Comitatus, ubi inquisitio peragenda est, ut fassiones testium per exponentem denominandorum sub juramento excipiant. Requisitorium: ad locum aliquem autenticum sonat pro extradandis sub autentico Literalibus instrumentis, v. gr. ad Capitulum, Conventum, Comitatum. Capitula, et Conventus, si Mandatis requisitoriis non pareant, toties quoties in 500 fl. convincuntur, licet Literalia, quae petuntur, Capituli bona tangerent. 1723: 42, 43, 1765: 1. In plerisque Comitatibus instrumenta Literalia rem politicam, aut aliam non litigiosam concernentia absque Mandato extradantur. Verum non desunt etiam tales Comitatus, in quibus etiam rem litigiosam tangentia, gremialibus absque Mandato extradari solent. Dilatorium, ut nempe causa extendatur ad

alium

alium terminum v. gr. si pro requirendis Literalibus longiori tempore indigeret Incattus, quod Mandatum si in evidenti causa fundetur, v. gr. Juristitio per legem praescripto, aut in legitima partis exponentis absentia, aut id genus aliis rationibus äae 59. recensitis, simpliciter acceptari debet, nec potest ad forum contradictorium relegari 19: 1715. secus, licet dicatur in Mandato, expositionem coram mandante legitimatam esse, tamen coram Judice procedente expositio in foro contradictorio probari debet, 30: 1680. Inhibitorium: propter incompetentiam Judicatus vetat causam decidi, fundari debet in lege, ut discuti possit. Si incompetentia est manifesta, simpliciter acceptari debet 1715. 19. Prorogatorium, beneficium prorogationis continens ex äae 59. datum ad determinatum tempus. Declinatorium quo jubetur causa ab uno foro v. gr. Ecclesiastico, vel vicissim transferri. Post parium receptionem, aut latam in foro Ecclesiastico sententiam locum non habet. (Paria, more hodierno, una cum certificatoriis transmitti solent citato v. gr. Paria actionis. Erga jam eatenus 1630: 13. cessat, si non transmittantur, occasione comparitionis solent peti cum termino, id est extensione termini, uti etiam paria inquisitionum in criminalibus contra Nobilem motis, ut se defendere possit) causae, quae clare ad Ecclesiasticum forum pertinent nec ad Mandatum debent transmitti ad aliud forum, tales sunt, solae matrimoniales 1618: 70. huc accedunt testamentariae 1715: 27. uti supra dictum est. Item mere spirituales. Transmissionale: si Judex appella-

pellatam, ubi admitti deberet, non admittat, vel non intra Dominium admittat, ubi lex extra Dominium appellare non praecipit, vel causa secus extra Dominium appellabilis ob aliquas incidentias graves intra Dominium transmitti jubetur, v. gr. Interpretatio, obscurae Literae, vel validitas ejus, aut Juris disquisitio, vel aliae quaestiones subversantur, quarum discussio activitatem fori Pedanei excedit, vel manifeste contra legis dispositionem erraverit Judex procedens, et convictus appellaverit, licet sententia non sit ipso Jure nulla. Cassatorium, vel Cassatorio-Continuatorium, aut Praeceptorio-Continuatorium: quando sententia ob nullitatem cassatur, aut sententia contumaciae ex rationibus alias dictis annullatur, et ea non obstante convictus ad defensam admitti, et Processus continuari jubetur. Suspensorium, vel Suspensorio-Inhibitorium: quo Judex Pedaneus a decisione causae supersedere, et illam suspendere jubetur, v. gr. si ad implementum contractus ageretur, et jam idem contractus sub invalidatorio Processu, et quidem ad finem vergente esset, aut impetatur quis quoad bona, et ille Literalia sua, quae ad defensam necessaria sunt, alio Processu quaerere incepisset, prior Processus suspendi potest. Continuatorium: quo causa ob aliquam rationem suspensa, vel interrupta continuari jubetur vi 37: 1723. Executorium: quo executio jubetur. Correctorium: quo errores in executione interventi corrigi jubentur. Resuscitatorium: idem quod continuatorium. Renovatorium: quo sententia post annum executioni dari jubetur. Reposito-

sitorium: de quo alias, egimus. Reexecutorium: sed non simplex, verum compositum, id est Cassatorio - Executorium, quod nempe sententia vitiosa fuerit, v. gr. citatio vitiosa fuit, vel nec fuit ulla, aut sententia ipso Jure nulla fuit, ergo ratio debet dari in Mandato, et factum prius cassari, ita reexecutio imponi vi 36: 681. et si necessarium esset, Processus continuari. Tunc habet locum hoc Mandatum, quando quis vel oppositione, vel reoccupatione, aut saltem cassatorio potuisset uti ante executionen. Etiam Processu mediante peti potest reexecutio actione in 28: 1729. fundata, imitatur naturam debiti, vel successionalis. Stricte loquendo Mandato reexecutorio non error exequentis, verum Judicantis, corrigitur. Acceleratorium, ut lis cito definiatur, v. gr. si jam antiqua esset, aut periculum esset de substrato, aut majores involutiones metuantur. Premotorium: ut appellatum Processum Sedria cito revideat, transmittat etc. Sequestratorium: v. gr. deficiens in praejudicium fratrum bona illegaliter, et irrationabiliter involveret, aut etiam si filios haberet, vel secus res, quam dilapidat, praetensioni alterius subsit. Relegatorium: coincidit cum Declinatorio, nempe ob incompetentiam Judicatus, cum falcem in alienam messem immittere non liceret, etc. Relaxatorium: quo quis ab alio priori Mandato relaxatur. Referatorium: quo sequestrum referatur. Superabundans: quo prius jam datum Mandatum urgetur, debet ab illo dari, qui plus dedit, uti relaxatorium. Fulminatorium: datur post superabundans cum

minis,

minis, verum vix est necessarium, quia si legale fuit primum Mandatum, etiam illi obediet Judex: Interpretatorium v. gr. Legis (et quidem solus Rex dat tale) aut contractus, vel transactionis ex 715: 16. verum vix est necessarium, quia in Processu ipso curia Regia via appellatae interpretabitur. Statutorium: de quo alias satis egimus. Reambulatorium: nempe circa metas. Olim valde in usu erat, sed jam hodie raro. Admonitorium: quo quis ad levandam dotem, quartalitium, vel summam pignoratitiam admonebatur. Captivatorium: quo quis in persona capi jubetur. Salvi Conductus: quo incusatus, aut nefors per non venit in poena capitali convictus in libertatis statu conservari jubetur, ut ita se defendat, a Rege solet peti. Protectionale: quo quis contra injustam molestationem defendi, et manuteneri jubetur. Extraferiale: quo aliqua causa prae caeteris assumi, et revideri ordinatur, 1729: 43. Nempe quaedam causae sunt ex Lege Extraferiales, v. gr. criminales, Causae Fisci activae, oppositionales, repulsionales, causae piae, causae appellatae, causae pauperum, si testimonio comitatensi demonstrarent se vitae mediis carere, quia si vitae mediis non carent, nonnisi expeditiones gratuitas, et assistentiam Advocati pauperum acquirunt; et quidem ex usu ita, si 200 florenorum substantiam non habeant. Extraferiales sunt adhuc in genere omnes illae, in quibus grave aliquod incidens svadet extraferialitatem. Ex gratia vero Principis quaelibet causa per Mandatum extraferialis reddi potest. Delegatorium:

rium: si causa ordinario legali Judice careat. Novi cum gratia: semel tantum potest dari 11: 3ie. Brachiale: quo sententia vi mediante executioni datur.

Mandatum per Causantes, aut illorum Advocatos apponi, et ita Judici Regni Ordinario praesentari, et expeditio peti debet. Structura Mandati, et stylus ejus usitatus non temere negligendus. Primo est expositio: Qualiter etc. deinde petitio: supplicatum itaque est etc. tandem applicatio ad leges: cum autem etc. denique commissio, vel jussio v. gr. Tibi, vel vobis harum serie firmiter precipimis, ut praemissis sicuti praefertur etc. Comperto videlicet tantum eo, quod etc. In fine ponitur saepe (si nempe exponens etiam postea usum velit, ac debeat habere Mandati; v. gr. in Processu producere debeat) Praesentibus perlectis exhibenti restitutis.

In Processibus coram Sede Dominali, aut Oppidano foro vertentibus, Mandatum ad Comitatum solet dirigi, ut Comitatus Sedem Dominalem inviare noverit. Si in partibus vertatur Processus, potest ad procedentem Judicem directe, vel ad Comitatum sonare. Si jam in Sedria sit, vel eo referri debeat, Comitatui sonat, id est Universitati, sive in Congregatione, sive in Sedria praesentetur, est idem, seu soli Supremo, vel Vice-Comiti, quia illi referre tenebuntur.

Mandata illi, cui sonant, debent intra 60 dies a die emanationis praesentari (quod etiam de commissionibus Vice-Comitum tenendum) rae,

33. secus exspirant, praesentata vero durant quamdiu negotium durat. Evocatoria alioquin mature debent praesentari Jurato, et per illum exhiberi evocandis, quia secus terminus praefixus exspirabit.

Mandatum Judici, cui sonat, praesentatum tenetur Judex indorsare cum dato, et subscriptione sua, quod illud vel acceptet, vel si clara sit illegalitas Mandati, seponat, vel vero, si dubia sit expositio, ad forum contradictorium releget, ut partes super expositionis realitate, aut Mandati legalitate, vel illegalitate disputent, et ex allegatis, et probatis ferat tandem Judicium Judex, an illud acceptet, vel seponat. Si Mandati falsa expositio laesivos terminos contra Judicem contineat, potest Judex eodem Processu, quo de Mandato cognovit, Emendam Linguae, id est: 100 fl. in exponente desumere, et ille extra Dominium appellabit 53: 1655.

Processus ob non obtemperationem Mandatis Judicialibus movetur Actore illo, qui Mandatum impetravit, coram Tabula Regia contra Judicem non obedientem. Actio fundatur in 78: 1563. 53: 1655. Actoratus disputari non potest, quia Mandans laesus est, meritum rationabilitas non acceptationis, si rationabiles causas non adferat, punitur in 200 fl. amissione Officii, et perpetua infamia. Reconventio habet eodem Processu locum contra impetratorem Mandati, si is legitimitatem Mandati non possit ostendere, convincitur in 400 fl. singillative pro numero eorum, qui Judices praesentes fuerunt in non accptatione Mandati, sive citaverit illos omnes, sive non. Non sufficit

ficit autem Mandatum acceptare, verum etiam faciendum est id, quod mandatur, quia secus aeque punietur, ac si non acceptasset. Si contrarium Mandatum a Rege, vel superioritate legitime emanet, est sufficiens ratio non acceptationis Mandati. Si Mandans ante rem, quam mandavit, peractam moriatur, exspirat Mandatum Judiciale non item Grationale.

EXEM-

EXEMPLA

Actionum, Mandatorum Judicialium, et aliorum Conceptuum.

Quaedam exempla Actionum, Mandatorum Judicialium, et aliorum conceptuum hic annectere volui, non tam valoris interni, verum formae externae, quae in usu est, et structurae causa. Possunt illa pluribus verbis deduci, verum praecipue quoad actiones vix necessarium saepe periculosum est talia adducere, quae ad Processum, et allegationes pertinent, quae an breves, vel longae esse debeant, circumstantiae definiunt. Paucis verbis multa dici possunt. Saepe allegatio paucarum linearum, vel paginarum est longa, saepe vero pluribus phileris breviter dictum est. Casus, in quibus Advocatus eloquentiam effundere, vimque illius experiri potest, raro, sed tamen emergunt. Quae Plinius maximus, et felicissimus post Ciceronem in Urbe Romana Advocatus in hanc rem amico

suo Tacito Viro aeque Consulari, doctissimo, et eloquentissimo Advocato scripsit, omnes Advocati scire, et agere debent. Breviatem inquit in causis agendis custodiendam esse confiteor, si causa permittat, alioquin praevaricatio est transire dicenda; praevaricatio etiam cursim, et breviter attingere, quae sunt inculcanda, infigenda, repetenda; nam plerisque longiore tractu vis quaedam, et pondus accedit. Utque corpori ferrum, sic oratio animo non ictu magis, quam mora imprimitur. — — Adjiciam, quod me docuit usus magister egregius, frequenter egi, frequenter judicavi, frequenter in Consilio fui. Aliud alios movet, ac plerumque parvae res maximae trahunt, varia sunt hominum Judicia, variae voluntates: inde, qui eandem causam simul audierunt, saepe diversum, interdum idem, sed ex diversis animi motibus sentiunt. Praeterea suae quisque inventioni favet, et quasi fortissimum complectitur, cum ab alio dictum est, quod ipse praevidit, omnibus ergo dandum est aliquid, quod teneant, quod agnoscant. Dicit porro, non omnem tempestatem, non omnem agrum omni semini favere, adeoque varia semina, et vario tempore spargenda, neque minus inperspiscua, incerta, fallaciaque esse Judicum ingenia quam tempestatum, terrarumque. L. 1. Epist. 20.

Inclyta Tabula Regia! Integras Possessiones T. portiones item possessionarias in Possessionibus T. I. Comitatui T. adjacentibus habitas, per Antenatum meum T. impignoratas successive per con-

divisionales meos auctionibus, imo etiam fassionibus perennalibus affectas partim vigore 32: 1ae 52: 1655. reluere, partim Praelationis Jure vi 60: 1ae 47: 1723. mihi vindicare, atque quaslibet involutiones medio tempore interventas ad mentem 52: 2ae accessorie rescindi volo, eo fine Domino T. Terminum praefigi, eum in Praesentiam I. Tabulae Regiae citari, mihique Jus, et Justitiam administrari peto. Inclytae Tabulae Regiae Servus humillimus N. N.

Inclyta T. R. Humillime detego, me in divisione cum Fratre meo T. Anno T. peracta substantialiter laesum esse.

Quia vero vigore 45: 46: 1ae 36: 1729. non obstante vinculo, ac qualicunque demum involutione juxta 54: 1655. 47: 1723. 58: 59: 1ae obicem ponere nequente, in casu quo substantialis injuria subversatur nova divisio decerni debet.

Ideo Domino T. in sensu 26: 1723 Terminum praefigi, eundem ad personaliter comparendum citari, juramentalem omnium mobilium, et immobilium literaliumque Instrumentorum bona tangentium revelationem decerni, totam massam divisionalem adunari, novam divisionem invalidata priore fieri, sicque mihi Jus, et Justitiam administrari peto. Inclytae T. R. S. h. N. N.

I. T. R. Humillime repraesento Avum meum T. certas portiones possessionibus T. nec. non Praediales in Praediis T. I. Comitatui T. adjacentibus habitas perennaliter alienavisse.

 Quam

Quum autem quaelibet bonorum Aviticorum absque causa necessitatis, vel rationabilitatis factae alienationes secundum 58: 59: 61: 1ae rescindi possent.

Ideo peto D. T. velut Actualem bonorum eorum Possessorem ad I. T. R. citari, quaslibet involutiones Actioni meae obstare volentes accessorie juxta 52: 2ae rescindi, mihi bona readjudicari, atque reali cum executione Jus, et Justitiam administrari, persevero etc.

Egregie Domine! Quis et qualem Processum contra Dominationem Vestram movere velit, ex genuinis Actionis hic advolutis paribus intelligere poterit D. V. Ego itaque vi muneris mei praefigo D. Vestrae diem T. et subsequos Juris dies anni currentis infrascripti, pro quo Termino D. Vestra coram I. T. R. per se, vel per legitimum Mandatarium comparere, seque defendere non intermittat, Datum in Libera Regiaque Civitate Pestiensi Anno T. etc. N. N. Personalis Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenens m. p.

Egregio Domino T. hae Literae Certificatoriae Judicialiter exhibendae. (L. S.)

Infrascripti praesentibus fidem facimus, quod nos certas Literas Certificatorias Domino T. sonantes, clause confectas, Sigilloque Suae Majestatis Judiciali munitas Terminum T. dorsaliter prae se ferentes, Domino Praetitulato personaliter domi suae per nos reperto (vel medio Jurisdictio-

nati

na'i sui T. loco T.) Anno T. Die T. legitime exhibuerimus. Super qua per nos peracta exhibitione praesentes extradedimus nostras Literas Testimoniales. Signatum — — N. N. Judex Nobilium I. Comitatus T. m. p. (L. S.) N. N. Jurassor ejusdem I. Comitatus m. p. (L. S.)

Franciscus etc. Fideli Nostro Egregio T. Tabulae Nostrae Regiae Judiciariae Jurato Notario Salutem et Gratiam! Expositum est Majestati Nostrae Nomine, et in Persona Fidelis Nostri Spectabilis ac Magnifici Nobis Dilecti T. qua etiam Fractris natu Majoris, et reliquorum suorum Cointeressatorum Jura sustentantis: Qualiter Castrum T. in Comitatu T. existens, una cum Oppidis, et Possessionibus aliisque appertinentiis, ab antiquo ad eandem spectantibus, in Processu uberius deducendis, partim jam superius attacto, partim vero aliis Comitatibus Nostris adjacentibus, optimo Jure Privilegiali antelatum Exponentem, Cointeressatosque ejus concerneret, successive vero abalienata variis temporum mutationibus, et devolutionibus ad diversas manus pervenerint, et impraesentiarum usque possideantur, damno et praejudicio Exponentis, Cointeressatorumque illius gravi admodum, et manifesto.

Quia vero vigore 13: 34: 1ae et aliarum Regni Legum bona penes Privilegium gubernari acquiri, et revindicari, quaelibet involutiones circa eadem interventae juxta Articulum 52: 2ae accessorie cognosci, rescindique possent, Privilegiorum vero Productio, et Discussio vi Articuli 28: 1715 Tabulae Nostrae Regiae competeret.

Sup-

Supplicatum itaque exstitit Majestati Nostrae Nomine, et in Persona antelati Exponentis debita cum Instantia humillime, quatenus eidem de condigno Juris Benigni videlicet Mandati Nostri Praeceptorio-Evocatorii Remedio clementer providere, eatenusque Tibi mandare dignaremur, nec pateremur eundem justis suis Juribus improvise destitui.

Cum autem justa petenti non sit denegandus assensus, et alioquin omnibus coram Tabula Nostra Regia Causantibus secundum Art. 26 : 1723 certus, ac competens praefigi deberet Terminus.

Pro eo Tibi harum serie firmiter praecipientes benigne committimus, et mandamus, quatenus acceptis Praesentibus Fideles Nostros T. T. et alios coram te denominandos bonorum antelatorum Possessores per Assignationem, vel Transmissionem parium praesentis Nostri Benigni Mandati Evocatorii, pro Die T. et subsequos Juris Dies Mensis T. Anni T. in praesentiam Tabulae Nostrae Regiae ad compareudum, semetque defendendum citare, et evocare, ac tandem super Citatione, et Evocatione consvetas Literas Testimoniales modis omnibus pro futura antelati Exponentis Cautela extradare debeas ac tenearis. Communi svadente Justitia. Nec secus facturus. Datum in Libera Regiaque Civitate Nostra Pestiensi Anno T. Die T. Lectum, et Extradatum per N. N. Personalis Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenenentem m. pr. (L. S.)

Anno T. Die T. in Civitate, vel Oppido T. T. Comitatui T. adjacente praesens Benignum Suae

Maje-

Majestatis Mandatum Evocatorium mihi introserto praesentatum et per me debito Homagiali cum Cultu acceptatum. Cujus B. Tenoribus me in omnibus conformare, moremque gerere non intermittam. Signatum ut supra. Introsertus T. R. Jud. Jur Not.

Praesentem Copiam suo vero, et genuino Originali in omnibus Punctis, et Clausulis conformem esse testor. Signatum in Possessione T. Die T. Anno T. N. N. I. Tab. Reg. Jur. Not. m. pr. (L. S.)

Anno T. Die T. in Possessione T. I. Comitatui T. adjacente praesens par Benigni Mandati Evocatorii Perillustri, ac Generoso Domino T. medio Coloni sui T. exhibui, sicque praefatum Dominium in praesentiam I. Tabulae Regiae evocavi. Signatum ut supra. Idem introsertus I. Tab. Reg. Juratus Not.

Infrascriptus I. Tabulae Reg. Juratus Notarius praesentibus fidem facio, quod paria Benigni Mandati Evocatorii pro Parte illustrissimi Domini Comitis T. emanati, et mihi Praeceptorie sonantis exhibuerim ordine sequenti etc.

Super qua per me peractae Exhibitionis, et Evocationis serie, praesentes futura Illustrissimi Domini evocari curantis pro Cautela extradedi Literas Testimoniales. Signatum etc. N. N. Juratus T. R. Not. m. pr. (L. S.)

Inclyta

Inclyta Tabula Districtualis Cis-Tibiscana Judiciaria Regia! Humillime detego: qualiter anno adhuc 1790 cum D. T. quoad bona ejusdem in Possessionibus T. Inclyto Comitatui T. adjacentibus existentia certum ad 15 annos contractum Arendatitium suo tempore coram I. Judicio producendum sub Vinculo fecerim, idem vero Dominus partim bona hactenus mihi non resignaverit, partim vero etiam in resignatis, non omnia ad oeconomiam pertinentia atque in contractu pactata mihi effective ad manus dederit, eo tamen non obstante, onus ex publica dispositione Diaetali omnibus bonorum Possessoribus impositum, a proportione horum exarenda orum per me, mihi traditorum bonorum, non in proprietario Domino, verum in me desumptum fuerit.

Cum autem contractus Contrahentibus Legem poneret, Math. D. 6: 18. Ulad. D. 1: 38. Implementalesque Processus ideo per Legem instituti essent, ut morosi ad contractum implendum Auctore Judice compellerentur, 28: 1715. 34: 1723. et qui esset damni causa idem praestare, onus vero tale extraordinarium non Arendator, verum Proprietarius ferre teneretur.

Ideo peto dictum Dominum in Praesentiam I. Tabulae Districtualis citari, implementum contractus decerni, mihique etiam quoad accessoria vinculum nempe, et damna sive mora, sive aliter caussata suo tempore deducenda Justitiam administrari. Inclytae Tab. Districtualis S. h. N. N.

Inclyta Tabula Districtualis! Pro Justitiae administratione demisse propono: quod bona quaedam indivisa in Possessionibus T. I. Comitatibus partim T. partim vero T. adjacentibus habita, ex pignore communium mihi, et Domino T. Antenatorum per eundem D. revindicata, ad sanguinem taliter redi verint, atque divisioni omnium oppignorantis successorum vigore 40, 41, 45, 47: iae obnoxia evaserint.

Quapropter peto Dominum T. praefixo eidem competenti Termino in Praesentiam I. Tabulae Districtualis citari, ratam meam successionalem, erga proportionatam expensarum in revindicationem factarum in Judicio liquidandarum refusionem cum fructibus vi 47: 1723 mihi adjudicari, et reali executione mediante assignari. Persevero etc.

'Inclyta Universitas! Humillime detego: quod peracta inter me, et Sororem meam Carnalem, et Uterinam T. divisione, eadem Soror mea ratam suam ex mobilibus, et immobilibus Aviticis, et Acquisitis ipsi obtingentem ad Lares mariti sui T. attulerit, successive vero absque solatio prolium defecerit, Maritus autem ejusdem totam Uxoream substantiam hactenus in manibus suis detineat, neque mihi remittere velit.

Quum autem juxta Leges Regni signanter Tit. 47. iae Art. 49: 1723 universa bona ex divisione obtenta uno ex Condividentibus deficiente, in reliquos Condividentes immediate devolvi, distracta vero vel deteriorata redintegrari, Literalia,

res

res mobiles, fructusque bonorum de praxi vigore item Articuli 138: 1647. sub juramento revelari deberent Possessor autem talium bonorum, si quid nefors praetendendum habeat, liquidare et legitimare teneatur, Judicatus vero vi 28: 1715. 35: 1729. Vice-Comiti competeret.

Ideo peto alterutrum ex S. Dominis Vice-Comitibus cum adjungendis Judlium, et Jurassore ad Partes exmitti, mihique Jus, et Justitiam reali cum executione administrari. Inclytae Universitatis Servus humilimus N. N.

Ad Inclytam Universitatem Comitatus T. Libellus Actionalis Introferti.

D. Ord. Vice-Comes pro hac causa cognoscenda, dijudicanda et in sensu Legum etiam exsequenda exmittitur. Relationem desuper facturus. Extradatum per N. N. I. Comitatus T. Ord. Jur. Notarium m pr.

Perillustri ac Generose Domine! Ad cujus Instantiam et in quali negotio sim exmissus ex advolutis hic sub Lecta Actionis, et gratiosarum Exmissionalium paribus intelligere poterit Praetitulata D. Vestra.

Fine discussionis Negotii ibidem conventi praefigo Dominationi Vestrae ad Oppidum T. I. Comitatui huic adjacens diem T. et subsequos Juris dies, pro quo Termino D. Vestra coram me et mihi adjungendis Judlium, et Jurassore personaliter comparere non intermittat. Ego in omnem casum id sum facturus, quod Juris et Justitiae ordo secum tulerit. Super quibus dum D. Vestrum tem-

pesti-

pestive certificarem per severo Praetitulatae D. Vestrae ad officia paratissimus. N. N. Vice-Comes m. pr. (L. S.)

Anno etc. genuina harum Certificatoriariarum paria Domino T. domi sua personaliter exhibuimus. Signatum in Possessione T. Anno etc. N. N. Judex Nobilium m. pr. (L. S.) N. N. Jurassor m. pr. (L. S.)

Illustrissime Domine etc. Probe meminisse potest. Illustritas Vestra, et ex advolutus hic genuinis Literarum pignoratitiarum paribus, uberius se reflectere poterit, quod certam portionem in Possessione T. I. Comitatui huic T. adjacente habitam a D. T. in pignore teneat, quodque anni obligati jam effluxerint.

Quia vero dictantibus Tit. 82: 1ae Art. item 52: 1655 pignus ad Impignorantes redire, cum summa minori admonitus liquidare, bona erga liquidandam, et legitimandam summam remittere, secus non remissionis rationem in Judicio dare teneretur.

Ideo virtute Generalis Exmissionis, (vel penes specialem commissionem Spectabilis ac Perillustris Domini Ord. Vice-Comitis) pro Parte, et ad petitionem ejusdem Domini Judicialiter admonemus illustritatem Vestram, ut summam minorem trium flor. hic oblatam Illustritas Vestra levet, majorem inhaerentem liquidet, atque bona Proprietario admoneri curanti, medioque nostri liquidan-

dam

tam summam se depositurum promittenti remittat. Casum in contrarium inhibemus Illustritatem Vestram ab omni ulteriore bonorum inoneratione praefigimusque Illustritati Vestrae diem T. et subsequos Juris dies mensis T. Anni T. ad Oppidum T. I. Comitatui huic adjacens, quo Termino adveniente Illustritas Vestra, non levationis summae minoris, atque non remissionis bonorum; item in omnem casum fructum post admonitionem foeneratorio modo percipiendorum rationem redditura, atque super omnibus his Judicium receptura, coram nobis legitime comparere non intermittat. Signatum etc. Illustritatis Vestrae Servi obligatissimi N. N. Judex Nobilium I. Comitatus T. m. pr. (L. S.) N. N. Jurassor m. pr. (L. S.)

N. N. Vice Comes I. Comitatus T. Egregiis alterutri ex Ord. aut etiam substitutis Judlium nec non uni ex Jurassoribus I. Comitatus hujus salutem et prosperitatem! Querulose expositum est mihi Nomine, et in Persona Egregii T. qua etiam Colonorum, et aliorum Jurisdictionatorum suorum infra nominandorum Domini Terrestris: qualiter Egreg. T. qua tamen Illustrissimi Domini Comitis T. Provisor Anno T. Die T. Mense T. in pratum exponentis in Territorio Possesshonis T. I. Comitatui huic adjacentis habitum, ocularitet etiam si necesse fuerit suo tempore commonstrandum, adsumptis ad Latus suum T. Hajdone T. Auriga, T. Boariis, T. Colonis Illustrissimi Domini Comitis irruerit, hominesque exponentis ibi faenum colligentes, pacifice constitutos, nihilque tale metuentes

tes potentiose agressus, dirum in modum verberaverit, faenumque jam collectum partim curribus impositum avexerit, partim disjecerit ac pessumdederit, in praejudicium Jurium Exponentis grave ac manifestum.

Quia vero secundum Leges Regni, signanter 68: 1ae, 48, 67; 82: 2ae. 31; 36: 3ae. 23: 1613. 56: 1655. 33: 1659. idem, velut Actus violenti Patrator, ex Officiolatu citari, praeter injuriam quoad fundum querulanti illatam 25 Marcis gr. p. expiandam, etiam quoad homines exponentis laesos in singillativis 100 florenorum poenis, singillativisque pariter assumptorum suorum Homagiis, damnorum et expensarum litis refusione convinci deberet, executioque ad bona Domini dirigi posset.

Ideo vobis serio committitur, ut dictum T. ex Officiolatu ad Diem T. et subsequos Juris Dies Anni T. Mensis T. in Oppidum T. in Praesentiam mei, mihique adjungendorum per Exhibitionem, vel Transmissionem Parium Praesentium citetis, certificetis, eumque simul, ut assumptos suos supra recensitos (exmissis de Jure exmittendis) Juri statuat, admoneatis, testimonialesque Literas super peragenda citatione futura exponentis pro cautela inservituras extradetis, nec secus facturi. Datum in Oppido T. etc. Idem qui supra Vice-Comes m. pr. (L. S.)

Admonitio pro Impensione Judicii potest vel eadem forma qua Actionem Violentialem nunc statim descripsimus, vel sequenti:

Spe-

Spectabilis ac Perillustris Domine! Penes Generalem I. Universitatis (vel specialem Spectabilis ac Perillustris Domini Ord. Vice-Comitis pro parte, et ad requisitionem Domini T. emanatam, atque hic sub Lecta advolutam Commissionem) Judicialiter admonemus Praetit. D. Vestram super eo quod Coloni D. Vestrae Nominatim T. T. in Possessione T. habitantes, (an proprio instinctu, vel vero ex voluntate, et auctoritate Judicis, et Juratorum Possessionis ipsi viderint,) Anno curr. infrascripto Die T. Mensis T. ad plagam T. vocatam in territorio dictae Possessionis existentem veniendo, pecora Domini admoneri curantis ibidem deprehensa, reluctantibus nequiquam ejusdem hominibus, potentiose et violenter abegerint, eadem clauserint, et compluribus diebus clausa detinuerint, neque suo modo et loco resignaverint, sicque semet duplici delicto obstringentes, ob impulsionem quidem, e loco usus pacifice per admoneri curantem exerciti poenae violentiae in singillativis suis Homagiis consistenti 26: 3ae 42: 1729 propter intermissam resignationem vero vi citati 42: 1729 poenae trium Marcarum gr. p. pro singula detentionis Die simultanee solvendae, per Praetit. D. Vestram qua Dominum Terrestrem sub poena Violentiae vigore 26: 3ae 29: 1609. 23: 1613. 41: 1729. cum damnis, et expensis desumendae obnoxios fecerint.

Quapropter admonemus S. D. Vestram, ut celebrandae Sedi Dominali Terminum brevem praefigere, nobis insinuare, eoque adveniente Jus, et Justitiam reali cum effectu impendere, et de Colonis

nis suis Juri statuendis satisfactionem praestare non intermittat. Quibus S. D. Vestrae insinuatis, a responso usque quindenam praestolaturi, tuncque Testimoniales Domino admoneri curanti, super peracta hac admonitione, et secutura vel non secutura responsione extradaturi perseveramus. Datum etc. Spectabilis D. Vestrae Servi ad officia paratissimi N. N. Judex Nobilium I. Comitatus T. m. pr. (L. S.) N. N. Jurassor m. pr. (L. S.)

Committitur uni ex D. Ord. aut etiam V. Judlium atque alterutri ex D. Jurassoribus I. Comitatus hujus T. ut pro Parte Egregii Domini T. quaslibet functiones sphaeram Activitatis suae non excedentes servatis de Jure servandis per agere neverint. Datum etc. N. N. Vice-Comes m. pr.

Anno etc. Levata est causa Illustrissimi Domini Comitis T. qua etiam Fratris natu majoris, et reliquorum suorum Cointeressatorum Jura sustentantis ut A. contra et adversus Excellentissimum, Illustrissimos, Spectabiles ac Magnificos, Spectabiles, Perillustres ac Generosos, Egregios, Nobiles, Dominos et Dominas ut I. I.

Pro A. Legitimus Procurator Juri exhibet Benignum Mandatum Evocatorium (vel Actionem Originalem) sub A. Testimoniales super legitime peracta Evocatione sub B. in quorum conformitate petit sibi Justitiam praevia Proclamata administrari. Ceterum generaliter reservat.

Pro

Pro I. I. Procurator T. comparet et reservat.

Pro A. In Probam Actionis producit sub C. etc.

Anno etc. in Oppido T. I. Comitatui T. adjacente coram Spectabili, ac Perillustri Domino T. praefati Comitatus Ord. Vice-Comite, eique adjunctis Judlium, et Jurassore levata est Causa Perillustris ac Generosi Domini T. qua etiam Colonorum suorum T. T. Domini Terrestris, ut A. Contra Egregium T. qua tamen Illustrissimi D. Comitis T: Provisorem ut I.

Pro A. Procurator T. producit Actionem Originalem cum indorsatis super legitime peracta Citatione Testimonialibus sub A. (vel Numero 1.) in cujus conformitate petit sibi justitiam administrari praevia Proclamata g. r.

Pro I. Procurator T. in conformitate Citationis comparet.

Perillustris ac Generose Domine! Qualesnam in Processu per Dominum T. contra D. Vestram anno adhuc T. coram etc. moto, et per D. Vestam ad I. Tabulam Regiam appellato D. Vestra reportaverit onerosas sententias, optime constat D. Vestrae, etiam ex hic advolutis sententiarum paribus uberius intellectura est eadem Praetit. D. Vestra.

Ego virtute Gratiosae Exmissionis hic pariter advolutae pro executione praefigo D. Vestrae Terminum Diei T. Mensis T Anni curr. infrascripti quem Terminum eo fine D. Vestrae insinuo, ut illo adveniente D. Vestra in facie bonorum adjudi-

cato-

catorum comparere, et Juribus suis invigilare possit. Persevero Datum etc. D. Vestrae ad Officia parat. N. N. Vice-Comes. m. pr. (L. S.)

Franciscus Dei Gratia etc. Illustrissimis, Reverendissimis, Spectabilibus, ac Magnificis Egregiis item, et Nobilibus, Supremo et Vice-Comitibus, Judlium, et Jurassoribus, toti denique Universitati Baronum, Magnatum, et Nobilium Comitatus Nostri T. sive in Sedria, sive Generali, aut Particulari Congregatione simul, vel divisim constitutis Salutem et Gratiam! Expositum est Majestati Nostrae Regiae Nomine, et in Persona Fidelis Nostrae T. Qualiter marito suo T. viam universae carnis ab Intestato ingrediente, Privigni Exponentis, statim a morte Genitoris, non tantum universam Paternam substantiam avitam, et acquisitam, notabili ex parte mutuo exponentis cum adjutorio partam, adeoque partim Doti, Juribusque vidualibus, partim successioni viduali obnoxiam, sed etiam res privative Exponentem concernentes via facti occupaverint, eandem ex domo quidem maritali hactenus non expulerint, verum famulitio obedientiam ipsi praestandam sub comminatione poenae corporalis interdixerint, eandem omnibus rebus ad vitam necessariis privaverint, necessitatem lares maritales deserendi ipsi imposuerint, sicque in primo anni luctus ad statum maxime lamentabilem, et rerum omnium inopiam redegerint, afflictionemque afflictae addiderint.

Quia vero (via facti agendi modus odiosus atque restringendus, sic ubi locum habeat, tantum contra illos valeat, qui et ipsi absque omni titulo bona apprehenderunt, imo etiam tunc nonnisi intra annum ab apprehensione, contra illos vero, qui Legali titulo bona ingrediuntur, nec primo possessorii momento impune adhiberi possit, in casu vero superius expositio, etiam quoad bona mariti titulus adfuerit, cum ipsius legitima Vidua sit, sed secus etiam possessorium mariti, cum quo una caro fuit, Viduae imputetur, adeo, non minori scelere Privigni Viduam e bonis ejecerint, quam si patrem ipsorum proprium ex bonis propriis ejecissent, cum Vidua, quamdiu nomen mariti gerit, maritum repraesentet, et haec sit ratio quod) Tit. 98: 1ae, eandem post fata mariti in bonis mariti manere velit, imo in istum etiam casum ubi bona mariti ita ampla essent, ut etiam ex parte bonorum Vidua competenter vivere possit, talem restrictionem non via facti, verum judicialiter fieri ordinet, et vel ex parte bonorum maritalium titulo Jurium vidualium eidem assignatorum; licet vota, et nomen mariti mutantem non via facti, verum Processu mediante, ad instar pignoris judicialiter oblata prius dote excutiendam praecipiat, sicque vel secundo nuptam ab onere dotem suam Processu quaerendi relevet, adeoque eo minus adhuc nomen mariti gerentem e bonis totaliter ejici, et Jura vidualia lite quaerendi necessitate gravari admittat.

Supplicatum itaque exstitit Majestati Nostrae Regiae Nomine et in Persona antelatae Exponentis debita cum Instantia humillime, quatenus eidem

dem de condigno Juris, Benigni scilicet Mandati Nostri in integrum Repositorii remedio clementer providere dignaremur, nec pateremur eandem justis suis Juribus improvise destitui.

Cum autem justa petenti non sit denegandus assensus, et alioquin omnes Regnicolae ex illis bonis quae ultra annum licet illegali titulo possederunt, exturbati, semet intra annum via facti reponere possint, infirmiores vero ob defectum virium via facti agere nequeuntis vi Art. 5: 1542, aliarumque Regni Legum per Comites et Vice-Comites, sub amissione Officii, absque Processu via facti, intra annum reponi jubeantur, (cum secus multo melior esset conditio potentiorum, et divitum coram Jure, quam est pauperum, imo potentibus in pauperes grassandi licentia aperiretur; cum scirent hos saepius, et libentius injuriam ipsis illatam devoraturos, quam in ambiguam cum potentibus litem descensuros: porro quod via facti facere liceat, id publica auctoritate fieri magis societati civili expediat, quod denique si tales imbeciles non reponerentur, verum ad formalem Processum relegarentur, ita potentes ex eorundem bonorum proventu se defendere, litem trahere, pauperes vero post maximam egestatem triumphantes, nunquam tamen pro molestiarum exantlatarum mensura compensationem dignam, et indemnisationem sperare possent,) praecipue Viduae, quae secus Jura sua expensis, et fatigiis emere deberent, quas tamen veluti omni Jure privilegiatas, et protectionis indigentes personas, eo ipso, quod Lex in bonis manere velit si inde ejectae sunt, eo a fortiori reponi vult.

 Ideo

Ideo. harum serie firmiter praecipentes Vobis Benigne committimus, et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, rebusque sicut praefertur stantibus seque habentibus, praefatam Exponentem in integrum restituere, manutenere, Privignosque, eo, ut si cum Exponente Vidua tractare velint, cum eadem extra casum coactionis, adeoque in usu bonorum maritalium existente, Juribus vidualibus effective fruente, tarctent, tractatu non successorio via Juris agant, inviare noveritis, debeatis ac teneamini. Communi svadente Justitia. Nec secus facturi. Datum etc.

Josephus Archidux Austriae, Palatinus Regni Hungariae etc. Egregio T. Comitatus T. Ord. Vice-Comiti Salutem et Gratiam! Expositum est Nobis Nomine, et in Persona Spectabilis ac Magnifici Comitis T. Qualiter coram Te et Tibi adjunctis Judlium, et Jurassore per Egr. T. certo tibi optime cognito Processu debiti conventus, in accessu statim litis contra adversarium suum poenam calumniae petierit, nonnullaque ad meritum causae pertinentia Instrumenta produxerit, successive continuatione causae per Te Tibi adjunctos ad diem T. in oppidum T. deliberative rejecta ordinarius ejusdem exponentis Fiscalis Procurator Egr. T. e loco habitationis suae Possessione videlicet T. tempestive, Die utpote T. moverit quidem, propter aeris intemperiem tamen, viasque repente exortis, et per duos fere dies continuo decidentibus pluviis difficiliores factas mature adesse non

po-

potuerit; pars autem Actorea alioquin causae diffisa occasione utendo, vix advesperascente coelo sententiam contumaciae petierit, eamque a Te et Tibi adjunctis in Exponentem ferri impetraverit; Fiscalis vero Exponentis Procurator statim post latam sententiam adveniens, eandem nullo respectu ad allegationes, et Instrumenta jam antea in Processum inducta ex mera, et nuda comparitionis intermissione latam videndo, Actoreque prius an a sententia recedere vellet, nequicquam tentato, super nullitate quidem ejusdem sententiae Protestatoriam cautelam interposuerit, sed tamen in quantum illa valorem habitura esset, eandem, prout cum aliis sententiis per non defendit, (id est, cum jam aliquae probae in Processum adductae sunt) latis fieri consvevit, appellaverit; Tu vero cum Tibi adjunctis appellatam prout circa sententias, quae mere ex non venit latae sunt, aut ferri debuerunt, fieri assolet, rejeceris exponentemque licet ex jam inductis allegatis a praetensione Actorea Via appellatae in Sedria semet absolutum iri sperare queuntem, ideo tamen, quod ad poenam calumniae in A. desumendam Processus adhuc sufficienter elaboratus haud erat, non invitam, appellatae renunciare, praetensae per ipsum sententiae nullitati autem eo fortius inhaerere coegeris, sicque eidem Exponenti speciosam executioni nefors intentandae, opponendi occasionem suppeditaveris.

Quia vero dictantibus Tit. 52: 2ae. 32: 1723. rationabiles causae non comparitionis acceptari deberent, sententiaque contumaciae tantum illos ferire posset, in quos contemptus Judicii caderet,

de

de Exponte vero qui jam in prioribus Terminis comparuisset, quin imo illa ipsa qua convictus erat die, licet sero, adfuisset, contemptus Judiciariae Auctoritatis praesumi non posset, sententiae autem Prol. 15. ex allegatis, et probatis ferri, et denique vigore 9: 1ae nemo nisi Juris ordine convictus, et sufficienter auditus in Persona, vel rebus suis damnificari deberet.

Supplicatum itaque exstitit Nobis Nomine, et in Persona antelati Exponentis debita cum Instantia humillime, quatenus eidem de Condigno Juris Mandati videlicet Nostri Praeceptorio-Continuatorii remedio providere dignaremur, nec pateremur eundem justis suis Juribus improvise destitui. Cum autem justa petenti, non esset denegandus assensus, et alioquin ejusmodi defectus Mandato Judiciali resanare, quam oppositioni, et litium multiplicationi occasionem dare salubrius esset.

Pro eo Vobis auctoritate Judria, qua pleno Jure fungimur, harum serie firmiter praecipientes Benigne committimus, et mandamus, quatenus acceptis Praesentibus, rebusque sicuti praefertur stantibus, seque habentibus, comperto videlicet tantum alterutro eo, quod vel die comparitionis viae notabiliter corruptae, vel vero in sententia contumaciae per Te, Tibique adjunctos lata, nulla allegatorum ad meritum causae pertinentium ratio habita sit, exponentem, non obstante sententia ista veluti praesentibus, annulata, ad ulterius agendum, seque defendendum admittere, Jurique, et Justitiae consonam ejus defensam audire, discutere, ac decidere noveris, debeas, ac teneais

vis, Communi ſvadente Juſtitia, nec ſecus facturus. Datum etc. (L. S.) Lectum et Extradatum per N. N. Excelſi Officii Locumtenentialis Magiſtrum Protonotarium m. pr.

Joſephus de Ürmény Judex Curiae etc. Illuſtriſſimis, Reverendiſſimis etc. Expoſitum eſt Nobis Nomine, et in Perſona Egregii T. queli er Egregius T. contra exponentem, Anno T. certum intuitu portionum poſſeſſionarium in Poſſeſſione T. Comitatui Veſtro adjacente habitarum relui orium coram Judice Nobilium T. eique adjuncto Juraſſore moverit Proceſſum, Exponensque propter conditiones certas adhuc inexpletas contra Inſtitutum, et Judicatum exceperit, eo tamen non obſtante Judex Nobilium Veſter Inſtitutum, et Judicatum ſtabiliverit, exponens vero eandem ſententiam pro Appellata declarando, ſucceſſive latis etiam in quaeſtione Actoratus, et merito gravatoris eidem ſententiis ad liquidationem liquidandorum adſtrictus, ex ſubverſantibus jam ſupra recenſitis circumſtantiis Proceſſum intra Dominium, leniori remedio uti volendo, ad Sedem Veſtram Judiciariam referri nequicquam petierit, Judice Nobilium vero executionem re ipſa intentante, a ſpe Appellatae intra Dominium admittendae dejectus, oppoſitionis velamine executioni obviaverit, atque licet oppoſitionis rationem ex non admiſſa in ſubverſantibus cauſae circumſtantiis intra Dominium appellata, potiſſimum vero ex incapacitate Judicatus deſumtam dederit, in poena tamen oppoſitionis convictus fuerit.

Quia

Quia vero contractus contrahentibus dictantibus etiam Math. 6: 18. Ulad. 1: 38. Legem ponerent, conditionesque Literarum Pignoratitiarum legitimae juxta 53: 1625. 90: 1635. 125: 1647. 52: 1655. observari deberent, fora vero inferiora vigore Articuli 28: 1715, non de contractu seu ejus validitate, sed secundum contractum judicandi facultatem haberent.

Supplicatum itaque exstiti Nobis Nomine, et in Persona antelati exponentis debita cum Instantia humillime, ut eidem de condigno Juris Mandati videlicet Nostri intra Dominium Transmissionalis providere dignaremur, nec pateremur eundem justis suis Juribus improvise destitui.

Cum autem justa petenti non esset denegandus assensus, et alioquin validitas actus cujuslibet a competentia Judicatus penderet, nec falcem in alienam messem 78: 2ae immittere liceret, ubi vero ratio oppositionis ex non admissa intra Dominium appellata desumeretur, Processus oppositionalis ante executionem, imo latam in eodem sententiam vi 38: 1729. ad Tabulam Regiam transmitti soleret, neque in 28: 1729. in serie causarum extra Dominium appellabilium contineretur; poenalia vero absque expressa Legis (dispositione non extendi, verum restringi, accessorium autem vi 52: 2ae suum principale sequi debere conveniens esset.

Ideo Vobis harum serie firmiter praecipientes committimus, et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, rebusque sicuti praefertur stantibus, seque habentibus, comperto videlicet tantum

tum

tum eo, quod conditiones pignoris per Actorem impletae non sint, quodque exponens sententiam fundamentalis Processus in merito latam appellaverit, Judicem Nobilium Vestrum eo inviare, ut ab executione supersedendo tam fundamentalem, quam oppositionalem Processum ad Sedriam Vestram referat, vos ipsi vero in casum approbandae in Sedria Vestra per procedens Judicium in quaestione Judicatus latae sententiae, utrumque pariter Processum, intra Dominium ad Tabulam Regiam transmittere noveritis, debeatis, ac teneamini. Communi svadente Justitia. Nec secus facturi. Datum etc. Lectum et Extradatum per N. N. Excelsi Officii Judicatus Curiae Regiae Magist. Protonot. m. pr. (L. S.)

Clarissime Domine Rector! Magnificus ac Spectabilis Dominus Magister Németh de Nyék Sacratissimae Caesareo Regiae, Apostolicaeque Majestatis, ad Excelsam Cameram Regiam Hungarico Aulicam Gremialis Consiliarius, qua tamen per I. Regnum Hungariae, partesque eidem adnexas Causarum Regalium Director, et Sacrae Regni Coronae Fiscalis, penes Generalem I. Comitatus hujus *Zemplinensis* Exmissionem, medio Nostri infrascriptorum Claritatem Vestram, ac per Praetitulatam D. Vestram, totum Illustre Collegium Helvet. Confess. addictorum Patakiense, Judicialiter admoneri, unaque inhiberi curat: quatenus ab aedificio, ulteriorique exstructione molae illius siccae, quam idem illustre Collegium in Oppido S. N. Patak, I. Comitatui huic *Zempli-*

nienſi

nienfi ingremiato, fundoque exempto Carolo Aghi-ano, nullis penitus Regalibus Beneficiis proviso et inter vicinitates ab Oriente domus taxalis Andreae Vereb, et ab Occidente horti exempti Praetitulati Collegii situato, recentioribus hisce diebus cum praejudicio admoneri curantis Fisci Regii exstruere parat, ac in cujus usu ipsum Illustre Collegium nunquam praefuit, tanto certius supersedeat, quod praelaudatus admoneri curans Fiscus Regius, omnimodam via etium facti hoc sibi damnosum, et praejudiciosum Aedificium vindicandi indemnitatem, ac salvatetam Jurium suorum procurandi facultatem cum protestatione reservat. Super quibus Nos, vi muneris Nostri Judiciarii Praetitulatam D. Vestram ac per eum totum Illustre Collegium admonemus, et inhibemus, categoricum intra Legalem quidenam responsum praestolaturi, hac vero evoluta, necessarias pro tuitione Jurium admoneri curantis Fisci Regii Testimoniales extradaturi manemus S. N. Patak 12. Januarii 1796, Clarissimae D. Vestrae ad Officia paratissimi N. N. I. Comitatus Zempliniensis Ord. Judlium m. pr. N. N. Jurassor m. pr.

Clarissimo Domino N. N. qua tamen Illustris Collegii H. C. addictorum S. N. Patakiensis Rectori, ac per illum toti Illustri Collegio praesentes Literae Admonitorio-Inhibitoriae Judicialiter exhibendae.

Perillustris, ac Generose Domine Judlium, Domine singulariter Colendissime! Ad Judicialem

per

per Praetitulatam Dominationem Vestram cum adjuncto sibi Jurassore, mei, et per me totius Collegii Helvet. Confess. addictorum S. Patakiensis, pro parte Spectabilis, ac Magnifici Domini Consiliarii Joannis Németh de Nyék, qua Causarum Regalium Directoris, et Sacrae Regni Hungariae Coronae Fiscalis, Die 13 mensis, et anni currentium peractam admonitionem, et inhibitionem responsurus: Possem quidem contra illa duo fundamenta inhibitionis, quod nempe molendinum siccum, in fundo Regalibus Beneficiis carente, quantumvis nobilitari, libero, nullique Jurisdictioni Dominali subjecto erigendi, aut servandi facultas, absque habito praevie usu, Domino fundi talis non competat, haec, et similia, si tempus, et locus exposceret, adferre; quod Leges, et Consvetudines Regni, molendina, praecipue sicca, non pro Juribus stricte Regalibus, verum pro talibus habent, ac semper habuerunt, quae etiam Colonis in fluviis, et fundis Dominalibus erga praestationem a loco molendini ceu fluvio, vel fundo solvendam erigere, illis tamdiu, donec per Dominum Terrestrem, prout cum vineis, cellariis, aut aliis quibuscunqe aedificiis, et meliorationibus fieri consvevit, exaestimantur, libere uti, et frui possint, quod quidem non tantum circa molendina sicca hodiedum in multis locis, in quibus alia molendina non dantur, in usu est; verum quoad molendina etiam fluvialia, priusquam Domini Terrestres perspecta insigni eorundem utilitate, ex illis fere omnibus Colonos suos exaestimaverint, eademque vi Juris Dominalis ad se pertra-

xerint

xerint, nova erigendi facultatem sibi ipsis reservaverint, vigebat, prout 12. Art. Anni 1567. 8. 1569. 12. 1613. post Cor. inspiciendi abunde patebit, ubi nempe molitores in Nobilium molendinis habitantes, molasque proprias non habentes a dicatione eximuntur; propria vero molendina habentes exceptis illis quae in rapidissimis Fluviis existunt, adeoque Violentia glaciei saepissime destruuntur, vel vero pluvioso tantum tempore volvi solent, dicari jubentur. Si dictae Leges, veluti molas in fluviis Dominalibus per Colonos possessas fuisse clarissime probantes, cum usu, et consvetudine, secundum quam Coloni molendina sicca, imo in locis, ubi ad hoc usque tempus exaestimati non sunt, fluvialia quoque effective (in hoc etiam Comitatu) possident, combinentur, simul tabella Dicationis in Comitatibus usitata, et per Excelsum Consilium praescripta, in qua molendina utriusque generis suas rubricas habent, inspiciatur, conditionemque fundorum Liberorum, pejorem, quam est taxalium, et Jurisdictioni Dominali subjectorum, esse non posse perpendantur, facile apparebit, molendina praecipue sicca ad classem Jurium istorum Regalium, quae absque Privilegio, Praescriptione, vel expressa Lege a Corporis Domino abstrahi, et per illum, qui fundum Liberum, licet Beneficiis regalibus non gaudentem, in Corpore per alium possesso teneat, exerceri non possint, haudquaquam pertinere, atque a Jure piscandi, lignandi, stabula, cellaria, officinas, machinas quascunque erigendi prorsus non differre, adeoque quemadmodum di-

cta

cta Jura, Domino fluvii, sylvae, vel fundi competunt, ita etiam molendina quidem fluvialia Domino fluvii, sicca vero, et Jugalia aedificandi facultatem Domino fundi competere, per idque quod per accidens, dexteritas humana, vim aquarum, ad parandam farinam converterit, artem hanc, farinam nempe conficiendi, velut ad conservandos homines absolute necessariam, tam parum Monopolii Dominalis exclusivi factam esse; quam parum ex eo, quod aliqui Domini Terrestres fluviis suis ad findenddos asseres, conficiendas chartas, cannabes resolvendas, et purgandas, aut ad alias artes uti ceperint, tali homini, qui nefors absque influxu aquae Dominalis asseres, et chartas, aut alias id genus res praecipue in suo fundo parandi modum invenerit, Jus artem illam exercendi controverti posset. Nihil enim inter dictas artes, atque artem farinam parandi aliud interesse videtur, quam quod illae minus, haec maxime necessaria sit, nisi fors quispiam ita hostiliter in homines animatus sit, ut ob illam ipsam supremae necessitatis causam hanc artem Monopolio Dominali subjiciat, seque per id, in plurimas absurditates involvat, sic enim neque farinam hominibus domi suae parare, neque alibi, quam in molendino Dominali paratam emere, neque, si quis hoc posset, ac vellet, absque farina vivere, neque ex alia materia, quam ex lignis a Domino emptis ignem suscitare, nec pisces, si quis posset, ac vellet, domi suae alere, aut alibi, quam in fluvio Dominali captos emere, nec illis, quibus venari prohibitum est, anseres, aliasque aves

feras

feras domi ſuae cicurare, et multiplicare, in diminutionem proventuum molendini, ſylvae, piſcationis, et venationis Dominalis, multo minus ex cellario proprio vinum bibere, aut amico poculum vini offerre, aut vino in educillo Domini Terreſtris non exiſtente, viatori illud anhelanti, vel aegro, eodem in medicinam uti volenti unum alterumve ſextarium vendere, in praejudicium proventuum educilli dominalis, cum hoc alioquin revera Jus Regale ſit, licebit.

Poſſem porro dicere, quod cum molendina ad claſſem Jurium Regalium non pertineant, verum cuilibet Domino fundi eadem ponendi facultas omni Jure competat, qui vero Jure ſuo utitur, is alterum non laedat, id vero, quo nemo laeditur, etiam absque uſu praehabitio patrari queat, et alioquin, qui Legalem titulum Poſſesſorii, aut Juris exercendi habet, is annuo uſu ad Jus ſuum exercendum non indigeat; turbatioque talis hominis etiam in primo Poſſeſſorii, vel uſus momento Violentiam, et poenam importet: defectum uſus hactenus habiti ponendae molae non magis obeſſe poſſe, quam ex pedibus diu, vel tota ſua transacta vita laboranti, et demum uſum pedum acquirenti, atque ambulare volenti, aut Domino in fundo ſuo, vel nullum aedificium, vel tantum ſtabulum hactenus habenti, modo vero aedificium ponere, aut ſtabulum in alios uſus convertere cogitanti, vel denique Compoſſeſſori, piſcari, aut paſcere volenti, defectus uſus praehabiti obſiſtere poſſet.

Haec

Haec inquam, et alia plura facillimum esset adducere, nisi illa absque Judice tam facile affirmari ab una, quam negari ab altera parte possent, quapropter ab omni argumentatione supersedendo declaro: Collegium Juribus suis inhaerere, molendino aedificando insistere, unaque Fiscum Regium readmoneri, et reinhiberi velle, ut si quid laesionis sibi illatum praetendat, agat via Juris, non via facti, secus Collegium Naturali, et legali suae defensae nulla ratione defuturum est, vimque, si quam Fiscus inferre attentaverit, vi repellet, et de sequelis protestatur.

Hanc itaque meam declarationem, quod ad Jura Collegii attinet, pro categorico, et Judiciali responso accipiendam quidem volo, verum, ut amor pacis, et concordiae cum Incl. Dominio manutenendae, ex parte Collegii clarius elucescat, ut item Fiscus admonens intelligat, Collegium non studio Jura sua ostentandi, non ex ambitione molam jugalem habendi, eo minus ex furore eodem potius, quam fluviali inclyti Dominii mola utendi, verum inevitabili necessitate compulsum molam siccam errigere, sequentia considerationi Fisci Regii admonentis praescindendo etiam a Jure Collegii, substernuntur, utpote:

Quae in Territorio Patakiensi in rivulo quodam exiguo unum, vel alterum Fisci Regii exstant molendina, ita sunt comparata, ut nonnisi increbrescentibus autumnali tempore pluviis, aut solutis jam tepido, et adulto vere per montium juga nivibus usui aliquali esse possint, caeterum

per

per longe maximam anni partem, vel prorſus ſicca, vel quamlibet leni frigore adſtricta quieſcant.

Quod ad molendinum vero navale in Bodrogo fluvio exiſtens, plurium damnificatorum teſtimoniis probari poſſet, molitores Dominales dexteritatem ſuam in ea maxime hactenus probaſſe, ut multo majorem furfuris, quam farinae copiam producant, utque a conſvetudine, et p[illegible] iſta deſiſtant, vix muneribus corrumpi potuiſſe, ſicque enorme damnum cauſare ſolere.

Secus etiam rariſſime accidit, ut molendinum illud Oppidanis, et circumjacentibus locis ſufficiat, triſtis, et periculi pleniſſima experientia docuit, dictum molendinum aeſtate anni 1794 in arido deſtitutum eſſe, ſequenti vero 1795 adhuc longe majori cum periculo, tota hyeme in ripa Bodrogi quieviſſe, nihilque aliud, niſi acerbas miſerorum Dominalium, aliorumque Suae Majeſtatis Sacratiſſimae cum fame luctantium ſubditorum querelas auditas eſſe, eo quod aliquot ſeptimanis, propter ingentes, quae continuo decidebant nives, neque curru ad remotiora molendina proficiſcendi, neque poſtea hominibus jumentis deſtitutis mediam, vel etiam integram frumenti metretam pro pluribus florenis, ad plura milliaria devehendi modus fuerit, verum maxima pars oppidanorum ſibi gratulari debuerit, ſi frumentum ſuum inaudito hactenus pretio emptum, miſerabili quadam machina, ſali taliter qualiter minuendo ruſtica manu facta conterendi, ſeu potius deperdendi, ſicque (Fiſco alioquin novo, et inuſitato molendini genere utentes admonere, et inhibere negligente) famem

famem a labiis cum Praejudicio, uti Fisco admonenti videtur, Jurium Dominii Terrestris Regalium, abigendi copiam habere potuerint.

In communibus his Oppido, et Collegio angustiis, saepius etiam suppetente frumento eveniebat, ut Scholasticae Juventuti non esset, quod ederent; plurimum tamen; si modo difficultates viarum superari potuerint, frumentum multis expensis, et periculis, ad remotiora loca, nonnunquam ad sex, septem militaria, Inclyto Dominio nihil in contrarium obvertente devehebatur, ut itaque his miseriis finis poni possit, cum alioquin collegium in usu hujus devectionis pacifico et continuo praeexstiterit, quod ne admonens quidem Fiscus Regius negaverit, nihil Inclyti Dominii interesse videri poterat, an frumentum, quod moli debebat, ob defectum vero suffiicientis localis provisionis domi moli non poterat, alibi locorum molatur, vel vero illud domi molendi commoditas procuretur, hocque consilio fundum aliquot orgiarum, Nobilitarem, enormi pretio, tali videlicet, quo homines in necessitatis casu constituti emere debent, Collegium coemit, in eoque molendinum in perniciem jumentorum ad salvandos homines erigere satagit, jumenta sufficiente numero emere, alere, Mercenarios necessarios conducere debebit, quo pluris ergo miserabilis haec optio collegio constat: eo lamentabilius, et durius videri potest, eandem Collegio controverti, cum tamen etiam erecto illo molendino idem illud Via Facti, non quidem potentiosa, qualem in admonitione sua intentat, verum placida, et pacifica, si nempe copiam

et occasionem molendi facilem, promptam, et perpetuam providerit, evertendi, et in nihilum redigendi potestas, in manibus quadamtenus, et viribus Fisci Regii sit, praeter quam quod fortuitis molendini sui destructionibus, siccitatibus, intensissimis frigoribus, fami ex defectu farinae enasci quaeunti, me admoneri curans quidem Fiscus Regius, cavere, vel admonitione, inhibitioneque Judiciaria occurrere possit.

Caeterum cum molendinum per Fiscum controversum, in usus Scholae erigatur, Schola vero in eum finem instituta sit, ut pietas, bonae artes, fidelitasque erga Regnum, et Regem incrementa capiat, Juventusque in spem publicam educetur, non tantum de dicto molendino securi sumus, verum etiam omnigenam protectionem, imo uberiorem quoque Sacratissimae Suae Majestatis pro re nata Gratiam sperare praesumimus.

His praetitulatae Dominationi Vestrae insinuatis ab extradandis super peragenda horum cum Fisco Regio Communicatione, ac respective Readmonitione, ac Reinhibitione Testimonialibus praestolando, persevero. Signatum Patak Die Jan. 1796. Praetitulatae D. Vestrae etc.

INDEX

INDEX CAPITUM.

CAPUT

INDEX CAPITUM.

LIBER II.

CAPUT

INDEX CAPITUM.

LIBER III.

CAPUT

Pag.	Lin.	Errata.	Corrigenda.
11.	5.	vel	vero
19.	27.	admittitur	amittitur
29.	24.	quae	qua
—	28.	ſatis	ſatis
25.	24.	ſoro	ſora
37.	11.	Cicilia	Civilia
51.	4.	Juſicialem	Judicialem
58.	29.	qua	quae
70.	8.	taxantur	taxabantur
82.	26.	quae	quas
88.	14.	eorum	earum
93.	[illegible]	ta	ita
112.	27.	Natus	Natan
139.	6.	convincuntur	convincitur
168.	27.	ſalſionaribus	ſalſionarius
173.	21.	ſuperinductus	ſuperinduci
190.	12.	expreſſo	expreſſe
193.	14.	qui	quia
194.	26.	poſt 2ae add. ut	
202.	10.	Parapharum	Paraphernum
221.	2. a fine	poſſeſſionarios	poſſeſſionatos
223.	13.	Collatione	Collectione
226.	25.	inter	intra
227	Lin. ult.	praecipiunt	praeripiunt
254.	4. a fine	poſt vocem Viduam add. et	
255.	4. a fine	extraordinalibus	extradonationalibus
256.	6. a fine	cui	qui
272.	3.	delebunt	debebunt
298.	1.	enati	enatis
246.	6. a fine	quis	qui
313.	14.	videbimus	videbimur
329.	5.	quia	qui
332.	23.	ab inſtanto	ab inteſtato
346.	2.	aliquod	aliquot
353.	5.	tet	ſtet
358.	22.	modo	moto
370.	20.	fuerit	fecerit
376.	3.	reſilire	reſiliri
379.	4. a fine	computens	computus
392.	10.	patratonis	patratoris
395.	7. a fine	indemnitate	indeterminate
399.	14.	tam	tamen
429.	3. a fine	poſt vocem alias add. res.	
446.	2. a fine	querere	querra
459.	15.	ſuas	ſuae
—	21.	vel deleatur.	

Pag.	*Lin.*	*Errata.*		*Corrigenda.*
459.	23.	debent	.	deberent
460.	10.	ate	.	ante
462.	11.	post vocem aetatis		add. vidimus alias.
463.	11.	ut et	. .	citet
482.	12.	cumultata	.	cumulata
486.	7. a fine	inchoatura	.	inchoatur
51 .	1.	partui	. .	partus
512.	23.	que	. .	quae
520.	18.	post vocem Transumpti		add. vel vero non Autentica
526.	L. penult.	vero	. .	vel
530.	8.	Incraturum	. .	lucraturum
—	—	amissorum	.	amissurum
532.	20.	post vocem verbo		add. cum
538.	5.	ordinaria	.	ordinarie
—	L. ultimo	ut deleatur.		
539.	22.	quod	. .	quo
583.	9.	post vocem valet		add. pro